assuetos, ut res gestas in omnium oculis, quas ipsi vidimus, quibusque interfuimus, mendaciis non ferendis aspergere, et tenebras offundere veritatis luci clarissimae impudentissime sint ausi. Qua de re alibi, ut nobis videmur, et graviter in primis, et vehementer conquesti sumus, sed haud tamen pro rei magnitudine, atque indignitate satis. Equidem, ut ipse de me loquar, cum mecum animo reputo, quantum mihi onus impositum sit a Rege maximo, et sapientissimo; contra, quam meae sint impares vires huic ipsi oneri sustinendo; non secus aestuo, atque angor animo, atque is, qui obrutus grandi aere alieno, cum non sit soluendo, sit idem, maxime suae fidei, atque officii memor. Iam tum mihi ob oculos obversatur. quid a me homines exspectent, de cuius ingenio, et fide, tantus Rex, adeo praeclarum iudicium fecerit: quanti roboris, et virium sit, praestare fidei partes, cui de multis sit libere scribendum: et quidem de iis saepe, qui testem fidelem horrent, de summis hominibus, de regibus maximis, de iis, quibus non parci capitale sit, cum ipsi efficiant, ne, salua scriptoris fide, sibi parci possit; de iis postremo, qui stilum scribentis moderari ipsi volunt, et ut visum est, non ut rerum ratio postulat, in se suosque obtusum, et molli brachio intentatum; aculeatum in alios requirunt. Persto adhuc in fidei partibus. Qui potuit in scribendo aut Neronis, aut Caligulae aetate, simul suae fidei, simul suae securitati, atque otio consulere, qui Romanarum rerum, illis viventibus, historiam ederet? Nam si is praeteriret silentio eorum scelera, venena, incendia, proscriptiones, innocentium supplicia, tum libidines, flagitia, incesta supra: quae erat eius historia futura, in qua non solum referre falsa, sed tacere vera, insigne flagitium est? si proferret in lucem, quae supplicia, quae cruces

erant religioso scriptori expectandae? Neque vero quicquam in vita agenda excogitari indignius potest. quam si quis palam improbus, cum positus in regia sella, ex alto, atque eminenti loco neminem fallat, postulet, ut scriptoris praedicatione summus quidam rex, iustissimus, optimus, sapientissimusque videatur. Quem quidem quis credat scriptoris personam recte sustinere, si nobis, pro Traiano, aut Marco, Neronem, aut Caligulam; pro Nerone, aut Caligula, Marcum, aut Traianum effingat? Philosophus vero sit oportet. et quidem vere philosophus, hoc est vitae prius, quam suae constantiae, et fidei immemor, qui ita historiam scribit, ut stilum, tamquam veritatis telum, nullo ordinum, aut fortunae discrimine, sive privatum, sive regem laedat, in omnes pari animi robore intendat. Scribimus Vngarorum res gestas aut nostra, aut patrum memoria, bella maxima, tum domestica, tum externa, vastatas provincias, in foedam servitutem redactos nobilissimos populos, eversiones regnorum, principum, et populorum discidia, regum maximorum controversias, ex his exactos alios vi, atque armis, iactatos alios perpetuis bellis: in quibus qui ita versatur, ut non offendat, is deus aliquis sit oportet, non homo. Sive enim qui scribit, testis munere, sive iudicis fungitur, quod a nonnullis in rerum scriptore video requiri, cum medius inter duos aut testimonium dicat, aut de re statuatur, de qua est controversia, eius iniquissima conditio est: cum enim ab uno modo ius, atque aequitas stet; qui iudicat. neque gratiam ullam ab eo init, secundum quem leges pronunciare iubent (dat enim quod illi negari, sine iniuria, non potest), et apud eum offendit. contra quem pronunciat, qui de se ex suo sensu, non ex alieno iudicio, quo nihil est iniqui-

us, iudicari aequum putat. Quam quidem offensionem cum nostra memoria, magni nominis scriptor se crederet effugisse: scite dicto atque acute eum dicitur Carolus V. caesar perstrinxisse: cum enim illi descriptum praelium legisset, in quo victus, et captus Franciscus rex ad Ticinum esset: totus in victoris laudes effusus: Enimvero, inquit, egregie: sed legas etiam quae Francisco regi tradenda scripsisti. Quo acute dicto hominis levitatem iugulavit, nota, et pervulgata via se. utrique venditantis, et duabus sedentis sellis: ut cum haberet stilum venalem, in uno haud ageret iniuste, ut ea ederet, quorum sibi uberiolem quaestum sponderet. Quo incommodo quidem eo graviore, quo difficilius a multis vitatur, tua me sapientia, atque aequitas summa levat. Ita enim me vis gravitatis meae rationem habere in scribendo, ut mea sponte id agentem excites: cum quidem id crebro usurpare soleas, scriptoris iudicium esse liberum in probanda sua fide posteris debere. Sed tu hoc potes cum paucis, qui ita rex maximus te geras tanto imperio administrando, ut per te liceat, qui de tuis rebus gestis scribat, religioso scriptori esse, et securo a metu, spe, odio, studio, aliisque, quae scribentis animum sollicitum habent: qui enim res gerit litteris mandandas, temperat ipse scribentis stilum, ac quid de se memoriae prodi velit praescribit. Nam quasi pictor, effigiem hominis ad vivum expressurus, ex illius lineamentis illam, non alterius effingit; iustos reges, sapientes, fortes, reipubl. amantes, et contra violentos, importunos, crudeles exprimit rerum scriptor, quemadmodum illi, ex iis rebus quas gesserunt, quae verissima lineamenta animorum habentur, se effingi voluerunt. Accedit ad cetera aliud incommodum. haud mi-

nus grave, et quod merito quemvis deterreat a scribendo. Haud enim ignoro complures futuros, qui me negent exterum hominem, cum regionis, et locorum imperitum, quibus res gestae traduntur, tum linguae, morum, legum, suscepto muneri satisfacere posse. Atque est quidem hoc aliquid; sed non tamen, ut sit cum iis incommodis conferendum, quae natum inter eos hominem, de quorum rebus est scribendum, parum idoneum reddunt. Nam sollicitat scribentem, in patriam a natura insitus amor, et caritas in suos, tum omnium maxime, susceptum in eos odium, quibus ea sunt molesta, quae carissima ipse habet, ut quamquam suoapte ingenio, sit suae fidei memor, quo minus tamen facile sit memor constantiae, eum invitum, tamquam vehementior procella, hinc odium, hinc amor transversum agat, et quidem unde illum nequicquam fidei studium revocare queat. Cuius perturbationis est expers, qui, quo minus suae fidei obliviscatur, de alienis rebus scribit; quo quidem in munere fungendo unum propositum habet, ut, nulla cum cuiusquam iniuria, testis religiosi officium, unde voluptas solida, et perpetua est, sua liberanda fide praestet. Itaque videmus in hanc ipsam Pannoniam accersitum olim Antonium Bonfinium ex Italia, a Matthia rege, qui Vngaricam historiam scriberet, cum per idem tempus floreret, ut alios omittam, Ioannes Pannonius, cuius monumenta ingenii clarissima facile ostendunt, quanto superior Bonfinio fuerit in scribenda historia futurus, si hoc genus attigisset. Nam Matthiae regis exemplum est postea secutus Henricus Octavus Anglorum rex, qui Polydorum Virgilium, Gallorum Franciscus, qui P. Aemilium ex Italia ad hoc ipsum scribendi munus accersivit. Qua in re tamen minime Matthias rex, ut de eo lo-

quar, fuit felix : ut enim nemo alius in Pannonia natus, homo italus in foedissimam assentationem effusus, Matthiae regis originem, in gentem Valeriam Romam refert : cuius nobilitatis patrem auctorem ignobilis extulit Valachorum pagus : quo assentationis genere nullum potuit putidius excogitari : quasi non maiori laudi Ioanni Hunniadi fuerit relictus filius, qui patriae virtutis, atque animi effigies, rex Vngaris imperaret, quam nasci ipsum e Pelope, aut Agamemnone regum rege. Atque hoc loco quidem referre non gravabor, quae Polybius auctor Romanae historiae grauissimus in hanc sententiam scripta reliquit. Cum enim sibi unam maximam causam fuisse dixisset, scribendi Punicum bellum, Fabii, et Philini levitatem, qui ante se scripsissent : Bonum, inquit, virum, amicorum, patriaeque esse amantem decet, eorumque adeo, qui cum amicis nostris sint aliqua necessitudine coniuncti ; inimicos prosequi odio decet. Atqui ei, qui ad scribendam historiam accessit, horum omnium immemori, et inimici sunt saepe laudandi, cum hoc eorum res gestae requirent, et nonnunquam ii reprehendendi, castigandique vehementius, quorum studiosi sumus, et necessarii, ubi quid ab his admissum sit, quare nobis reprehendendi viderentur. Non secus enim, atque animanti effossis oculis, nihil in toto corpore relinquitur, quod usui sit : ita ubi desideratur in rerum scriptore veritatis studium, nullus historiae est usus. Quae cum ita sint : neque nos amor a reprehendendis amicis, neque a laudandis inimicis odium, ubi hoc nostra fides requirat, debet retardare ; neque adeo nobis probro dari debet, si quos semel laudavimus, mox reprehendamus. Nam qui res gerunt, ipsi efficiunt sua inconstantia, ut minus nobis in eorum laudibus constemus : cum non



semper iidem aut recte, aut improbe facere consueverint. Sit igitur hoc nobis fixum animo, ut, de medio sublatis personis, sive illi amici nobis, sive inimici sint, de eorum rebus gestis nobis esse, ex nostra fide, scribendum statuamus. Atque haec quidem Polybius : ex quibus conici possit, quanto aptior sit scribendae historiae is, cuius parvi intersit, recte quid, et cum laude, an foede, et cum dedecore ab alienis agatur, quam eius, ad quem, tanquam ex his unum, qui aut laudantur, aut vituperantur, sensus laudis, et infamiae pervenit. Nam quod minus exterum hominem adiuvet aut peritia locorum, aut perspecti gentis mores, cuius res scribit : quo id officiat minus, industria efficit : quae, quanto illa magis scribentem deficient, tanto, ut ea sibi studio paret, in eo excitet sedulitatem, curamque acriorem. Quae tamen, ut nobis magno adiumento esset, perfecit usus, qui nobis aliquot iam annos cum Vngaris fuit, cum triennium in Dacia versati, cuius magna pars ab Vngaris incolitur, te principe, egerimus, et quidem, quem ita nunc regem Sarmatiae veneramus, ut Vngarorum unum nobilissimum, et maiestate nominis, et maiorum gloria, te liceat, quae tua summa facilitas est, de his rebus consulere, quae sint mihi litteris consignandae, quarum ita es peritus, ut nemo alius magis, cui a rebus aliis omnibus otium sit. Atque in Dacia quidem, cum alii ex Saxonum gente, tum Thomas literatus Vngarus genere, me plurimum adiuvit ; quem tu hominem gentis Bathoreae clientem, propter eius singularem probitatem, et fidem, tum tuae pietatis, tum illius officii memor, tantus rex patrem soles appellare. Sed omnium maxime Francisci Forгатii viri clarissimi monumenta nostram industriam, haud illam

quidem per se languentem, sed haerentem in multis tamen, quod nato homini nonnunquam accidere necesse est, plurimum sublevarunt, cum illa, post mortem eius, curasses ad te mittenda, in eo usus Simonis fratris viri fortissimi studio acerrimo, cuius ut virtus gerendis rebus, ita est in nostris scriptis, apud posteros futurum, celebre, atque illustre nomen. Nam et interfuit ipse frequens in consilio, cum aliis regii ducibus, et magnis gerendis rebus, in campo, in acie, pro muris fortissime pugnando, honesta vulnera accepit, ut earum cladium, quas Vngaris ea temporum procella invexit, vere dici possit, quod olim Aeneas usurpasse dicitur, de Troianae urbis excidio verba facturus, magnam partem Simonem Forgatium fuisse. Nam in tragica illa Losontii deditione ita oris decore deformato, est tanta calamitate defunctus, ut nullus gloriae insignior titulus, nullum virtutis monumentum illustrius, quenquam unquam, parta de hoste clarissima victoria, honestarit. Atque non solum is facilem se praebuit scriptis fratris tradendis: sed severus etiam censor, si quid ille scripsit errore falsus, quod minus scriptoris acris cura postularet (neque enim his imposuit extremam manum), apposita nota, emendavit, re fideliter, ut gesta erat, explicata: quod facillime potuit ipse praestare, ut strenuus manu gerenda re, sic omnibus ingenuis artibus, ut praeclare posset quae gesserit scribere, perpolitus. Quod ipsum munus ne tu ipse quidem, quanquam unus tot gentium curam, et populorum sustineas, passus es abs te desiderari. Dicerem quo ipse studio, praeter tot, tantaque adiumenta, essem usus, scriptis literis, annalibus, privatorum commentariis conquirendis, si id a me dici mea modestia pateretur, aut hoc mihi commemorare neces-

se esset: cum meam sedulitatem, et studium satis ea ipsa historia, quod brevi futurum spero, sit probatura, certe in eo laboravimus maxime, ut omnes intelligerent, quo nobis nostrae fidei, legentibus fructus laboris aliquis constaret, enixe a nobis datam operam esse. Ac quando iam satis apparet, cumulate nos fidei munus implevisse, certe in eo plurimum elaborasse, ne quid veri, cuiusquam gratia, praeteriisse, ne quid falsi invexisse, et alienum a nostra fide, videremur: reliquum esset, ut de ingenio, deque iis artibus ageretur, quibus qui carent, etiamsi videantur praecclare velle, longe ab eo absunt, ut credantur scribendi munus absoluisse. Non enim quaerimus sedulum nescio quem e foro medio, qui quotidie quicquid agatur, quod dignum memoria putet, referat in commentarium: sed qui ita narret, ut doceat; ita doceat, ut qui legit, non solum possit, sed velit etiam doceri: rustica enim sapientia quaedam est, quae etsi eadem est semper habenda, ut gemma sive in auro, sive in cupro niteat, est eadem semper; neque aeque delectat tamen, neque cum voluptate aeque tenet, ubi ita rudis, atque horrida se in animos insinuet. Finge enim de virtute Socratem verba facientem, Athenis natum, disertum, non sapientem solum, finge Platonem, aut eius auditorem Aristotelem, multos sui amatores sapientia inveniat: finge contra, de eadem disserentem Anacharsim hominem Scytham; unum forte, aut alterum teneat, qui, quasi lynceis oculis, altissime etiam, hominum iniuria, in terrae viscera demersam sapientiam agnoscant: multitudinem non tenebit: quae non quid audiat, sed quanta cum voluptate audiat quaerit: ut nisi dicentis oratione, aut scribentis, quasi illecebra capiatur, minime eum fructum referat, quem sapientis

oratio quidem, sed infantis eiusdem, et impoliti parit: dum enim quasi cum parturiente, atque enitente laborat, molestia gravi afficitur, et non facile ferenda: cum ignoret, quantum eius molestiae sit pretium futurum: quae spes laborem, ac molestiam plurimum levat. Itaque, ut reiicientem puerum salutaria, fallit medicus, quae sunt sua natura amara, dulcibus tegendo: sic delicati nimium, et molles, dum ea scriptor explicat, quae si attente audiantur, sint profutura, suavitate orationis, blandae conciliatricis animorum, ut attente audiant, sunt fallendi. Eadem, quae Livius, multi ante illum litteris mandarunt, quorum scripta tamen, simul atque Livii legi sunt coepta, obsoleverunt: quod accidisse veteribus, in poeticis, animadvertimus. Nam quod Ennio licuit dicere, vetera contemnent: Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant, et Virgilio de eo ipso Ennio, cuius cum carmina legeret, dicere solitus fertur, se aurum e sordibus eruere; licuit Livio in maximos illos pontificum annales, Fabii scripta, Pisonis, atque eius ipsius Coelii, in quo se paullulum erexisse historia dicitur, usurpare. Ita enim narrat, ut cum ad rei exitum est ventum, qui legit, tanquam nimium celeri cursu fluxerit voluptas, redire ad principium, et repetere voluptatem eadem legendo cogatur: ut cum res, quas narrat, nudae etiam omnibus ornamentis sapientem iuvent; ut iuvent tamen omnes, scriptor efficiat oratione, cum splendidis, atque illustribus verbis compta, et ornata, tum sententiarum ubertate referta, quae animos legentium, tanquam suavi pabulo alat. Nam quae pars in oratione tertia requiritur, cum bella, praelia narrat, urbium oppugnationes, populorum clades, exercituum caedes: qui legit non se illa legere, sed haud secus, ac si in acie

pro muris pugnet. haurire etiam oculis putat; ita animo affectus, ut ipse quasi vulnera excipere, inferre, horrere, trepidare, parta victoria, triumphum de hoste victo, sibi agere videntur. Ac memini me, cum XX ab hinc anno essem Florentinam historiam editurus, criticorum quorundam superbum iudicium, scripta ad amicum epistola, deprecatum: qui mihi idem vitio verterent, quod maiorum memoria, magni nominis scriptoribus olim esset obiectum, in eodem me versatum argumento, non mea sed aliena literis complexum edidisse. Qua de re, quando ea ipsa epistola cum his editur, quas nunc in manibus habemus, pluribus in praesentia non agam. His respondendum videtur, qui quidem non sedulitatem, et fidem in meis scriptis, sed, plus aequo sibi indulgentes, scribendi genus requirunt aptum delicatis auribus, et mollioribus ingeniis: qui ita discere volunt, ut nullo cum labore, et quasi aliud agentes discant. Non probant genus grande, sublime, intensum contortis, atque elatis verbis, sed lene, sedatum, et quasi libero cursu, atque acquabili tractu fluens, ut nulla salebra legentem moretur: a quo genere cum me longe abesse contendunt, suscepisse me scribendam historiam mirantur. De quorum iniuria antequam dicere aggredior, illud statui mihi esse faciendum, ut ostendam, ex quo hominum genere ii sint, quibus minus ea quae scribimus probentur. Sunt enim permulti, qui inflati speciosis titulis iurisprudentiae, philosophiae, atque aliarum ingenuarum artium, se populo venditent, non iam illi docti, qui si tamen vere docti sint, meliore loco res hominum habeantur, sed doctores etiam. si diis placeat: qui si cathedram conscendunt, docendi causa; non iam clamoribus infestis, et sibilis, sed lapidibus

etiam praecipites a corona agantur. Atque hos quidem toga modo, et barba, ac supercilio superbos imperiti homines de privatis suis rebus, tamquam Delphis Apollinem consulunt, demissos homines e coelo, per quos privatorum controversiae, si quando graviores intercedant, minuantur. Itaque stipatos forensi turba, ac clientium catervis videmus per forum volitare, tanta turgentes opinione sui: ut quo loco quemvis habent de medio populo, eos habeant, qui non inania nomina, quibus imperiti capiuntur, sed ea, quae nominibus significantur, sibi censeant spectanda. Quo digni maiore laude ii videntur, quos pertinax studium, acerrimum ingenium, cognitio antiquitatis, atque omnium politiorum artium, ad summum decus, et gloriam evehit. Nam alii, qui eodem morbo laborant, quasi ex alia classe e sophistarum scholis repente medici: quibus vulgo homines, tentatam valetudinem variis pestibus et morbis permittunt curandam: quam, ex coeli observatione, secta vena, atque oblato pharmaco, non solum impune perdunt, sed perditae etiam pretium poscunt, si quando secus accidat, non servatae reconditiore arte aliqua, sed casu. E quorum numero si quos virtus excellens, et insignis eruditio exemit, cuiusmodi ego novi nonnullos, et colo, atque observo in primis adeo, hi mihi ignoscere aequo animo debent: cum iis mihi res est, quos medicos non literae, non ingenium, non usus, atque observatio assidua, non acre studium, sed error imperitorum hominum facit: qui discunt hominibus mactandis hominum morbis auxiliari. Quorum tanta arrogancia est, ut, cum nihil minus sapiant, quam eam artem, quam profitentur; si quis illis fidem habeat; sint parati peierare, aut Asclepiadis, aut Hippocratis, aut Galeni in se animam im-

migrasse. Neque se tamen continent intra praescriptos sibi cancellos, aut de iis rebus modo pronunciant, quarum sibi scientiam sumunt, sed suis finibus egressi, de iis etiam iudicant, quorum ne elementa quidem didicerunt: ut iam audeant statuere, quis condendo carmine, quis dicendi facultate, quis historia scribenda excellat; cum tanta eorum imperitia sit, ut si iis sit de spe vitae deplorandum, nisi, ex grammatici praescriptione, integram periodum, ut pueri in ludo, struant, cum nomine sint spem vitae abiecturi. Hinc illa monstra, et portenta, veteribus non aequati solum, sed praelati etiam nostris temporis scriptores, quorum nemo, qui sanae mentis sit, esse similis velit. Quae tanquam decreta Areopagitarum, plebs illa literatorum, qui quas non norunt literas pretio vendunt, ita excipit hianti ore, uti ab iis, quos commendat proluxa toga, nihil posse temere excidere contendant. Inde illa manarunt, durior Bruti oratio, plus aequo elaboratum genus scribendi, et nimio artificio excultum, laude in contumeliam, virtute in affine vitium, quo nihil est iniquius, versa. Quid enim si tu doctor nescio quis rudis et durus potius, cui imprimi litera, quae fidem faciat te scire aliquid, nulla unquam potuit? Non enim haec iis scribuntur, quorum in his etiam, quae suae artis sunt, infantia est summa; non leguleiis, nescio quibus, non forensi rabulae, non medico circumforaneo, non scribae e regio tabulario, non molli, non delicato, qui integrum diem audire in scena histrionem possit; adduci non queat, ut horae spatium legat, quae sint viro sapiente digna: iis scribuntur, qui ita legunt, ut doceri velint; qui otium non ferunt in scriptore; qui, ubi occurrunt quasi praegnantia verba, non indigeant obstetrice, ipsi eliciant partum; qui paucis dici multa,

non multis pauca velint. Hoc ingenio fuit Ioachimus Camerarius, qui, ut ipse habitus est, omnium consensu, doctrina, ingenio, eloquentia, nostri saeculi, cum paucis princeps; ita nunquam mihi negavit testimonium ingenii, atque industriae luculentum, cum ne me quidem de facie novisset: hoc G. Xylander, hoc P. Victorius, Sigonius, Bargaeus, Io. Crato, Andreas Duthius summi homines, et quorum auctoritate, ubi a ratione discedam, qua una est standum, nulla est causa, cur ego desperem levissimorum hominum consensum importune alienae laudi obstrepentium disiectum iri. Quid enim habes, personate doctor, quod reprehendas? verbis utimur latinis, propriis, significantibus, et quae maxime huius facultatis sunt; quae cum delectu sumere si aequae esset magna laus, ac negligere dedecus, haec a nobis non viderentur commemoranda. Cum res narrantur, in quibus unum propositum est, nudas res explicare, et nullo artificio orationis comptas, iis verbis utimur, quae, sive propria sive translata sint, quicquid sit quod narratur, ob oculos ponant. Explicandis consiliis, disquirendis causis, in concionibus, ubi quid recte, et perperam gestum sit oporteat notari, quae sunt certae scribentis partes, ita consulto contractiores sumus, id quod est agendum, ne in immensum historia crescat, ut quo ea, quae scribimus, recte intelligantur, unum satis sit, ea a non oscitantibus legi. Sententiae occurrunt crebrae, sed quae cum rebus ipsis nascantur, non sint aliunde quaesitae: id quod si accidat, ita male cohaereant necesse est, ut appareat de alieno sumptas, male alieno loco collocatas: id quod, ut speramus, in nostris nemo animadvertet, ubi intentis etiam fixisque oculis omnia sibi statuat dispicienda.



Sed hoc minime mirum est. Idem animi morbus, qui veteres olim, nostros homines vexat, ut praesentium laudi invidentes, in his faueant antiquitati, quae in suis reprehendunt, si quid ab illis scriptum scite, eleganter, apte sit, id in coelum laudibus efferant; si quid a suis; dissimulent quod sentiant, ne, vera fatendo, quos nolunt laudare cogantur. Sed horum iudicium facile patimur iis probari, qui cum ipsi recte iudicare non queant, barbatorum hominum togam, et supercilium habent, quod pro ratione sequantur. Illud magis urget, quod obiiciunt praestanti ingenio homines, et doctrina excellenti, a nobis in historiam invehit, quae nostra fides, et rerum ratio reiiciat, de quibus nobis suscepimus scribendum. Ita enim a nobis induci, aut in concione apud populum, aut in regum consilio, aut ad milites verba multos facientes, ut saepe iis oratio affingatur, quam vix disertus orator, et longo usu exercitatus, ubi maxime etiam meditatus veniat ad dicendum, sit habiturus. Quibus si, id quod facile possum, veterum auctoritatem opponam; quorum, tota hac de re, praeter unum Polybium, est fere omnium una, atque eadem sententia, satis iis videar fecisse, quibus nihil certius est, quam viros doctissimos, optima ratione adductos, id sibi esse agendum statuisse. Nam si ita angustis finibus placet historiam definiri, ut nudae res narrentur, et, ut sunt, recte, et cum laude, et foede ac flagitiose gestae; nec Graeca historia Herodoto, Thucydide, Xenophonte, summis hominibus, nec, Romana Sallustio, aut Livio, aut Halycarnasseo indigebat; et is erit scribendae historiae aptus, cui satis sit non haberi mendacem: id quo nullo negotio praestabit, intra fori cancellos inclusus scriba, et cui unicum diei horam liceat, de mu-

nere publico detractam in hoc uno munere scribendi collocare. Sed si historiae fines sunt latius proferendi, ut video sapientissimis hominibus placere, cum tota exaedificatio, ut Cicero ait, posita in rebus et in verbis sit: illud pertinebit ad scriptoris munus, efficere non solum ut qui legant non sint solliciti de illius fide, narrandis rebus, sed ut multa etiam discant, quae tum in privata, tum in publica re administranda insignia habeant emolumenta, atque usus. Rerum ratio, inquit, ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, consilii primum deinde acta, postea eventus, expectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quod actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo. Et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis, hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellent, de cuiusque vita, atque natura. Atque haec Cicero quidem: quae cum tanta sint, non librarium credo requirunt, qui e forensibus cancellis, vulgo consueverit, ex formula conceptos libellos edere venales, sed magni consilii, et prudentiae hominem, qui multa a natura habeat, quae ingenio, multa quae industriae, et studiis optimarum artium referat accepta. Credo ego vero Thucydidem, cum hoc videret, eam rationem consiliorum explicandorum sibi ineundam statuisse, ex qua prudentiae certa praecepta hauriuntur, ut nunquam a narratione rerum degressus, ex ea ipsa quasi serie rerum quae recte consulta, quae perperam essent, explicaret. Nam cum exorsus scribere Peloponnesiacum bellum, quae eius quasi semina, atque initia fuissent,

narraret: non id egit, ut oblitus sui muneris a propriis, et personis, et temporibus traducta re, ad quaestionem infinitam, et de universo genere, quid censeret esse agendum principi populo, in re simili, doceret, quod munus philosophi politici est; sed, ut scriptorem rerum decet, non interrupto orationis filo, quid commodi Atheniensibus sperandum esset, ubi statuerent sibi Coreyraeos iuandos, ex eorum legatione doceret; quid timendum mali, ubi paterentur se non necessario bello implicari, ex iis quae Corinthius legatus disserit adversus Coreyraeum, eo consilio, ut Athenienses deterreat ab iis auxilio iuandis. Nam quod negent scriptorem decere, verba legati, ex suo sensu repraesentare, cuius fides requirit, ut certa, atque explorata referat, totum hoc nihil est. Cum enim ita de re constet, ut minime dubium sit, quid legatus Coreyraeus fuerit ab Atheniensibus postulaturus, quid dicturus Corinthius, ut a societate Coreyraeorum Athenienses avocaret: parvi, credo, referat, ubi qui scribit, eandem rem suis verbis descriptam tradat. Adiuvat porro scribentis ingenium, et temporis ratio, et rerum, ut non fugiat prudentem hominem, quid aequum fuerit dicere, tum qui societatem cum Coreyraeis ineundam suaderet, tum qui dissuasor contenderet, a belli consiliis Atheniensibus abstinendum. Sunt enim communes loci quidam, qui etiamsi non omnibus pateant, iis tamen non sint occulti, qui ut tuto de rebus maximis, et grauissimis agere credantur, insignis virtutis, et prudentiae opinio suadet. Rebus narrandis mihi modo emineat scriptoris fides: ubi de ratione gerendarum rerum agatur aut in senatu, aut in regum consilio: quid oportuerit eum dicere, qui auctor geren-

dae rei, quid ei, qui dissuadeat, quod, ut scire possit, natura rerum, personarum, temporum, ut iam diximus, efficit, suo modo explicet; ita legentibus suam fidem probaturus, ut admirentur prudentiam praeterea, partim causis rerum, et consiliis explicandis, partim eventis praedicendis; ex quibus rebus cum magna utilitas maneat legentes, non est scribenti verendum, ut id accidat ulla cum suae fidei iactura. Neque vero, cum apud Livium legimus, quid Fabius Maximus adversus Scipionem disserat, auctor eius retinendi in Italia, cum is bellum in Africam transferret; quid Scipio respondeat: dubitare possumus, quin eadem fuerit utriusque ratio tum suadendo, tum dissuadendo, qua usus est Livius, cum una, atque eadem esset res, quae in controversiam venisset. Vt autem, si mihi colloquendum cum eo sit, cuius linguam non teneam, satis censeam, eum probe interpretis munus praestitisse, qui eius sententiam mihi planam faciat, id, assecutus, quibus id verbis efficiat minus laborem; ita mecum bene actum putem, si quando gravis rerum scriptor, et prudens, ubi consultatio sit de gravioribus rebus, ita suscipiat suadentis, et dissuadentis personam, ut, pro rerum praesentium statu apposite, atque accurate verba faciat. Quod si illud accedit, ut quae apte dicenda sint, luculenter, et diserte explicet: tum illi gratiam habeam, qui perfecerit, ut quae mihi necessario, quocunque modo scripta erant cognoscenda, ea cum voluptate etiam cognoscam. Quemadmodum enim, ubi mihi data optio sit, malim, per interpretem Etruscum, homo Italus, quam per Insubrem, aut Ligurem, quorum asperior lingua, mores mitissimi habentur, peregrini hominis sententiam mihi explicari; ita multo

me magis legere delectet apud luculentum scriptorem, quicumque is sit, orationem scriptam tum lectis verbis, et puris, tum multis, quasi sententiarum luminibus nitentem, quam horridam, et incomptam apud scriptorem magis Pisonis, aut Coelii, quam Livii, aut Sallustii similem. Ac, quando huc ventum est, quid mihi toto in hoc genere accidat dicere non gravabor: si quando enim usu venit, ut mihi narranda sint, quae, ante me, alii sint literis complexi, ita soleo in eodem argumento versari, ut ne verbum quidem mihi effluere patiar, quo ante me esse usos illos animadvertam: non, ut in huius laudis contentione me fore superiorem credam, sed, ut dem operam, ne, in magna latinae orationis ubertate, et copia, videar quae proxima laus est, inferior discessisse. Viderunt hoc incommodum olim gravissimi homines, qui principes sunt historiam scribere aggressi, si incommodum hoc modo appellare oportet, sed non eo tamen sunt deterriti, quominus sibi statuerent pulcherrimo in incepto perstandum. Nam ut quis maxime concedat, aliquando in eo offendi: non illud rei peccatum est, sed eorum, qui hoc munus magis arduum, quam domesticae vires ferrent, attingere sunt ausi. Non enim cuiusvis est, ubi induxerit loquentem aliquem, facile assequi ingenii vi, quid ille pro ratione causae, quam aut defendit aut oppugnat sit dicturus: id quod potuerunt illi mirifice praestare qui scribendi gloria aut apud Graecos, aut apud Romanos homines, Thucydides, Herodoti, Livii, et Sallustii florere. Sunt enim ita communes loci, unde haec petuntur, ut non omnibus datum sit, quod vix assequi pauci semper potuere doctrina, atque ingenio excellenti, illos proprios efficere suos. Sed si qui sunt, qui, ut illi ipsi inge-

nium usu, ut eruditione, usum, et eruditionem ingenio adiuverunt, non mirabuntur, quae inducitur Fabius, adversus Scipionem dixisse, eadem ratione dictante, Livium, oculis legentium subiicere potuisse. Nam si religio est, non iisdem verbis, res easdem referre: quo hoc ferant aequiore animo, levem iacturam sarciant tot commodis, quae inde accedunt: quae nisi maxima, atque insignia sint, nihil causae esse dicimus, cur nostri temporis scriptores reprehendant, et, a quibus illi sunt hoc mutuati, veteres tum Graecae tum Romanae historiae auctores, qui scribendo gloriam eorum, qui res gesserunt, aequarunt. Placet quidem omnibus res Graecorum gestas tum a Xenophonte, tum a Thucydide, et Herodoto scriptas legere: sed non omnibus eodem modo. Nam si qui sunt, quibus sit satis, nosse quid a quoque administratum gestumve sit, neque ulterius munus scribentis exigunt, quam quod ipsi assequantur, iis cumulate suppeditatur quod quaerunt, silentio praeteritis, quae minus ad se pertinere existiment; sin proferendi longius sunt scribentis fines, et ea exigenda, quae doctissimi homines requirunt, ut explicet regum consilia, causas, eventus rerum, tum quibus rationibus his gerendis duces, atque imperatores sint usi, ut ex sententia succederent; quibus iis fuerit utendum, male gesta re, ut laetus eventus sequeretur: facile patiantur, nulla sua cum molestia, ubi ab eodem fonte hauserint, quantum sibi ad explendam sitim, qua tenentur, sit satis, iis consuli, qui ad eundem fontem avidiores aliquanto, quam ipsi accesserunt: ut enim qui parvam urnam ad amnem attulerunt, cum liceret grandiolem, iis non debent invidere, qui grande labrum ex eodem hauserint, sic qui acces-

serunt ad legendam historiam, ubi quantum licuit, sint legendo assecuti, non debent iis invidere, quorum animi capaciores, plura a rerum scriptore, quam ipsi retulerint, et potiora referre. Quasi enim perennis fons, gravis, et copiosus rerum scriptor, ita maiora petentibus subministrat, ut aequè pateat omnibus, neminem eximium habeat, sive multum is poscat, sive parvo sit contentus futurus. Atque hic quidem repetenda memoria videntur, quae pluribus iam a nobis de historiae utilitate sunt supra explicata: quae si quis putat a scriptore annalium patere, et qui rudes rerum commentarios conficiunt, atque ob id nos deterrere a legenda historia conatur; hi non secus videntur reprehendendi, atque qui abstemii natura, a vini usu eos absterreant, quibus et suave gustatu, et salubre sit, modice, atque ex ratione valetudinis sumptum. Quis vero non recte statuatur, eum cruci suffigendum, qui, quoniam ei non datur luce frui, cupiat terrarum orbem, sole sublato, tenebris perpetuis involui? Haec habui, Rex maxime, et fortissime, quae in praesentia de historia dissererem; in quibus si minus aliud, at illud me assecutum spero, quod volui, ut ea ipsa grata tibi iucundaque accideret, quod me praeclare voluisse intelligeres; qua in re magnum fructum laboris, atque industriae, mihi videor retulisse.

---





IOANNIS MICHAELIS BRVTI  
VNGARICARVM RERVM  
LIBER PRIMVS.



## LIBER PRIMVS.



. . . . . quasi rebus cum Germanis, et Polonis compositis nihil praeterea incommodi aliunde esset Vngaris timendum, Ladislaum Regem omni alia cura soluto animo, quiescere, perfunctum illum quidem cum vicinis regibus gravi bello, sed quod prae eo bello, quod a Turca hoste perpetuo immineret, ludus et iocus videri posset. In Budensi Vngariae regia, ubi, quasi in specula, aequum esset regem suo imperio subjectos populos perpetua vigilia, ab impendentibus belli tempestatibus tutos reddere, immersum profundo otio, desiderem vitam agere, atque id adeo classicum canente hoste potentissimo, qui terra copias haberet comparatas innumera- biles, mari instructam ducentarum navium classem; ut cum quid posset terra, marique neminem fugeret; quid vellet non esset difficile ex ratione rerum temporum coniiicere, terra finitimos Vngaros, Venetos maritimo bello peti, quibus quidem ab Aegeo atque Ionio mari infestus immineret. Splendida atque illustria nomina esse, regnare, imperare populis, non secus ac praesides deos ab hominibus in terris coli: sed tantum inter homines honorem, magnam curarum molem comitari, quam qui non paribus viribus ferrent, regio quidem se honore indignos redderent, qui non prius in regni insignibus quam in iis virtutibus, quarum praemium

regnum esset conspiceretur. Haec querentem nobilitatem Bonfinius inducit, atque ita quidem, ut eius rei culpam in eos derivare videatur, qui regem accusarent; cui si fides habenda est haec scribenti, de multorum fide detrahatur oportet, qui iis, de quibus Ungari querebantur consentanea tradunt: cetera quae mox secuta sunt tempora docuerunt, neque eam virtutem Ladislao affuisse, quam illi Bonfinius tribuit, et defuisse constantiam, et magnitudinem animi, quae ubi desideratur in rege, non facile obtinet auctoritatem atque imperium in suos. Namque eodem fere tempore Stephanus Palatinus, frustra rege semel atque iterum edicto regio vetante, circumsessum castellum So.... positum in Corvini ditione, quod in editissimo colle situm (et inprimis) natura munitum, ditionis suae oppidis parum erat opportunum, ut... praefecto praesidii donis in sententiam traducto, ut successori discessurus, oppidum imparatum a rebus omnibus traderet, in potestatem redegit. Anno inde insequenti, qui fuit annus superioris saeculi nonagesimus quartus, maximorum regnorum mutatione Italis semper futurus memorabilis, Ladislaus sive ad elevandam inertiae famam sua sponte, sive suorum consilio id quod vero propius est, Paullum Kinisium, iam vere appetente, in fines Turcarum cum X equitum millibus praedatum misit; qui quidem nemine contra arma ferente, cum Turcae iam coeli tempore soluto amne Danubium transire nequissent, per quinque millia passuum regionem populatus, nonnullis incensis castellis, vastatis agris atque undique ingenti praeda abacta, ne uno quidem e suis desiderato, incolumem exercitum reduxit. Idem, detecta militum coniuratione, qui de tradenda Turcis Alba Graeca consilia agitabant; in potestatem reda-

ctos, cum subiecti tormentis, fassi crimen essent, in-  
 audito supplicio superioribus saeculis affecit: cum  
 vinctos catenis teterrimo carcere asservari iussisset:  
 singulis diebus singulis mactatis, tostas eorum car-  
 nes fame enectis pro cibo apponendas curavit, quo  
 sensus doloris esset acerbior, adiecta contumelia ver-  
 borum, quam suavis cibus palato videretur. Nam qui  
 novissimus relictus nemini erat suis carnibus infeli-  
 ces epulas relicturus, lenta inedia mori est coactus.  
 Valuit quidem atrocitas supplicii ad minuendam in-  
 famiam tam barbarae immanitatis; sceleratis homini-  
 bus, nunquam facile patientibus, nisi suppliciorum  
 magnitudine, a male agendo se abduci. Eodem anno  
 in Illyrio tumultuatum, Corvino duce, ab Osvaldo Za-  
 grabiensi pontifice castella repetente armis, quae ille,  
 quod Zagrabiensis sacerdotii esse contenderet, male  
 a Corvino possessa dicebat. Adiunxerat vero (sibi  
 Corvinus Laurentium ducem Priorem Auranae sa-  
 cerdotium est peropulentum ordini tum Rhodiorum  
 equitum sacrum; qui nunc Melitenses ab insula Meli-  
 ta ordinis sede appellantur) et Horvathum aliosque  
 regulos nonnullos, quorum copiis fretus, victo Osval-  
 do, amissa omnia recuperaverat, pagis omnibus, qui  
 eius sacerdotii essent, foede direptis atque incensis.  
 Quibus cognitis rebus Ladislaus, qui pro eo atque  
 maiestas requirebat (infi)ctam iniuriam Osvaldo in-  
 digne ferret, non solum Corvino infensus, sed iis etiam  
 qui ad arma eunti auxilio fuerant, non dissimulabat  
 scelerati incepti poenas primo quoque tempore repe-  
 titurum. Hinc ortum initium simultatum, quas pessimo  
 exemplo, adversus regem, per imminutam illius maie-  
 statem, Laurentius dux exercebat. Nam, tumido super-  
 bia animo, cum ad indictum a rege conventum, Leu-

choviam principes regni omnes convenissent, unus parere regio edicto recusaverat; quam quidem iniuriam tantam, quamquam alta in pectus descendisset, sibi rex in praesentia statuit dissimulandam, componendis controversiis inter Polonos, atque Vngaros distentus. Iam quod sequitur, inexorabilis odii indicium. Regii quaestoris procuratores in pago quodam, exigendo tributo intentos, superbe regis maiestate contempta, interfici iussit; quod perinde vulgo interpretabantur, ac si regis sanguine manus cruentasset. Neque his Laurentius contentus, quasi sceleris cumulum, perfidiam in regem aequae, et in regnum addens passus Turcas a moenibus Albae Graeciae Pauli Kinisii virtute reiectos, ad D. Demetrium suae ditionis castellum, Savum amnem, quo loco vado transiri poterat, copias traducere; cuius rei non obscurum signum barbari ediderunt. Cum eum tractum omnem, magna hominum, ac iumentorum abacta praeda, rapinis atque incendio vastassent; Laurentii pagis, certis notis appositis, quibus a ceteris dignoscerentur, pepercerunt. Neque hic malorum hostilium finis; milite ad Peto-viam traducto cum, praeter alia illata provinciae detrimenta, ad septem millia liberorum capitum abduxissent, transmissa Savo, abierunt, quicumque aut aetatis imbecillitate, aut adversa valetudine parum essent itineri faciundo apti, in ripa fluminis sectis capitibus, interfectis. Inde in Croatiam digressi cum desertam regionem nacti nihil invenissent, quare moram trahentibus operae pretium exstaret, ne grave impedimentis agmen iter accelerantes moraretur, et alia corruerunt (et) vilem sequentium turbam, in his, infantes, pueros, qui aut morbi tabe confecti, aut enecti fame, gestari nutricum ulnis commode non possent, in-

terfecerunt, in sepes et macerias immanem in modum cadaveribus abiectis. Quarum rerum nunciis, ut aequum erat permotus rex, dimisso Leuchoviae conventu, in Transilvaniam Vngarici regni nobilem in primis provinciam proficiscitur, rerum componendarum caussa, quae, per intestinas principum seditiones, nutare ferebantur. Neque diutius moratus, quam praesentis temporis ratio postulabat, et provinciae status, iusto conscripto exercitu, e Transilvania movit. Inde Themesvarium profectus, cum de ratione gerendi belli, et qua hostem aggredi placeret de consilii sententia constituisset; in inferiorem Vngariam descendit, cupidus sarciendae ignominiae, quae partim praefectorum regionum incuria, partim discidiis regulorum, iam in apertum bellum erumpentium erat accepta duobus ducibus clari nominis Paulo Kinisio, Bartholomeo Dragfio iussis cum XIII millibus equitum in Turcarum fines impetum facere. Qui quidem arma late circumferentes, cum nemo occurreret armatus, qui populabundos ab effusa praedandi licentia prohiberet, omnia belli terrore impleverunt, pagis incensis, direptis oppidis, sacris, profanis locis, nullo discrimine vastatis, unde numquam non certae bellandi caussae exoriebantur: mox cum magnam undique praedam hominum, et iumentorum omnis generis abactam apud gravis armaturae equites deposuissent, quos retro subsistere placuerat, parum excursionibus, et levioribus proeliis aptos; ad Sinderoviam usque progressi, suburbiis ignem iniecerunt, qui in praesidio erant, prae metu, erumpere non audentibus. Ita successu auctis animis, cum nihil obsisteret, magno cum belli terrore, qua infesta signa inferrent, circumvagantibus; quaqua versum per centum millia passuum regionem

omnia igni ferroque, non sine insigni ac memorabili. qua belli vis saeviret, cum agrestium clade sunt populati, cum ex arcibus, et oppidis direptis magnam vim praedae asportassent. Interea rex, qui Vaciae substiterat, non minus sedando intestino bello, quam externo propulsando intentus, de suorum sententia, omnes quorum suspectam fidem habebat, edicto in certam diem proposito, sibi praesto adesse, ad causam graviorum criminum dicendam iubet. Erat vero regis animus maxime in unum Laurentium ducem incensus, neque ille suo ingenio magis, quo nihil mitius erat, quam magnitudine iniuriarum eius, qui nihil sibi reliqui, ad summam arrogantiam, eo spernendo, insectandoque fecisset. Accedebat amicorum auctoritas prudentium hominum, et patriae amantium, qui verebantur, ne per contemptam regis maiestatem, aucta potentiorum hominum audacia, rempub. duce ac moderatore destitutam praedae haberet. Verisimile quoque est, in Leuchoviensi conventu, ab Alberto rege, et ceteris fratribus ad sese respiciendum, et regium munus incitatum, quod quidem diu tueri haud posset, ubi privati, ex illius cessatione occasione captata, magna cum illius dignitatis iactura, regnum pergerent praedae habere: Ita reges decere suo imperio parentes populos temperare, ut qui, unius iuris aequabilitate volentes, et prudentes starent, miti ac placido imperio, feroces, et contumaces, vi, ac supplicii metu in officio continerentur. In unum vero Laurentium omnium fere erant intentae querellae, quem regiae maiestatis patriae, divini atque humani iuris violatorem impune ferre tot admissa scelera iniquo animo ferebant. Namque ad cetera, quae maiore cum invidia commemorabantur, unum, iactabatur, quod



nullo supplicio, quantumvis saevo, atque immani, perinde, atque eius magnitudo requirebat, credebatur posse expiari: pactum cum hoste barbaro, ut, accepto in singula capita aureo nummo Vngarico, pateretur per suae ditionis agrum, Turcas provinciam praedari, ab iniuria, et maleficio in suos abstinentes, a quo tamen scelere non desunt, qui illum longe abfuisse contendunt, contra atque alii affirmant, pretium redemptionis avaro hosti persolutum, ut intactis suis agris, quo visum esset impune excurrere liceret, affirmantes. Iam et par sceleri intemperantia accusabatur; archiepiscopum Colocensem, propter virtutis, et sapientiae opinionem, magnae apud regem auctoritatis, contumeliose, atque inclementer appellasse, et, captata occasione, tria castella Sirmiensis sacerdotii, audita Stephani antistitis morte diripuisse; quae flagitia, et scelera tanta religiosum regem maiorem in modum movebant. Cuius rei Laurentius conscius, quamquam esse regem remisso animo, et magna in suos indulgentia non ignorabat, non est ausus tamen se iudicio sistere, regis edicto evocatus, sed matrem misit feminam lectissimam, et iam exactae aetatis, quae incensum regis animum supplicibus precibus placaret, caussae diffusus, in qua nihil perfugii ad spem salutis, omnia ad exitium, atque interitum prona intelligebat. Nam, et missa ab illo munera reiecerat, et oblatis contra Turcas delectis equitibus trecentis noluerat uti, bellum atque arma moliens animo. Quod cum minime Laurentius ignoraret; oppida, atque arces suae ditionis omnes, Villachum in primis, et maiore militum praesidio, et munitionibus firmat, uxore cum carioribus rebus, et omni familia Nemetuivari collocata, quod castellum positum in Austriae finibus, omnium,

quae illius ditionis erant, situ, atque opere munitis-  
 simum habebatur. Et rex, iam omnibus ad bellum  
 comparatis, copiarum ducem eundem Bartholomeum  
 Dragfium, quo Kinisii collega, paullo ante res erat  
 praeclare adversus Turcas gesta, belli summam cum  
 imperii potestate administrare iubet. Qui quidem bre-  
 vi ad Villachum copiis adductis, quod erat oppidum uni-  
 versae eius ditionis caput, oppugnare instituit, iussus  
 non prius obsidionem soluere, quam captum redigeret in  
 potestatem. Quo in rerum discrimine cum Laurentius  
 versaretur; omni alia spe deplorata, ad Palatinum  
 confugit; illi, ut iam diximus, amicitiae, et affinitatis  
 foedere coniunctum; qui quidem cum negasset se pos-  
 se, salua sua fide, adversus regem cuiquam auxilia  
 subministrare; illud se amicitiae tamen, et veteri ne-  
 cessitudini daturum dixit, ut monitum sui officii re-  
 gem, pro eo munere, quod sibi mandatum esset, cuius  
 in regno summa potestas, atque imperium haberetur,  
 averteret ab armis. Neque secus fecit, quam pollici-  
 tus erat. Et regem monuit ut iudicio, quam bello cer-  
 tare cum regni principibus mallet, et hortatus est, ut  
 se facilem regem suis, et mitem praeberet. Sibi dela-  
 tum supremum regni ius iudicandis, et publicis, et  
 privatorum controversiis, a quo ne liceret quidem ad  
 regem provocare. Semper vero hoc fuisse apud Vn-  
 garos in more, ut si quando esset de capite viri prin-  
 cipis agendum, publico indicto conventu, caussa per  
 centumvirale iudicium cognosceretur: a quo instituto  
 ne discedere vellet, magna cum suorum offensione,  
 illum etiam atque etiam orare. Hac tam superba ad-  
 monitione, quae verbo speciosam officii functionem  
 prae se ferret, ne esset index impotentis animi, et re-  
 gium imperium contemnentis; vulnus, quod nondum

citatricem obduxerat, quasi nova iniecta plaga, re-  
 cruduit, cum regi imperanti, ut a Corvini ditione ab-  
 stineret, superbe parere recusasset. Ita quidem ferunt  
 regem respondisse: Non se esse adeo sui iuris, et con-  
 stantiae immemorem, ut monitore indigeret, quem ta-  
 men recta, et salutaria monentem, pro sua fide, et con-  
 stantia, ultro esset semper, et libens auscultaturus:  
 Sed iustius tamen regem Palatino imperanti non ob-  
 temperare, sceleratum praesertim hominem armis per-  
 sequentem, quam Palatinus monenti regi pridem non  
 paruisset, a vi, atque iniuria abstinere in non meren-  
 tem esset iussus. Iam a regiis capta urbe ingredienti  
 Ladislao in arcem victori, mater Laurentii se ad pe-  
 des abiecit, miserabili habitu, pulla veste, passis cri-  
 nibus, atque omnibus ad commovendum regis ani-  
 mum, sua sponte mollem atque ad misericordiam pre-  
 clivem, compositis, et, Satis, inquit, . . . . tissime rex,  
 ulciscendo iusto animi dolori indulxisti. Vicisti qui-  
 dem, quae ea natura sunt, ut vi expugnari, atque ar-  
 mis queant: sed tibi multo clarior victoria superest  
 tui: vince te ipsum iratum, quem una sola virtus, et  
 magnitudo animi, non tela, arma, non tormenta vin-  
 cere consuevit, et de victa iracundia triumphum age.  
 Condone parentis lacrymis, filii errata in ultimo illius  
 discrimine moerore, luctu, squalore, illuvie obsitae;  
 condona innocentis filii pueri nunc in patris calamita-  
 te suam non agnoscenti, quo illi sit aliquando dome-  
 sticorum malorum acerbior sensus; condona viri er-  
 rata, lacrymis uxoris, quae paullo ante fortunata fe-  
 mina, et divitiis, copiis, clientelis, florentissima, nunc  
 per viri orbitatem imminens sibi suisque exitium, gra-  
 vissimo percussa, atque afflicta casu, deprecatur. Hoc  
 te decus ¶manet, maxime rex, hostium victorem, ut

quos perdidit domesticum scelus, tua clementia conservati, in hoc orbis terrae theatro, testes tuae laudis, et gloriae constituentur; quae numquam est ex profligato, et victo hoste, quam ex conservato maior futura; haec una te virtus, non sceptrum, non orbis, non alia regni insignia dei simillimum reddunt; cuius unius est, ignoscere hominum erratis colligentium ab errore animum, erigere supplices in spem salutis, benignitate, clementia, miseros fovere. Flexerunt supplicis matronae preces mollem regis animum; vincente insita ingenio clementia, quae illum sui esse magis memorem, quam inimicorum cogebat, iustam susceptam in reum iracundiam, et aliorum omnium praeiudicio damnatum et suo, qui pertinaciam sceleri addendo sibi spem veniae omnem praecidisset. Et abiectam erexit, et hortatus, ut bono animo esset, omnia de filio meliora sibi spondere iussit. Etiamsi illum vicisset armis; in decernendo de illius capite, et fortunis, se a iure gentium, et regni moribus non discessurum. Esse centumvirale iudicium, cuius certum ius esset, de iis caussis cognoscendi, quae maiestatis essent, quo filii causam reiecisset, ut nihil suis esset a vi extraordinaria, atque iniuria timendum. His ita gestis administrisque rebus, cum omnia Ladislaus in potestatem rede-gisset, quae Laurentius in inferiore Vngaria obtinebat; Dravum militem transmissum in Illyrium duxit, cetera quae in illius ditio-ne erant occupaturus. Interea non intermittebant Laurentii studiosi homines, cum rege in dies magis de iracundia remittente, agere de illo reconciliando. Movebat, ut sperarent se effecturos, rei miserabilis habitus, qui repente deturbatus ex altissimo fortunae vertice, spoliatus patriis bonis, quae moderatissimo etiam homini spiritus ani-

mosque angerent, de vita, quae una reliqua erat, sollicitus esse cogere; cuius spem nullam in caussa, perexiguam habebat in regis misericordia, quam iustum in illum odium exhauserat. His malis obrutus, cum adeo miserabili habitu parum etiam aequos sibi homines in sui misericordiam flexisset; a rege impetravit, qui cum magno principum comitatu se Quinqueecclesias contulerat, ut pateretur ad se in conspectum adduci. Ita cum, fracta ferocia ad regem perductus, et in gratiam receptus esset; magna principum, et patrum frequentia stipatum, Budam ubi conventum agi placebat, est secutus. Inde peractis de more comitiis, quae Octavarum iudicia vulgo Vngari appellant, duumviri creati, qui regi iam placato, pro reo supplicarent; quem quidem in ceteris facilem, ut spem certam faceret bonorum restituendorum, quod unum enixius poscebatur, non impetrarunt. Veri simile est, duriozem se in eo praebuisse, de eorum sententia, quorum prudentia, et consilio diffisus suo, ius maiestatemque regiam tuebatur. Erat enim verendum, ne restitutione bonorum impetrata, quae in inferiore Vngaria, perampla, ut iam diximus, possederat, cum fortuna mutaret animum; quem adversae res, non vera virtus fregissent, et cum finitimis barbaris coitionem adversus rempublicam faceret, a quo scelere, integris suis rebus, non abfuisset. In eodem conventu seditio inter nobilitatem, et patres orta, quae cum magnas turbas excitasset, aegre potuit sedari. Rex novo edicto, et ad eum diem Vngaris inaudito, ostiarii tributi nomine, in singulas domos singulos aureos nummos Vngaricos imperabat, cum ad vetus institutum regum nobilitas rem revocaret, qui quam facillima solutione in quinque domos, singulos imperare consuevissent. Eo vero

id nobilitas ferebat iniquiore animo, quo rex arctiore vinculo se Vngaris devinxerat initurus regnum; cum in iusiurandi verba adactus, pollicitus esset, se a superiorum regum legibus, moribus, institutis, non discessurum. Cum vero utrumque grave esset, horum alterum postulabat, in exigendo tributo, ut aequae pontifices, atque nobilitas penderent; aut si hoc recusarent, staret rex antiquo regum more, qui non ostiatim, sed in quinque domos unicum aureum nummum Vngaricum imperabant. Cum seditio ita glisceret, ut iam rex patresque vim vererentur; astu, et fallacia elusa nobilitatis conspiratio est. Rex enim pollicitus se nobilitatis postulata non neglecturum; duos e pontificum collegio Dominicum Albensium, Ioannem Vesprimiensium antistitem deligit, magnae prudentiae, et consilii homines, qui de nobilitatis postulatis cognoscant, Protonotariis regni (quos appellant) qui ius regi dicenti praesto esse consueverunt, illis adesse iussis. Ita multitudine deliniri coepta, cum diem de die du cendo morae caussas alias aliis duumviri necterent, frustra ii comitiorum exitum expectantes, quos iam necessariorum rerum facultas deficiebat, dilabi coeperunt. Ad hunc modum amandata multitudine, cum qui manserant facile muneribus, et spe praemiorum conciliati se in sententiam traduci passi essent, decretum per nobilitatis infrequentiam, fraude interceptum tenuit, et, ut rex voluit, in singulas domos aureus Vngaricus nummus, et imperatus est, et exactus frustra qui capita seditionis fuerant contra tendentibus. Ad hunc modum magno restincto incendio, quo paullo ante conflagratura regia credebatur, rex aliquanto sedatiore animo cognoscendis reorum caussis operam dedit, nobilitate in primis sollicita de iudicii

eventu. Ex eo enim apparebat futurum, ut sive severum se atque acrem in noxios, sive plus aequo remissum, mollemque praeberet, aut ius suum in Vngaros in posterum obtineret, aut amitteret. Inter reos maxime scelere eminebat, Petrus Poky, qui maiestatis postulat, infensa maxime nobilitate, caussam dixerat; quae in unius iniuria communem omnium deprecabatur, cum quidem non esset dubitandum, quin si is impune ferret, multi essent futuri, qui, dempto iudicii, atque acrioris animadversionis metu, venalem fidem, poscenti essent pretio addicturi. Pokio prodente, Palatinus, ut supra narravimus, Joannis Corvini arcem occupaverat, insigni regis offensione, cuius maiestatem in Corvini iniuria haud dubie imminutam contemptamque apparebat. Augebat vero eius rei invidiam Palatini dignitas, cuius erant principes partes violatam ab aliis maiestatem regii nominis, et iudicii severitate, et, si usus requireret, armis vindicandi. Ad cetera crimina, quae multa reo, et gravissima obiiciebantur, parricidii accusabatur, cum fratrem negantem cedere paterna hereditate praecipitem in flumen deturbasset, et mox emergere conantem hasta transverberatum interfecisset. Ita reus damnatus, cum nihil illi perfugii in Palatini auctoritate, et potentia fuisset, foedo supplicio vivus in quatuor partes discerptus, et regi et Corvino poenas scelerum luit. Prior Auranae, quo erat eius nobilitas maior, et si sana mens esset, firmiores opes, eo magis regi invisus supererat iudicandus. In Illyrio magnae potentiae regulus, ut ferebatur multa in regem nefarie, multa in deum scelerate admiserat; quorum criminum vim cum multis testibus convictus non sustineret, et ipse multis nominibus damnatus; uno gravissimo maiestatis, quam multis modis violaverat (quo

supplicio affectus non traditur) interiit, magno potentium hominum terrore, quibus domesticae opes, adversus regem, et meliorum consensum extulerant animos. Et saepe ab rege, mobilitate ingenii, atque inconstantia defecerat; ita appetens rerum novarum, ut numquam praesentibus acquiesceret; futuris inhiaret, quamvis multo infra spem positis; et, quod defectio- nem semper impune tulisset; per regis dissimulatio- nem corroborata audacia, ut visum esset, excurrere praedandoque omnia, insignibus provinciam affecerat detrimentis. Accedebat ad ceteram infamiam, ab eodem cusus adulterinus nummus, crimen in hominum societate omni supplicio vindicandum, tum propter violatum in eo gentium ius, tum propter laesam regis maiestatem, cuius nomine, salutari, et sacrosancto populis, ad iniuriam, et maleficium, qui tantum scelus suscipiunt, abutuntur. Tanto quidem flagitio vix se credunt inquinari desperati homines, et qui patriis fortunis malis rationibus dilapidatis, creditoribus palam in conventu decoxerunt. Inde Ladislaus efferri ab omnibus summis laudibus; vindex severus regii nominis, ultor sceleratorum hominum appellari; quorum supplicio improborum licentiam vexandis suis, audaciam contemnenda auctoritate publica, coercuis- set armis, insigni dedecoris nota e regia sublata, quam regis nimia indulgentia cunctatioque inussisset; illu- stri posteris edito documento, animadversionis seve- ritate retineri regum maiestatem; plus aequo mite, ac lene imperium, raro diuturnum rerum potentibus fu- turum; saepe futurum exitio, ni per severam animadver- sionem, efferens sese potentium hominum audacia, a re- rum novandarum studio coerceatur. Nam et Laurentii ducis ferocia repressa armis, et Stephani Sepusii con-



tumacia, aut elusa consilio, aut constantia discussa, apparebat, omnem spem rebus novis studentibus praecisam, quidquam in rempublicam, quo impotentes imperii animi efferebantur, contempta regis auctoritate, moliendi. Insigne vero exemplum ad continendos homines in officio in iis conspiciebatur, quorum erat fortuna excelso loco collocata, quid esset iis pertimescendum, quibus animus magis, quam vires ad perturbandum reipublicae otium suppeditaret: ex his enim alterum videbant subita rerum mutatione paene ad egestatem redactum, quem pater rex in magnis opibus gratia florentem, atque auctoritate reliquerat; alterum, cuius dubium erat potentia maior, an merita in rempublicam haberentur, per Pokii supplicium maiestatis damnatum: cum iudicibus una reum damnandi causa fuisset, petitum iniustis armis oppidum, quod alienae ditionis, Palatino, pretio emptus prodidisset. Eodem vero trahebatur animi contumacia recusantis Palatini parere regis imperio, qui illum ponere arma, et temperare ab iniuria, et maleficio in Corvinum prohibuisset. Iam, quasi in eo non satis esset regis maiestas violata; centumvirali iudicio, cui cum summa potestate praeerat, regem suae cognitioni subiiciendum superbo iudicio censuerat, cum ad eum Laurentius dux, moribus regni, provocasset. Quae omnia ita severe administrata, ne plane in regis laudem verterent, minime dubia fama efficiebat, ea ipsa per eos auctores acta, qui in Matthiae olim regis consilio, magna cum fidei, et sapientiae laude, sententiam de republica dixissent; quorum adhuc nonnulli, multis humanis casibus perfuncti, auctoritate, et gratia apud Ladislaum florebant. Nam quo tempore iniit regnum, vivebant adhuc clari homines rei militaris gloria, et sapientiae

fama, duo Stephani Bathor, et Sepusius, ille, parta memorabili victoria de Turca hoste, in Kinirmezensibus campis, a frugum ubertate, ita patria lingua ab Vngaris appellatis, hic Austria, et Silesia Matthiae regis auspiciis, ductu suo, atque imperio, in Vngarorum potestatem redacta; Paullus Kinisius, cuius in Kinyrmezensi pugna summa excelluit virtus, Matthias Gerebus, Vladislaus Losontius, Bartholomaeus Dragfius, Emericus Drencennius, atque is quidem, cuius virtus dubium sit fuerit in secundis, an in adversis rebus maior. Iam e pontificum collegio summi homines, et quorum exstabant in rempublicam praeclara fortitudinis, et sapientiae monumenta, Vrbanus Agriensis Episcopus, Sigismundus Quinqueecclesiensis, Ladislaus Gerebus Tansilvanus, Dominicus Albensis, Stephanus Syrmiensis, Petrus Colocensis, quorum virtute, et consilio, Matthia rege, et mox Ladislao, quamdiu vixerunt, regnum Vngaris ab omni belli clade invictum mansit; cum quidem frugum ubertate omnium generum, et exterarum gentium commercio, maxime bellicae rei gloria floreret. Horum morte, quasi cum iis reipublicae propugnacula omnia corruissent, convelli regnum, et labefactari, est coeptum; quod nunc mancum, atque externis bellis, et intestinis discordiis lacerum, et divulgum in partes diversas, magis dei immortalis providentia, quam hominum consilio, et viribus continetur. Inde Ladislaus, quasi iam alter factus, cum nullus esset splendor a domestica virtute; ea viventi lux occidisset, qua ad eum diem claruisset; coeptus a suis contemni, atque adeo, ut cum ob nimiam eius facilitatem, nulla iam esset eius apud suos auctoritas, quantus esset rex, non tam ex regii muneris maiestate, cuius, propter ingenio insitam secur-

diam, erat onus viribus gerenti maius, quam ex suorum potentia, auctoritateque intelligeret. Quod tantum flagitium eo maiori invidiae nobilitati erat, unde in multitudinem manabat, quo maiorem sanctioremque regiam maiestatem esse aequum est unius imperio parere assuetis. Neque vero in Vngaria modo, sed etiam apud nationes exteras, erat Ladislai regia infamis. Id effecerant e principum numero nonnulli impotenti homines ingenio, qui, per unius invidiam, magna cum populorum offensione regnarent: imparem enim regio muneri, vix regem agnoscebant, dissimulantem conniventemque in omnibus, in iis saepe, quae parum ex reipublicae usu administratae, ingentem secum molem malorum trahebant. Edictis quidem regiis, sive tributum provinciis, sive militem, sive munera alia publica imperari oppoteret; Ladislai nomen praeferebatur, ut si quid in eo offenderet, id totum in regis invidiam verteret, cuius nominis maiestate abutebantur; regni commodis ipsi, soluto animo, atque omnis curae expertes fruerentur. Neque eorum tamen quemquam fugiebat, quidquid de maiestate regis detraheretur, quo eorum esset flagitium maius, id in eorum dedecus redundare, qui molli, atque inertis obedire inducerent animum: hoc enim a natura homines habent comparatum, quod penitus insitum animis dissimulare haud queunt; ut nati liberi, et sui iuris, nullius in se imperium, quem se esse deteriolem censeant, nisi coacti invitique patiantur. Quae una olim causa fuit, cum aliis nobilissimis gentibus, priscis temporibus, tum principi orbis terrarum populo, hinc desiderio libertatis, hinc odio iniusti imperii vincente metum, principes et imperio simul, et vita deturbandi. Ladislao enim, si parum aptus regno administrando videbatur,

eodem consensu, quo illi regnum erat delatum, populorum conventu, et principum, more atque instituto maiorum, indicto, erat regnum abrogandum: cuius rei exemplum veteres olim Galli prodiderunt, qui, cum diu pertaesum esset secordiae veterum regum, iis ademptum regni ius Pipino Martelli filio detulerunt. Nam et maiorum memoria Venceslaum Caesarem, quod nomine, èt regni insignibus magis, quam virtute summo rege digna, imperii maiestatem tueretur, principes abdicare iussum, honore deiecerunt, in eius locum Ruberto Bavaro surrogato, cui non ita multo post, Sigismundus Venceslai frater melioribus Christianae reipublicae auspiciis successit. Quamdiu vero Vngari, eum regnare paterentur, quem aut contemnerent, aut odissent; vix posse recusare videbantur, quin quaereretur, magna cum eorum invidia, quae caussa iis esset perferendi eius imperium, in quo contenderent, nullam esse iustam caussam regnandi. Neque cuiquam obscurum erat, quae huius incommodi caussa esset: satis enim apparebat, hinc improbis hominibus, quos non vera virtus, sed legum metus, et legitimi imperii coercet, quaeri infinitam licentiam, cum privatim tenuiores vexandi, tum rempublicam diripiendi; quae severo custode, et moderatore careret, rege, cuius unius certum munus esset, cupiditati potentium obviam ire, suscipere publicam rem non audente; quae, nullo malorum vindice, cuius virtute, et sapientia erigeretur, deplorata spe salutis, et libertatis afflicta, prostrataque iacebat. Hanc hominum famam a vero, initio sumpto, quo latius percrebescens pervagabatur, multitudo principum licentiam aemulata alebat; quorum fide, secundum regem, si ulla in patriam pietas tangeret animos, respublica niteretur. Eo

quidem licentiae ventum erat, ut per forum medium eunti, quod ne in privato quidem homine esset ferendum, facere convicium auderent. Nam, et ante ab eo initum regnum, impune in se Boemos bacchantes linguae petulantia, atque audacia non ferenda, facili, et pacato animo tulit, cum Polonam suam, et everrendis haris, quam regno administrando aptiorem, palam vocarent; quam tantam licentiam, cum regii ministri non ferentes, coercere imperio instituissent; usque eo elata multitudo, conviciando, et maledicendo fertur exarsisse, ut ex infima plebe hominem, Polonum genere, ob tam immanem licentiam coniectum in carcerem, missum facere, metu ultimi discriminis victa auctoritate publica, coactisint; cum seditiosis vocibus, ni missus fieret, se carcerem refracturos, et ignes facesque iniecturos minitarentur. Neque in eo tamen constitit multitudinis scelus amentia furentis: dicitur enim homo e populi faece, in regem, qui e fenestra tumultuantem multitudinem spectabat, intento arcu sagittam emisisse, cum pervulgato iam in illum convicio mactandam inertem suam e Polonorum coeno in Boemiam invectam vociferaretur, gratam victimam Hussii manibus futuram, quibus illam parentaret. Sed e principibus, qui eo licentiae perrumperent (non enim omnes, ut nobilitate, ita scelere eminebant) eo invidia maiore laborabant, quo eorum erat conspectior fortuna, et magis quae agerent in hominum oculos incurrebant. Hi regios spiritus prae se ferentes, cum plus nimio invidiosa potentia inflaret animos, quasi in regis contumeliam, longa patientia assueti perferre suorum iniurias, ostentabant, pares vires exercitibus alendis, suscipiendis expeditionibus, gerendis bellis, cum sua sponte certas sibi causas fingentes,

quas speciosas inane reipublicae nomen efficiebat, rempublicam lacerare aequè belli, pacis tempore, quo vis et libido suadebat, non vererentur. Itaque cum unus nomine esset rex; multi conspiciebantur, qui privati nomine, magno cum populorum incommodo regnarent: ut cum in eo, quem legitimum regem agnoscebant, nihil praesidii haberent; eorum perferre regnum cogerentur, in quos male de republica meritos frustra regiam animadversionem, et severitatem requirebant. Ita gliscente in dies licentia, cum omnia auderent, quae cupiditas, et libido suaderet, respublica privatis in medio relicta praedae erat, quae multis aerumnis, atque incommodis vexata, omnibus destitueretur, quibus subnixa antiquum decus gloriamque tueretur. Neque ulla spes erat, in posterum meliorem rerum statum futurum, qui convulsus, et debilitatus, nisi deus immortalis rebus praesens, et propitius adesset, brevi erat futurum, ut ad exitium rueret: certe, ut credendum sit, deteriore si fieri posset, loco fuisse, fidem facit, paucis post annis factum decretum in solenni gentis concilio, quo, magno omnium consensu idem efflagitantium, exteris a regni petitione interdicebatur: cuius rei caussis commemorandis, altero quoque verbo legenti occurrit, reipublicae ruina. pestis, exitium, et, quod crebrius usurpatur, per exteros reges invecta desolatio regni: de quo quidem decreto, suo loco, ubi eo ventum erit, latius agemus. Neque deerant tamen ex amicis viri optimi, quos ad virum clam Anna regina adlegabat, virilis animi femina, et minime potentium hominum cupiditati opportuna, qui de his regem monerent, fore sperantes, ut cum suo ingenio, minime esset aversus a melioribus consiliis, aliquando expergisceretur in eo alte virtus sopita,

quae languentem inertia animum, ad suscipiendam regni curam vehementius excitaret. Haec illi vero prudentes homines, et amantes reipublicae inculcabant. Agnosceret enimvero sese aliquando, et, quod illi esset ab Vngaris impositum munus, unus e multis non prius suorum suffragiis, quam dei immortalis consilio delectus, in cuius salute contineretur tot gentium, et populorum salus; susciperet personam rege dignam: capesseret convulsam, et labefactatam rempublicam, quae invicta ab externo hoste, per unius cunctationem, adducta in rerum omnium discrimen, praeceps rueret ad extremum casum. Non ex imperii maiestate, ditio- nis magnitudine, potentia, divitiis prius spectari reges oportere, quam ex iis virtutibus, quibus a maioribus illa essent parta, sapientia, iustitia, fortitudine, magnitudine animi: quae quomodo desiderari in rege possent, cum ex iis tamquam elementis efficta regis persona, expressaque crederetur; quae tanta esset, ut dei immortalis maiestatem in terris, iure imperii administrando gentibus populisque repraesentaret? Si recta volentem deficerent vires; si se personae maiestatem respicientem, si creditam suae fidei rempublicam id quod dignum se, dignum maioribus esset, destitueret virtus: at excitaretur suorum exemplo, in alieno regno iniustam dominationem exercentium: disceret a suis rex legitimus regnare, qui privati, per suam iniuriam, postestate regia abuterentur; ab iis agnoscere suum ius, quorum ius in vi, atque in armis positum esset: cessuram potentium hominum audaciam, quamquam armis munitam, simulatque pro tuendo imperii iure legitimo, et maiestate regni, augusti in terris honoris, proque salute suorum, quorum caussa, non sua regnaret, arma susciperet; quae numquam suo robo-

re, et viribus magis, quam caussa valuissent. Cur vero desperaret, maiorem vim affuturam, vindicanti legitimum regnum a suorum iniuria, quam appetentibus suis alienum? Inter cetera insignia reges gladium gestare, ut fides esset nusquam tutam vim, aut salutaria arma futura, nisi ubi ea iustum et legitimum imperium moderaretur. Privatos, nisi iubeat legitimus magistratus, non posse inter inermes tuto conspici armatos: satis praesidii privatis adversus vim omnem constitutum, ubi publica auctoritas obtineat suum ius, vigeant leges, iudicia; ubi sit quem improbi horreant, carcer, tortor, secures: ut cum ad vim improbi confugiant, magno argumento sit, quod caussae diffidant, quae sola in legitimis imperiis debeat spectari, gerere illos, et civibus privatim, et reipublicae perniciosa arma. Ita cum maiorum memoria alios, tum patrum aetate, quorum exempla nondum e praesentium hominum memoria exoleverint, multos, per armorum licentiam, iniustum principatum occupasse, et tristem in liberos populos dominationem. Incedere e principibus Vngaris nonnullos magna sua, atque eorum iniuria, quibus regis maiestas sancta sit, regio more, hinc trahentes longo ordine clientium catervas, illinc prae se agentes equitum turmas, et peditum plenissimas cohortes, quorum metu terreant, qui sui iuris memores, privatorum imperium audeant detrectare. His subnixos imperare, edicere, iubere, vetare, plectere, nullo aut census, aut ordinum discrimine, quod paucorum cupiditas, et libido sustulerit. Quae si illi iniuria adversus leges, et per vim agerent; cur ipse legitimus rex agere dubitaret, regni iure subnixus, et magna bonorum voluntate, quorum modo essent iusta suffragia; quique id unum expeterent omnibus votis, ut de medio



sublatis, quorum importuna ingenia perturbarent quietum reipublicae statum, unus modo esset, quem verum agnoscerent regem, cuius fidei leges, regni iura, reipublicae salus, privatorum fortunae, libertas, totius regni incolumitas permitteretur? Haec atque alia multa in eandem sententiam prudentes homines apud regem sedulo agendo, monendo, nonnunquam, et castigando liberius, unum modo efficiebant, ut defuncti ipsi insigni pietatis laude, regis culpam auerent, levio-rem futuram, ubi monitore careret: fovebat enim dies inveteratum animi morbum, cuius tollendi nulla spes esset, stupore animi magis, quam ingenii pertinacia vincente suorum consilia omnia. Iam pridem vero Beatrici reginae, nuptiarum spe adempta, quas illa, ut ferunt, amoris impotens, regni praemium poscebat, quod magnis illi largitionibus conciliaverat, Annam Gandalam ex Gallia, ortam regio genere uxorem duxerat; ex qua postea liberos suscepit, Annam, quae Ferdinando Caesari nupsit, Ludovicum, qui patri admodum adolescens in regnum successit. Beatrix quidem detestata, sub Ladislao rege, privatae feminae fortunam, quam patre rege natam, avo, maioribus, paullo ante Vngari reginam venerati essent, in Italiam rediit: etiamsi minus, per viri indulgentiam tueri iura pudoris visa, luculentum nostris hominibus argumentum ad scribendum domesticis laudibus supeditatura: certe si iis fides habenda est, non illa solum digna visa, quae ob maiorum nobilitatem, Corvini tanti regis, tori consors, atque imperii esset, sed quae, ob domesticam virtutem etiam, cum viro femina virtute, atque animi magnitudine certaret. Ac quamquam inerat in Ladislao a natura stupor, tarditas ingenii, quam in privato etiam damnandam splendor regii no-

minis insigniorem reddebat; non deerant tamen qui illius nomini faventes, insita a natura mentis atque ingenii vitia, illi in laudem vertebant, ratione rerum ita ferente, ut maximarum saepe virtutum speciem prae se ferant insignia vitia, quae illis affinia habentur. Ita, quae inertia, et secordia erat, pacis, atque otii studium ferebatur; mollis et demissus animus, specioso nomine, clemens, placidus, lenis; tristitia, animi angor, curis gravibus semper aegra, et pavida mens, cum timoris argumentum non ab imminente ullo malo, sed ab ingenio exstaret, prudentia, et consilii maturitas, in turpem assentationem hominibus effusis, appellabatur. Quae quamquam rerum peritos homines minime fugiebant, qui haec propius animo intuebantur; insignem illi tamen tribuebant animi moderationem, quae efficiebat, ut minus ingenii labes obsesset publicis rebus. Ita cum sese non fugeret conscius sui, facile inducebat animum, ubi de gravioribus rebus ageretur, meliorum consiliis obtemperare: quae praecipua laus est in homine habenda, in rege praesertim, cui cum summa potestas sit in homines mandata, non saepe a natura inest virtus magnis gerendis imperiis par, cum unus sit, cuius errata, si quid ab eo temere, atque inconsulte agatur, multorum semper incommodo, magna saepe populorum ruina, atque exitio lua(n)tur. Adiuvit diu, ut diximus, hanc regis facilitatem, et moderationem fortuna, raro favens rectis hominum studiis, quae haud nitenti suis viribus clarissimos belli duces, magni consilii, et spectatae fidei homines e Matthiae regis sanctiore disciplina, quo minus succumberet suscepto muneri, suppeditavit: nondum enim plane illa exoleverat, ita a maioribus posteris tradita per manus, ut quasi a natura inhaerentia Vngarorum animis,

labefactari quidem posset casu, tolli nulla ratione posset. Atque eius quidem moderationis fructum ingentem, Ladislaus consensu omnium referebat, cum illi minus, referre sapientiae laudem liceret, quae in rege, et populorum moderatore est prima laus. Nam si quid adversi accidebat, quidquid inde incommodi esset deportatum, eius rei invidiam in eos, quorum consilio male gesta res esset, homines derivabant: si quid recte, atque ex sententia, decus aliorum virtute partum, ad eum perveniebat, qui, cum sibi diffideret, suadentibus meliora paruisset, imperita multitudine spectante magis id, quod iniquissimum est, cuius auspiciis, quam cuius virtute, et consilio res publica domi forisque administraretur. Tutissima vero ratio in magnis gerendis imperiis, ubi offenditur aliena invidia; aliena virtute comparatur laus: quod illis usu venit, qui, quidquid agunt, quod ad summam rempublicam pertineat, de consilii sententia sibi statuunt agendum. Igitur quamdiu domi Ladislai regia fuit sapientium hominum consilio munita; foris res publica per viros fortes administrata: merito dignus visus, qui tanto in terribis muneri praeesset. Hinc, statim a regni initio, victus Albertus frater; Maximilianus tantus regni aemulus, insigni clade accepta, e regno decedere coactus; Alba recepta magna cum gloria, pulsus Turcae e Sabatiae moenibus, atque ad internecionem caesi; postremo Laurentius Bosnae dux, alii ex regis dissimulatione, et domesticis opibus exsultantes ferocia, repressi armis: quae omnia si animi virtus par consecuta esset, non inertia corrupisset; brevi erat eam laudem assecuturus, ut neque Matthiae regi Ladislaus partam fortitudinis laudem, et posteris Ladislao domesticam gloriam inviderent; quibus nunc perpe-

tuis malis, atque aerumnis circumsessis, incolume regnum Vngariae staret; quod ditionis magnitudine, atque imperii a Matthia rege maximum, atque opulentissimum est posteris relictum. Ergo ubi per eorum infrequentiam, quorum consilio res gerebantur, morte aliis, aliis variis casibus sublatis, ii successerunt, qui non aequae, ut personam, et munus, ita virtutem eorum, quibus successissent tuebantur: quae olim in rege moderatio fuit reipublicae salutaris; et regi simul destituito suorum consilio, et suis pariter destitutis rege, quo accerrimo, ad reprimendam sceleratorum hominum audaciam indigebant, exitio fuit: ubi enim unius auctoritate regnum administrari est coeptum, qui ipse aliorum virtute innitebatur: tum vero, quasi regis posita persona, qua tectus multorum conscientiam fugiebat, et nudato ingenio; qui vere Ladislaus erat, non qui esse videbatur, apparere; tum cognitus contemni a suis pariter, atque ab exteris; regnum, quasi capite avulso, deformis corporis truncus, mancum, ac debilitatum convelli, et ruere ad exitium coepit; ne plane everteretur, nullius virtute, et consilio magis, quam dei immortalis providentia prohibente, qui Turcam perpetuum hostem Christiani nominis in illius perniciem incumbentem, longissime ab Europa averterat. Baiasetem enim, regni Ladislai fere initio, postremis temporibus Selimum, Persarum bellum, quorum victricia arma longe lateque Asiae provincias populabantur, ab Europae rebus, quo animum intenderat, avocaverat, magnam occasionem sibi eripi e manibus excindendi Christianorum imperium frementem. Cum vero sua sponte barbarus Vngaris infensus, paratissimis suis utebatur, qui longam expeditionem horrentes animis, longe Vngaricum bellum Asiatico prae-

ferebant; tum quo alacrius gereret susceptum, illi erant omnia, quae in Ladislai consilio gerebantur, ac totius regni incommoda quam exploratissima, plena exploratoribus regia, quam nulla insignis virtus, tam deside rege obtinente imperium, moderabatur: iam enim militia illa, multorum morte exstincta, qua Matthia rege, tot bella praeclare gesta, tot erant victoriae de hostibus partae, nulli fere tum erant in Vngaria gloria rerum gestarum clari duces, infrequens veteranus, et qui plura stipendia, quam belli decora numerabat; novus miles in spem modo militiae auctoratus, ut robur quidem et vires pares ad bellum afferret; animum imparem; qui non a natura solum, ut illa maxime etiam faveat, sed a disciplina rei militaris, atque usu etiam est; fortissimis militibus, quorum aemulatione fieri meliores potuissent, ut sunt res humanae, omnibus iam vitae munere defunctis. In eo vero Ladislaus, et de suis creditus est, et de exteris pessime mereri, quod magnam opportunitatem bene gerendae rei, dum Turcarum regia bello arderet, atque in partes varias distractae vires, levi impulsu labare sua mole possent, magno cum gentis dedecore, corruptam fluere sibi e manibus passus esset. Sed haec quae aliquanto postea acciderunt suo loco ordine commemorabuntur: huiusmodi quidem fuerunt, ut si hoc salva fide, et constantia scribentis liceret, viderentur perpetuis oblivionis tenebris involvenda; Dum componendis Vngariae rebus Ladislaus, omnibus aliis solutus curis, animum intendit; Boemi indies, quorum salus in magno rerum omnium discrimine versabatur, crebris nunciis, et litteris regem urgebant, id quod non semel per legatos egerant, ut difficillimo suo tempore, venire in Boemiam

maturaret. Namque haud ita pridem alii missi in Vngariam oratores, primae nobilitatis homines, cum ob tributum collationem, esset inter regni ordines ingens ortum discidium; quo legatio regi gratior, Boemorum faciliora postulata efficeret; regiae civitatis, et totius adeo regni nomine, et prolixè, et magnifice polliciti erant: Paratos Boemos, sive domi, sive foris, regi adversus communem hostem gerenda res esset, delectorum peditum XV, equitum X millia, tormenta, comatus, atque alia omnia, quae necessaria gerendo bello haberentur, suppeditare. Nam quod Vngaros contumacius regio edicto reclamantes, de tributo queri audissent; Boemos sua voluntate, non semel atque iterum modo id a suis exigi passuros, sed, ubicumque etiam id esse ex reipublicae usu crederetur, cuius unum Ladislaum moderatorem, regemque venerarentur. Iam, et gratias regi egerant, quod, pro sua vetere consuetudine, ac pietate, religionis causam ultro susceptam Alexandro Sexto pontifici commendaverat; in qua una re maxime esse posita regni securitas, et tranquillitas credebatur, cui minus ad eum diem regii ministri prospicere potuissent, per civium perpetuas discordias, quarum nullus finis, rege in longiorem diem, ad suos reditum differente, ostendebatur. Hinc serie rerum proVecti dicendo, et ad preces conversi, etiam atque etiam orabant, ut aliquando induceret animum invisere suos, dum in dies, per regionum dissimulationem, longius serperet intestinum malum, usque eo regno civilibus discordiis vexato, ut ita se ostendere posse sperarent, quae facies rerum in Boemia esset, si negarent, ulla verba a se posse inveniri, quibus eam, ut par esset, audientis oculis repraesentarent. At esse eosdem Boemos, qui in regni

petitione, vix decimum sextum annum natum Ladislaum, Matthiae tanto regi, cuius esset nomen, et fama, magna cum fortitudinis laude apud omnes gentes pervagata, omnium ordinum suffragiis praetulissent: cum quidem ea tum aetate esset, in qua, praeter spem regiae indolis, et maiorum nobilitatem nihil esset, quod petitionem illius commendaret: ut si qui illi essent eximii habendi, nulli verius quam Boemi tanto honore digni censerentur, non Moravi, non Vngari, non alii, qui in illius ditione, atque imperio continerentur. Quem quidem si tam perditae, atque afflictae suorum res ad sui respectum non revocarent, neminem, ubi ab illo discederent, Boemos sibi sperare in magno rerum discrimine positus affuturum. Vnum se illum agnosce- re domesticorum malorum vindicem, ultorem sceleratorum hominum, ducem eundem, regem iustissimum; ut si parum memor sui muneris, et suorum, qui ultro, et volentes se illius fidei permisissent, pateretur a se frustra opem implorare, iam illos, abiecta spe salutis, deserta loca, et solitudines, cum liberis, et coniugibus sibi statuere petendas, ubi extorribus patrio solo, tuto liceret fatum occidentis patriae lugere. Ita vero in rebus hominum comparatum esse, ut, quemadmodum noctis tenebrae, ex oriente sole, mortalium oculis disiicerentur; ita quaecumque mala, discordiae, dissensiones, intestina bella in civitatibus, tamquam noctem, et tenebras offunderent publicis rebus, unius sapientis regis adventu tollerentur, suis redderetur, pax, otium, securitas; quibus rebus magna regna, atque imperia constabilia in terris beata florerent. Hunc unum esse vitae fructum maxime regi expetendum, ut cum unius fidei, et sapientiae esset multorum salus commendata, nihil, se moderante rempublicam iis e-

veniret, qua re ei, a quo essent accepti in fidem, esset eorum salus defendenda: sed si quid iis tamen accideret, quare subsidio indigerent, non esse minus uberem fructum regi sperandum, cuius virtute restituere-  
tur populis salus, quam cuius sapientia factum esset, ut ea ipsa acriore vindice non indigeret. Non credere quidem Boemos sumptu tantum regem moveri: sed si tamen propter rationem praesentium temporum, Vngarica res aerarii angustiis laboraret, id quod aliquando accidere in magnis opibus, et luculentis haud mirum esset; et sumptum Boemos, et cetera, quae regi, quae suis necessaria essent, cumulatus etiam illius spe, ex censu tributo imperato subministraturos. Nullum quidem proclivius beneficium haberi, quam quod ita fieret, ut nullo eius incommodo a quo manaret, in magnum eius commodum redundaret, in quem collatum esset; sed eam tamen esse Boemorum in patriam pietatem, ut etiamsi esset privatis, reipublicae salus, vitae, et fortunarum iactura redimenda, non essent recusaturi. Quae cum ita legati apud Ladislaum agerent; in Boemos saeviebat indies latius impunitatis spe corroboratum malum: cupidi enim rerum novarum homines, per regis diuturnam moram, ut dictum est, turbandi rempublicam licentiam nacti, domi intestinorum discordiis, quibus alendis, ortum religionis discidium abunde materiam subministrabat; foris caedibus, et latrociniis omnia infesta faciebant: quo ea, quae moliebantur, facilius consequerentur, in partem militibus traductis, quorum non contemnenda manus, erat a regiis per pagos, et circumiectas arces distributa, ut provincia hoc praesidio, adversus omnem externam vim, si qua existeret, per adeo turbulenta reipublicae tempora, et adversus civiles tumul-



tus tuta esset: in urbe enim iam inde a Venceslai et Sigismundi tempore in partes divisa, Hussitae crebris concionibus populum ad ius suum armis persequendum excitabant, quem fere habebant in potestate, id in primis agentes, ut regii ministri sibi potestatem facerent deligendi e suo corpore idoneum hominem, qui rebus divinis procurandis praeesset, pontificis titulo honestatus, quo muneri accederet auctoritas maior. Designabant vero minime obscure, eo loco dignum hominem, ut credebant, pontificis maximi hostem acerrimum, quem eo ipso nomine, quod pontificis caussae ceteris vehementius adversabatur, multitudini probari intelligebant, ut numquam antea turbulentae magis, et a quietis consiliis aversae. Erat is vero in primis a facultate dicendi paratus; ut non esset defutura quasi incensa fax ad excitandum maius in multitudinem incendium, quod ut ageret tum odium suadebat, quo infestus ferebatur in pontificiorum caussam, tum imbutus pravis opinionibus animus. Accedebat ambitio, qua malum indies sua sponte recrudescent magis corroboraret: cum speciosum videretur, per populi suffragationem, ad summos honores aditum pateferi infimae sortis hominibus; qui quidem ultro deferebantur non doctis, atque eruditis, sed qui magis disertis Pontifici Romano maledicendo essent. Haec hominum haud occulta studia maxime pontificios movebant, ut eorum postulatis infensius obviam irent, quae contenderent, maxime officere publicis rebus; cum susceptas Romani pontificis partes, hinc religione adducti, et pietatis studio, ut videri volebant, hinc freti regis gratia, in optima caussa constantissimi, acerrime tuerentur. Ita ingens seditio orta pridem a religionis principio, numquam tentatae rei sine in-

genti populorum clade, latius indies opinione hominum proferebatur, singulis adversus eos, qui diversa sentirent, pertinacissime sua defendentibus, non religionis studio, cuius erat levissima cura, sed animi pertinacia, quae mox in aperta odia, et graves simultates, atque inimicitias, qui exitus civilium contentionum est, erumperebat. Varia quidem hominum studia a pontificiis disidentium, unus erat omnibus propositus finis, sublato vetere ritu sacrorum, quae olim sancta maioribus, et magno in honore, et veneratione fuissent, alia sacra inducendi, quae imperiti, falsi praeclaro religionis titulo, facile vetustis patrum sanctionibus praeferabant, quarum iugum populis grave, e cervicibus deiiciendum concionatores, seditiosum hominum genus, multitudini persuadere conabantur. Et potentes homines quidem, quibus ingentes opes spem crescendi per tantam rerum mutationem faciebant, tenuioribus se adiungebant, qui cum optimam in speciem causam complexi, meliores in republica partes se tueri existimarent, non intelligebant, se fovere eorum studia, qui augustum Religionis nomen, cuius palam se vindices ferrent, impiae regnandi cupiditati praetexerent, pervulgata multis via, quam semper potentibus, populi levitas stravisset, sibi ad honores, atque ad extraordinaria imperia aditum aperiendi. Iam in artificum collegia, quae tum permulta in civitate regia habebantur, quasi contagione serpens omni humana ope maior pestis saeviebat, quorum aptiora ingenia in civilibus contentionibus turbando otio, atque agitandis seditiosis habebantur. Eo vero impunitatis ventum erat, ut odio animis exardescentibus, palam in foro, sacris, profanis locis, omni rerum discrimine sublato, consererent manus, caedem facerent, a nullo maleficii ge-

nere temperarent, cum nulla esset magistratus auctoritas, quae populi audaciam coerceret, legum summa contemptio, nullus iudiciorum metus, frustra contra tendente Ioanne Gensone, spectatae virtutis et magni consilii homine, quem Ladislaus arci praeesse cum potestate regii imperii iusserat. Atque ut plane nulla spes reliqua videretur tollendi e civitate indices seditionem ingravescentem, certa utrimque opinio praecepta animis efficiebat, tamquam adversus impios sceleratosque homines, se iustissimas inimicitias persequi, quae eo honestiores credebantur, quo maiore cum pietatis laude, pro Christi religione in parentes, liberos, fratres, violato naturae iure, exercerent impia arma, id illis in concionibus, seditiosis hominibus suadentibus, quibus, ut crederent, imbutis semel prava religione animis, suscepta certa opinio efficiebat, quaecumque docerent, tamquam e coelo demissos homines, e divinarum litterarum oraculis hausta afferre. Huius discidii origo ex Ioannis Vignephi scriptis, cuius tum erat inter sacrarum litterarum interpretes celebre nomen, seditiosi hominis, ut apparet, et per religionis, et sapientiae ostentationem maiora suis viribus molientis. Ea scripta, ut fit, ex Anglia in Boemiam allata, Ioannes Hussius vir, et eruditionis summae habitus, et quem insignis probitatis, et religionis fama vulgo iisdem quaesita artibus commendabat, populo proposuit legenda, usus Hieronymo Pragensi adiutore consiliorum, qui quae is scripta a se traderet, multitudini in concionibus homo cum primis in dicendo copiosus, et disertus susciperet explicanda. Ita cum ingenti hominum plausu atque admiratione, uti fere semper nova omnia, Hieronymi verba acciperentur: brevi Hussius, attonitis magis

pontificiis periculo rei, quam certum consilium expedientibus, id quod imminens e propinquo exitium requirebat, publice docendo populum, singulos monendo, atque adhortando, magnos processus effecerat in magno motu rerum, principibus conniventibus, sive partium odio, quod propius vero est, ut iam diximus, sive religionis studio, quo nihil impotentius hominum animis, ubi semel insedit, haerere animadvertimus. Fovebat inprimis ortum discidium, eorum temporum ratio, et praesens rerum status: qui, ut etiam religionis respectus vulgo homines ad se digna consilia flecteret, per se convulsus labare videbatur; ut minime difficile esset, quorsum res esset evasura divinare. Nam Venceslaus, cui, ut supra docuimus, ob insignem secordiae, atque inertiae opinionem, principum magno consensu imperium abrogatum est, ita se per ea tempora gerebat, ut neque communis salutis, neque maiestatis regiae memor, facile ostenderet, nihil esse praesidii in regis auctoritate, ad consensum multitudinis tollendum, ubi illum non insignis virtutis et sapientiae opinio tueretur. Accedebat ad intestinum malum, tum foedum in Christiana republica discidium, quod iam diu magna cum populorum querela ab Urbano usque VI. et Clemente VII. tenebat, tribus tum Romanis pontificibus Gregorio XII. Ioanne XXIII. Benedicto XI. pertinacibus studiis impium inter se bellum gerentibus: ut numquam, veterum memoria in maiore discrimine respublica versari visa esset. Nam, ne in eo consisteret tam immanis pestis, Christianorum regum praepostera studia, cupiditasque faciebant: quorum, ut quisque iudicio suo magis, quam certa ratione ferebatur, alii Gregorium, Ioannem alii, alii Benedictum pontificem agnoscentes ve-

nerabantur: quae tanta discidia, nisi praepostera pontificum ambitio per sacrosancti concilii auctoritatem tolleretur, videbantur brevi, magno Christianae reipublicae motu in apertum bellum eruptura. Hinc, cum in optima caussa, sacerdotum contaminata vita, et mores impuri, libero populorum convicio, proscinderentur: tamquam inde origo, et caussa eorum malorum esset, quae ab infenso terris numine impenderent: nihil facilius futurum apparebat, quam, ut ea scita placitaque populi amplecterentur, quae hominibus Hussitae concionatores apta futura suasissent, convelendo excindendoque Romano pontificatui, quem semper magna religione maiores viri sanctissimi venerati essent. Inde per Sigismundum Caesarem, ex Joannis pontificis auctoritate, concilio Constantiam indicto, repressa quidem in praesentia trium pontificum ambitio, et, per eorum discordiam exorta in Boemia pestis, Hussio et Hieronymo damnatis, atque ultimo supplicio affectis: Quod tamen tantum abest, ut seditionem restingueret, ut adversarii inde ansam criminandi patres nacti, multo vehementius incenderint populorum animos, cum praeter datam fidem, contraque gentium ius, et divinas, atque humanas leges omnes, quarum se severos custodes ferrent, coniectos in carcerem, et damnatos quererentur. Inde iam facta multo magis plausibilis caussa, cum eorum desiderio homines animis aestuarent, quorum auctoritate longius opinione provecta esset, e praesentibus angustis erumpens victrix, ad gentes finitimas, e Boemiae finibus manavit; id natura ferente, ut quae semel placuerunt, sive specie honesti, sive commodi obiecta, quo maxime homines moventur, multo avidius vetita petantur. In Boemia quidem, Pragae maxime, quae regia urbs, cum

sua sponte est populi frequentia, et exterorum commercio insignis, tum est situ, et loci natura praevalida, mansit diu pertinaciter, manetque ad hunc usque diem eadem de religione sententia insita genti: quae centesimo fere post anno, auctorem Lutherum nacta, acrioris hominem ingenii, universum Christianum orbem est magnis atque insignibus cladibus sensim serpendo progrediens emensa. Tantum quidem Boemorum discidium eo debet admirabilius videri, quo apud illos veterum memoria visae sunt semper Romani pontificis validiores partes; praeter unum Pogibracium, regibus omnibus, quasi per manus, eodem pietatis studio, eas acerrime tuentibus. Ac cum in regia urbe hic rerum status esset: in aliis regni partibus, haud multo res quietiores habebantur, eo acrius incensis ad seditionem animis, quo materia uberior alendae cupiditati obiecta, regios ministros apertiores audacioresque depeculando, dilapidandoque regio aerrario efficiebat; nullis hominum querelis, in quorum oculis regni vectigalia foede lacerata distrahebantur, a scelere eos retardantibus; qui eorum, quae fierent, non regem ultorem horrebant, qui longe aberat, non magistratum, non iudicem, quem infinita scelerum licentia sustulerat. Quae omnia minime silentio praetereunda, res Vngarorum scribenti, cum Boemorum Vngarorumque res tum eodem imperio continerentur, deinceps quemadmodum gesta administrataque sint, videtur ordine demonstrandum. Huiusmodi quidem fuerunt, ni fallimur, ut, propter insignes eorum temporum calamitates, quibus acciderunt, digna videantur, quae nemo a scribendi munere aliena existimet, cui, per hanc rationem propositum sit consulere hominum vitae. Boemia cum ubique feraci solo, et

irriguo, opimos, ac fertiles agros habet, totam regionem nobilibus amnibus interfluentibus, tum montibus metallorum feracissimis; a finitimis gentibus dirimitur, Germanis, Austriis, Moravis, magno populorum compendio, quorum per eam rationem, industria alitur, ac regii aerarii proventu. In his Cuthnenses argentariae, non solum argenti bonitate, quae praecipua est, sed copia in primis, atque ubertate nobiles: cum enim in aliis credatur optime agi, ubi e silicis fracturis, media argenti pars efferatur (quaestus hic magnus habetur) in his tanta vis et copia est, ut non e silice argentum, id, quod in aliis usu venit, sed, quod miraculo etiam propius videri debeat, ex argento silicem scindi oporteat, qui transversus in venarum et fibrarum modum vario flexu errabundus in argentum incurrit. His praecerant regii ministri, tanta apud omnes ordines offensione, et invidia, ut vix illis satis ad salutem praesidii in regis auctoritate esset, quo minus a multitudine concitata, loco deturbarentur. Nulla vero erat potestas maior, quae ad vim, et ad arma spectantem multitudinem a scelere deterreret, magna ex parte ex urbana faece opifices, atque institores; qui pridem relictis tabernis, quae strenuis modo, atque industriis, sunt quaestuosae, otium laboriosae vitae praeoptaverant; cuius dulcedine deliniti potentes homines duces nacti, quibus venalem sicam ad hominum caedem, et domestica latrocinia addicerent, infamis inertiae in magna gladiatorum impunitate, uberio-rem quaestum, curae omnis expertes, faciebant. Rex Cuthnensibus per principum gratiam conciliatus, eius muneris functionem mandaverat; quam quidem iisdem artibus, quibus partam habebant, nulla dissimulatione, in expilando regis aerario versantes administrabant.

Eo vero progressi consuetudine peccandi ferebantur, ut non iam occulte, sed palam, atque in omnium oculis, non iudicium severitatem, non hominum existimationem veriti, quae scirent ad summam rempublicam atque ad regis aerarium pertinere, qui eorum fidei, et sua, et totius regni vectigalia permisisset, impudentissime, quo qua cuique visum esset, asportare audent. Iam operis infensi, agrestibus hominibus, quorum ministerio, ad fodienda metalla utebantur, quod eos minime omnium fugere domestica furta et flagitia intelligebant, laboris mercedem, atque operis negabant, miserorum iniuria, ne ab ingenio discedere, et esse improbi gratis viderentur, turpem quaestum facientes, qui totus in magnum reipublicae incommodum vertebat. Ita et regi peculatus rei erant, unde optima ad praedam materia ostentabatur; et miserrimis hominibus per summam iniuriam, mercedis interversae: quorum squalore, et sordibus nitentes, nequidquam dei, et hominum fidem implorantium splendebant, procul rege agente, in quo tamen, ubi adesset, parum erat perfugii futurum, quo minor eius culpa esset, ferre iniurias privatas suas aequo animo, assueto. Itaque cum diu famem et egestatem passi, omnia alia subsidia, cum spe salutis, haberent deplorata, insigni aerarii iactura opere intermisso, proximum urbi montem, facta secessionem occupant, eo consilio, ut inde collectis animis, in regios ministros impetum facerent, neque prius ponerent arma, quam sibi, quidquid mercedis nomine deberetur, esset ad assem persolutum, nullam vero sibi fortunae iniuriam maiorem acerbiorumque credebant imminere, ubi etiam in salutis discrimen venirent. quam eam, qua in praesentia iactabantur. Qua hominum audacia territi regii ministri,



cum quidem furtorum conscii, non iam solum certos, ac firmos flagitii testes, sed inimicos eosdem etiam, atque armatos non immerito horrerent; audacia, et ipsi in fiducia ostentationem versa, partim Zassaviam, partim Coloniam, quae duae urbes haud ita longe ab argentariis aberant, confugiunt, a magistratu armatam manum hominum, quae paresset Cuthnensium coniurationi opprimendae, postulaturi. Ita, composito inter se consilio, cum convenisset, quid agi maxime, et qua ratione oporteret: a ficto quidem crimine orationem exorsi, sed haud dissimili vero, magistratum docent, seditiosos e rustica plebe homines, qui operar in argentariis locarent, aviditate praedae secessionem facta, ac magna hominum coacta manu, ad Cuthnenses argenti fodinas, regios thesauros praedatum, direptumque venisse. Vim se eorum veritos ad eos confugisse, unde sibi sperarint ad reprimendam sceleratorum hominum audaciam, et ad ius regii aerarii tuendum, auctoritatem viresque haud defuturas. Ni propere ire auxilio accelerarent, non leve incommodum, ac detrimentum, et regem simul, cuius res in primis ageretur et Boemiae populos omnes subituros, qui in regis imminuta maiestate, censerent, publicam causam agi, quae regia potestate, quamdiu esset incolumis, a suorum iniuria, contineretur. Neque eos dubitare debere, quin magnam a rege gratiam essent inituri, ubi is rescisset, suos, quemadmodum eorum virtus, et fides postularet. haud passos esse, regios ministros oppressos scelere nefariorum hominum, nequidquam a se opem auxiliumque implorare. Tanto vero esse gravius Cuthnensium scelus, quanto eorum essent certiores partes, si qui aliunde tantum facinus auderent, pro sua fide, atque in patriam studio, eorum conatibus obviam

ire. His magistratus auditis, cum ut fidem regiis ministris haberent, temporum vis efficeret, quibus leges, et magistratus auctoritas, inter civilia arma, et contentiones silebant; veriti ubi iis ferre auxilium cunctarentur, ne publicae caussae viderentur defuisse: eos bono animo esse, ac de se omnia sperare iubent: quae sua in regem fides, et in patriam pietas postularet, se enixe praestaturos polliciti. Inde, adhibita celeritate, cum multitudine armatorum non contemnenda ad montem, quem Cuthnenses operae insederant, contendunt, atque eum undique, ne qua aditus ad fugam territis pateret, corona cingunt. Mox iis denunciant, ni continuo sui potestatem magistratui faciant ad caussam dicendam, et se ad certam diem iudicio sistant, illos se hostium loco habituros. Nihil poterat gratius accidere obsessis, quam si quibus nihil esset praesidii in vi, atque armis, ubi iis esset utendum, potestas fieret cum regiis aequo iure de communibus controversiis disceptandi, quorum praesertim desperatam caussam, atque omnium pridem iudicio perditam iugulatamque intelligebant. Itaque audita re, pacti se deditibus fraudi non fore, delectos e suis decem tradunt, qui tum apud Coloniensem, tum apud Zassaviensem magistratum, quoad caussa cognita sit, obsidum loco habeantur: neque interea se dicunt recusare, quin de suis ultimum supplicium sumant, ni tralatitia falsaque esse doceant, quae de se ab adversariis sint delata, atque eorum omnia furta, artes, consilia, in omnium oculis aurbusque constituent. Nihil vero sibi facilius futurum, ubi vis absit, et facultas detur cum his summo iure experiundi: effecisse enim provectoris infinita licentia peccandi, ut eorum, quae admiserint, non sint testes defuturi, quantumvis foeda, atque immania, videantur

omnem fidem superare. At regii ministri hoc ipsum veriti, cum se criminum invidiam aegre se posse sustinere sperarent, et caussae diffisi, et multorum conscientia convicti: ad regem, maxima usi celeritate proficiscuntur. Mox facta adeundi potestate, domi fictam fabulam, et iam magna ex parte Coloniae et Zassaviae actam, quid acciderit in Cuthnensibus argentariis docent, multa afferentes, quae falsa quidem, sed tamen similia veri, regi possent verissima videri, cui praesertim non ita esset hominum improbitas perspecta, publici muneris commendatione tumentium; quae res illis apud gratiosos in regia homi(nes) auctoritatem conciliabat. Accedebat, quae numquam a regia abfuit, dira atque importuna assentatorum manus, per quos Ladislao raro cognoscere licebat alia solum, sed etiam quae ad summam rempublicam pertinentia, regem permagni interesset omnium principem scire. Inde improborum corroborata audacia, ad caedes, incendia et nefaria alia, atque immania facinora, quibus perditae civitates, regna, evertuntur, eiectis, quorum virtute et consilio tam immanis pestis tolli posset, sumpserat vires. Ne quid vero ad regem manaret, quod acriter vindicatum, improbos a maleficio retardaret, iidem obsessas regis aures habebant; cum minime ignorarent, se eorum, quae nefarie, ac scelerate agerent, ubi de his esset caussa dicenda, non posse invidiam sustinere; id quod accidere esset necesse, ubi querelis bonorum regis aures paterent; favebant aliorum criminum reis in aliorum animadversione, et poena, domesticorum scelerum vindicem timentes. Adiuwabant in primis regionum caussam e nobilitate gratiosi apud regem homines, quos, ad huiusmodi casus, multis sibi muneribus et largitionibus devinctos,

paratos patronos, si quid accideret, defensoresque habebant. Summa illa orationis: Eos, qui ad Cuthnenses argentarias, operas locarent, cum impetum facientibus in regiothesauros, regii ministri, pro eo, atque aequum esset et eorum fides postularet, arreptis armis obstitissent, facta manu, in vicinos montes secessisse; inde, ubi per regionum dissimulationem liceret firmiter comparatis viribus, quas in magna gladiatorum licentia sibi haud desperarent affuturas, scelerato incepto finem, quem destinassent animis imposituros, quorum audaciae coercendae, cum se esse impares intelligerent, ad Coloniensem et Zassaviensem magistratum confugisse, unde spes propinqui auxilii adversus improborum vim ostenderetur: eos cognita re, pro sua fide. atque in regem observantia cum delectis militum, in montes profectos, nihil tale exspectantes, subito oppressisse, et cum nihil satis adhuc explicati ad incepta perficienda haberent. Hinc mali metu, atque imperio decem e suis dare obsides magistratui coactos; ut fides esset, ubi de iis, quae acta essent rex doceretur iudicio affuturos, dimisisse: qui nisi statuat insontes, pro regii muneris maiestate, severe vindicandum, quid de se ipsi statuam, quibus nihil praesidii in legum et iudiciorum severitate positum intelligant, in posterum non habere. Vnum quidem sibi subsidium reliquum esse, ut, quando regiis ministris propterea sit vitae periculum adeundum, quod regium aerarium diripi impune a sceleratis hominibus non patiantur, destituti auctoritate publica, quam non muniat regii nominis maiestas, regni vectigalia pridem suae fidei commissa, quibus conditionibus conduxerint, regi renuncient, in solitudines, et deserta loca quaesito receptu, et quo non sit nefariis hominibus, ad

maleficium, et iniuriam accessus: id quod tamen intelligerent non sibi maiori calamitati, atque incommodo, quam regi, cuius maiestas esset in suis violata, dedecori futurum. Orare supplices, atque obtestari, ne rex, per suam cunctationem, sceleratorum hominum audaciam patiatur diuturna impunitate maiores summere vires; quos non fides, non officii religio, non studium pacis, atque otii deterreat a nefariis et perditis consiliis: quibus si liceat tantum facinus ferre impune, non sit animus ad maiora aggredienda defuturus. Dandam operam esse ne regis lenitatem, quae sit populis salutaris, legibus temperata, et iudiciorum severitate, improbi indies, ea licentius abutendo, in reipublicae perniciem convertant, quae in legum arce, civium olim concordia munitissima adversus improborum amentiam, atque audaciam diu manserit invicta. Eiusdem vero regis esse, et lenitatis partes, et severitatis, ubi reipublicae usus requirat, ac temporum ratio, praestare: ea quidem tempora esse, ut indigeant severo legum custode, quarum maiestatem, ubi scelerati homines sibi statuunt contemnendam, iam illud futurum reliquum videri, ut populi, relictis patriis sedibus, eo confugiant, ubi plus leges, et iura gentium, quam vis, et sceleratorum arma possint. Privatis quidem illatam iniuriam posse aequiore animo ferri (ad unum enim, aut ad alterum pertinere): regi illatam, in cuius maiestate periclitetur multorum salus, nec posse ferri, nec debere. Enimvero res visa, ut par erat, et regi simul, et iis, qui regi in consilio aderant, cum severa animadversione digna, tum quae plurimum momenti haberet in tam turbulentis temporibus, ad improborum aut reprimendam audaciam, aut fovendam, promovendamque, sive eam rex, pro sua

consuetudine, ferret remissiore animo; sive pro imperii maiestate et praesenti rerum statu, severe, atque acriter vindicaret: ad tempus enim efficta oratio, cum nemo adesset, qui miserorum caussam tueretur, multi qui insontes oppugnarent, quorum gratia accusatores nitebantur, facile potuit regem etiamsi minus suo ingenio acrem, ab insita animo facilitate, atque ignoscendi consuetudine abducere, quo illum natura inclinabat. Igitur pronunciat de consilii sententia, ut quam primum de iis, qui sunt in potestate, non iusso magistratu caussam cognoscere, re in posterum pessimi exempli, non tormentis quaerere, non rogare testes, quod iniquissimum est, indicta caussa, tamquam de convictis maiestatis, supplicium sumant: qui fuga voluntarium sibi exsilium consciverint; iis esse ratum exsilium iubet, poena gravi adiecta, si quando in potestatem veniant, per aliorum supplicium omnium praeiudicata caussa, ut capite plectantur. Ita miseri homines, iniquo iudicio circumventi, innocentes, innoxique, ingenti regis invidia, et populi offensione, ultimo supplicio afficiuntur, quod, omnium acerbissimum est visum per eos damnati accusatores, quorum scelera nullo supplicii genere satis expiari posse crederentur, insigni quidem futuri documento, nusquam minus tutam innocentiam, quam in regia esse, ubi plus quam aequitas, et ius, paucorum gratia, et potentia possit; id quod accidat oportet, ubi rex non ita obtinet suum ius in suos, ut quidquid de illo detrahatur, sibi privati sumant: qui quidem peccant tanto maiore cum regum invidia, quanto eorum sunt certiores innocentiae tuendae et nequitiae vindicandae partes. Sunt qui suspicentur, regem veteris offensionis memorem, lenitatis et moderationis

suae, cognoscenda innocentium caussa, minus rationem habuisse. Nam regni initio per religionis discidium in partes diversas distractis hominum studiis, Cuthnenses operae, ut iam commemoravimus, quo se receperat rex, impar urbano motui sedando, facta manu, minati erant, se in regiam impetum facturos, ni magistratus sui ordinis hominem missum faceret, qui, quod regi erat conviciatus, comprehensus et in carcerem conditus, ad supplicium asservabatur. Vnus ex iis, de quibus erat supplicium sumendum, superstes, defesso carnifice, ut dicitur, aliis mactandis, cum laxioribus vinculis adstringeretur, fuga elapsus, et regionum nequitiae, et suorum calamitatis luculentus futurus testis, incolumis evasit. Haec aliaque multa genera malorum, quibus laborabat Boemiae regnum, ut tandem exoratus rex induceret animum in Boemiam proficisci, omni alia cura in praesentia omissa, perfecerunt. Ita, certo die Vngaris dicto, quo die sibi Buda discedenti praesto essent, Boemos, ne imparati opprimerentur, de suo adventu, deque iis, quae agi, et constitui placeret, quorum caussa accerseretur, fieri certiores iubet. Certatum ferunt inter Boemos, et Vngaros ingentibus studiis de splendore, et magnificentia apparatus; his assectando, et deducendo rege, illis excipiendo nihil sibi reliqui ad celebris pompae spectaculum facientibus. Erat vero regius comitatus principum nobilitate et frequentia imprimis spectandus, maxime tum florentibus in Vngaria et publicis, et privatis rebus, ubi vis et conspiratio improborum facesseret, quae iis plurimum officiebat. Ita vero Vngari Ladislaum contemnebant, ut in eo ipso tamen videri vellent, non Ladislaum, sed Vngarorum regem honestare, quo colendo, atque augendo

omni genere honoris, tueri se gentis decus existimabant. Conspiciebantur nobiles homines, patrio more, longis deducuntibus elientium, atque amicorum agminibus, insidentes Thraciis equis, et generosae indolis, quos aureae phalerae ornabant, variis lapillis, gemmisque collucentes; ut non Vngari magis cum Boemis de pompae apparatu, quam inter se ipsi de magnificentiae laude certare viderentur. Honesta vero contentio, et in pari nobilitate, index magni animi, pro gentis gloria, adversus nobilissimas nationes suscepta; certe aequae apta in primis tum ad concilianda, tum ad retinenda populorum studia, qui rerum specie magis, quam rebus moventur. Multa vero in eo consequentur: nam et regi, cuius ipsi gloria splendebant; et patriae, id quod erat cunctis praevertendum, et vero suis privatim erant ornamento; quo non illi ambitiose minus, quam in gentis decus, et gloriam animos intendebant. Incedentis regis latera duo pontifices tegebant, Variensis, cuius sapientiae fama celebris, religionisque ferebatur, et Agriensis, magnae idem in regia auctoritatis, et apud omnes ordines gratiosus. Hos alii eiusdem ordinis sequebantur, tum virtutis, atque integritatis opinione, tum gratia et auctoritate insignes: ex his enim pridem in pontificum collegium cooptatis fere sanctius regis consilium constabat, principibus raro in aula frequentibus, quorum nobilitas et splendor officere nitentibus domestica virtute, et religionis commendatione videbatur. Ita illi vero populis apud Vngaros sacrosancti, ut nobilitas in praecipuo honore haberetur. Iter Ladislao in regni fines ingresso, sacrae pompae persimile fuit. Quaecumque enim incedebat, ingenti frequentia ex oppidis effusa multitu-



do, cum coniugibus, et liberis, laetis omnibus, atque acclamationibus advenientem excipiebant, tristitiam, squalorem, luctum exedentem animos ex tristi recollectione malorum, quae ad eam diem erant passi, spe certa salutis discutientes. Aliquot iam annos a Boemorum regia abfuerat, ut magis desiderio absentis, in perditio praesertim reipublicae statu afficerentur; quem unum non male credebant, si par virtus dignitati regiae adesset, sua sapientia, et consilio posse domestica vulnera sanare. Accedebat ad hanc hominum spem, amor in eundem susceptus a primis usque regni initiis. Adolescentem e Polonia accitum, florentem aetate, et maiorum gloria quasi in sinum acceperant, ad patria instituta, et mores conformandum: quo tempore, si quid vitii tamquam a stirpe existeret, ut minus eo offenderet, adolescentia faciebat, cum lenitas morum, et clemens, ac facile ingenium, quo nihil in rege plausibilius habetur, apud multitudinem eum amabilem redderet. Itaque una, atque eadem omnium vox exaudiebatur, deum immortalem precantium, ut praesens suis propitiusque adesset, regi optimo in primis, quem sperarent, benigno numine Boemiae populos aliquando respiciente, tot, tantaque mala sublaturum, quae domi, foris, a suis aequae, atque ab exteris ad eum diem perferrent. Brevi fore, ut paucorum conspiratio sceleratorum hominum, qui per falsam religionis speciem reipublicae insidiarentur, fortissimi regis constantia convulsa disiectaque dilaberetur. Iustissimum regem miserorum suscepturum caussam, quibus nihil praesidii, aut spei in legum, ac magistratum auctoritate relictum esset. Ita fore, ut per civium concordiam, et iuris aequabilitatem, licentia peccandi repressa, improbos in officio contineret,

qui e suorum aerumnis, et reipublicae ruinis, in patriae perniciem sibi vires, et robur sumerent. Inde Ladislaus Pragam invectus triumphantis similis, non vere minus ad religionem compositus, quam hominum opinione, et fama ferebatur, ad Venceslai praesidis Pragensium numinis contendit, a religionis commendatione auspicandum primum in urbem ingressum arbitratus. Hinc humi ad aram prostratus, egit deo immortali gratias venerabundus, quod sospiti, atque incolumi ad suos pervenire, tot annos ab iis supplicibus votis expetito, ac maxime eorum necessario tempore licuisset; simul caste, et religiose precatus, ut, quando hoc unum maxime semper in optatis habuisset, ut dies sui adventus, laetus Boemis salutarisque illuceret, iis, voti compos, republica constituta, et pace reddita populis, relinqueret discedens perenne desiderium, et gratiam perpetuamque memoriam sui. Mox sacris regia pompa, et stata caeremonia peractis, magna populi frequentia, universis ordinibus prosequentibus, in arcem conscendit, omni genere honoris, et magnificentiae a principibus exceptus: cum nulla in re, quae studii in regem et pietatis significationem haberet, Vngaris concederent, et quidem quos aemulari facilius quam consequi, superare nullo modo posse crederentur. Mox perpaucis diebus ad quietem datis, ad publicas res ordinandas, cuius unius rei causa venerat, cogitationes omnes convertit. E quibus cum corrigenda multa, tollenda alia, moderanda fere omnia essent, quae aut regis indulgentia, aut licentia regionum corrupisset, facto a rebus divinis initio, quibus improbi homines impiam cupiditatem tegebant, religionis statum civilibus dissensionibus nutantem novis legibus sancire, firmareque constituit, cum morbum per

se gravem, diuturnitas temporis, et populi pertinax studium opinione omnium validiorem reddidisset. Nam legum auctoritas, cum regis maiestate iam pridem apud maiorem multitudinis partem exoleverat, quae Hussitarum factioni addicta, atque aliorum qui a pontificis romani praescriptione atque imperio defecerant, contemnebat eorum auctoritatem, quorum de religione iudicium semel erat aspernata, in qua una positam credebant notam iusti, ac legitimi imperii, neque illi quidem male. Nullum vero certius argumentum prave homines de rebus divinis sentire, quam ubi ea decreta, et scita probent, quae detrahant de legum auctoritate; quas ita magistratus temperat, et moderatur, ut divinae mentis idem interpres, deum rectorem humanarum rerum referat in legibus vigentem: ut nihil aliud sit, non agnoscere legitime imperantem, quam, sublato numine e terris, cum religionibus omnibus vitam hominum eversam, atque extinctam velle. Male quidem cum hominibus agatur, ubi multitudo in magna rerum licentia sibi permissa, non iudicis metu, sed religione, a male agendo deterretur, quam raro non contemnit, ubi datur cum compendio facultas peccandi. Quae vero pars pontificiis adversabatur, cum vehementius insultantibus in sacerdotum ordinem, Boemi principes vires subministrarent; multa adversus eorum commoda moliebantur hinc elati odio, quod dies alebat, numquam deficiente materia seditiosos homines in adversarios furendi, hinc haud dubia spe, ubi per hanc rationem disiciendos pontificios curassent, in eorum sacerdotia invadendi, quae opima et peropulenta possideri ab inertibus atque impuris hominibus, seditiosis vocibus que rebantur, errore imperitorum, per obiectam religio-

nis speciem, divinarum atque humanarum legum contemptores, impudentissime, ad privatum quaestum abutentes. Ita rex motus pontificiorum querelis sacrosanctas aedes, et religiosa loca alia, quae ferro atque igni miserandum in modum erant deformata de integro instaurare; et redigere in pristinum statum splendoremque constituit, cum illi quidem contenderent hoc esse unius regis munus, cuius sancta populis maiestas, et summum esset in homines imperium, templa et sacra loca, sarcta tecta adversus hominum, et temporum iniuriam praestare: quorum religionem nisi castam inviolatamque homines haberent, haud facile ulla, aut magistratum, aut legum vi in officio continerentur, raro domestica disciplina, et liberali educatione, cum ad ceteram vitae, et morum elegantiam, tum ad virtutis, et honestatis decus homines perpoliente, nisi esset cum religione coniuncta. Spectabantur vero in templorum et sacrarum aedium vestigiis, quae fere eversae, ac solo aequatae tristem quandam, et miserabilem urbis faciem prae se ferebant, alterius factionis, quae superior viribus erat, barbarae immanitatis, et saevitiae; alterius verae pietatis insignia documenta, si quis ex vultu, atque oris habitu, querentium interiorem sensum, atque habitum animorum aestimaret: quae enim a primis annis vitae praecepta a parentibus una cum nutricum lacte imbibissent, ita alte haerebant animis, ut vix ab illis avelli sine ingenti doloris sensu possent, ita affecti, ut satius ducerent, vitae munere per voluntariam mortem defungi, quam per violata eius religionis sacra, quibus alti educati-que essent, vita frui. Iam sacerdotes, et ministri sacrorum induti obsoleta veste, oculis, atque animis in ruinis templorum defixis, plorare commune fatum

conspiciebantur, et quidem in eorum querela, et luctu adversariis magno cum eorum contemptu et ludibrio, scenam eorum malorum, quorum auctores fuissent spectantibus quae res miserorum calamitatem in immensum augebat. Vna vero reliqua ratio leniendi eorum desiderium, quae amisissent; susceptum dolorem animis, ex iactura carissimarum rerum, fletu, et comploratione testari: quod quidem magna cum adversariorum invidia accidebat. Eodem modo eiectae sacris locis nobiles virgines, quibus se a prima aetate devovissent (cum lectae a suis divinis rebus procurandis, et virginitalis honore, et gentium iure sacrosanctae haberentur) infestas propinquorum domos, dies, noctesque querendo plorandoque reddebant, praedae adversariis relictis opulentis sacerdotiis, quorum fructibus expositae procul a virorum conspectu, pro populo castis votis precibusque operantes, ali consuevissent. Bella ad interneccionem gerentibus sancta esse adversus hostes religionum iura: ut cum odii magnitudinem victores, ferro victos caedendo, urendo agros, excindendo urbes exhausissent; parcerent tamen sacris aedibus, religiosisque locis, iis in primis, quibus ad dei immortalis numen placandum sacrae virgines rei divinae operam darent, quas non religio solum, sed sexus imbecillitas etiam, adversus hostiles iniurias, communi omnium gentium iure, consensuque tueretur; et recte illi quidem; ne, si minus his conservandis rationem haberent suae humanitatis, viderentur adversus gentium ius, et Christi religionem sanctissimam, quam venerari homines caste, et religiose decet, impium bellum gessisse. Enimvero tetrum, immane, dirum et nusquam in terris aut visum, aut auditum nefas, quod impune Boemi, violato gentium iure, quo maxime ho-

minum vita staret, in eos exercerent, quibus patria caritas, ut persoluerentur omnia pietatis officia postularet. A civibus suis, multis affinitatis, et coniunctionis vinculis secum coniunctis, usque eo illos, et sui et suorum immemores esse, sacras deo virgines, non posse ullis precibus, non ulla iniecta religione, extorquere, ut a dei immortalis delubris, et sacris altaribus impias manus abstinerent, quod ab externo hoste, cruento interfectorum sanguine, victi bello impetrarent. Atque eorum permultos, quos in se adeo immanes experirentur, quo eorum magis videretur inexpiable scelus, aut in filias parentes, aut in sorores fratres saevire; cum unum esset tamen, quod ab illis poscerent, ut, nullo cum caussae detrimento, quam armis tuerentur, paterentur se, quo loco sacrosancta maioribus caeremonia, deo immortalis volentes se, prudentesque addixissent, animam efflare. Non se mortem, non servitatem, non cruciatus, non quae essent extrema homini in vivendo, deprecari: unum hoc poscere, ut vitam nullo suo merito suis gravem, quando nullum aliud in terris miseris effugium pateret, deo immortalis reddi inviolatam liceret, cui illam consecrassent. Quid vero non se passas esse? Quod iniuriae genus, quod contumeliae, quas indignitates, quos animi, mentis cruciatus, quae mala, quas pestes non pertulisse? cetera se ommittere, atque adeo quamvis foeda, indigna, et non ferenda aliis, unum se pro sua pietate erga suos non posse ferre, quod patria habeat, cum privata multorum calamitate coniunctum; per impiorum hominum scelus, Boemorum genti perpetuam inustam notam barbarae immanitatis; ut in suos cives, quasi in sua viscera saevientes, prae se, ultimos scythas, mansuetos mitesque ostendant, qui

omnium hominum crudelissimi habeantur. Quo sicariis, latronibus, parricidis pateat tutus ad salutem receptus, a sacris adytis, et sanctissimis Christi penetralibus, per vim avulsas se, et iactatas per summam iniuriam, non luctu, non squalore obsitas, suis inhiantibus innocentium sanguini immanem sitim explere potuisse, quorum fortunas et copias, impia cupiditate incensi exhausissent. Atque hac quidem pontificiorum querelae, quae per se graves multo graviores regi videbantur, qui ultra vota poscentium opem, atque auxilium causam tuebatur, non obscure iis infensus, quorum adversam de religione sententiam, ita a parentibus a primis annis educatus, maxime improbat. Inde se convertit ad res forenses constituendas, quae, omni sublato discrimine rerum, cum neque ullus magistratus esset, qui ius diceret, nulla iudicia, pro lege libido, atque immanis rerum omnium licentia haberetur, tamquam per longum annorum spatium iustitium tenuisset, afflictas, et prostratae iacebant. Ac quoniam inter utriusque factionis homines novae quotidie controversiae de privatis rebus exoriebantur, his res repetentibus antiquo possessionis iure, quorum praescripta dies legibus exisset, illis tumentibus usucapionis ius, ac veteris usurpationis, de iis ita statuit, ut quae quisque possideret, certo legibus praefinito tempore iis quidquid minus possidere aequo iure, atque ex legum praescriptione dicerentur, fraudi ne esset; cum ita edixisset, sine multorum iniuria fieri haud posse, uti ea bona ullo civilis iuris titulo repeterentur, aut donationis, aut testamenti, aut dotis, aut alieni aeris dissoluendi, venditionisve, quae aut addita privatis, aut multae, proscriptionis, tributii nomine emancipata, regi, in alienum ius abiissent. Ali-

orum omnium licentiam, quae fere consequi lites, et controversias civiles solent, in primis inter se ingerendi probra, convicia, maledicta, et alia contumeliosa verba, gravi, et severo edicto coercuit, vetitis, quidquid esset, qua de re, caussa religionis dissiderent (neque vero aliunde exstant magis capitalia odia) quidquam, quo cuiusquam existimatio laederetur, inter se probro dare: quod ad eum diem, tamquam maledictis non caussa certarent, magno privatorum, et reipublicae incommodo, immanem in modum promiscue cuivis liberum fuisset. Atque ut pietatis cultus regia magnificentia splendidior, atque augustior ad veteris religionis respectum multitudinem revocaret; pontificiis sacris iam pridem desuetam aedem urbis maiorem magnificentis, atque opulentis donis locupletavit; auri et argenti caelati magna vi; e regia suppellectile, multa sacra veste, aulaeis, pictis tapetibus, Damasceno, ac Memphitico opere; peritis musicae artis hominibus undique accitis, qui statis horis, dum sacerdotes operarentur, sacris assistentium aures animosque demulcerent: quibus ipse frequens, ubi per publica negotia liceret, quae tum multa urgebant, voluit interesse. Haec iidem Hussitae concionatores palam in foro, in sacris aedibus, et frequenti populi conventu iactabant: Cum aliae rationes deficerent, adversus Christum gerentes bellum, quarum nullam sibi reliquam fecissent; ad hanc unam, frustra tentatis aliis, descendisse, ut, per infamam multitudinem multis illecebris delinitam, proiectam, ac desperatam caussam, adversus bonorum consensum tuerentur; qui numquam essent suae fidei, et religioni defuturi, quantumvis elati adversarii odio, aut occultis insidiis, aut aperta vi contra adnixi obsisterent, deo facile suam caussam adversus impiorum consilia, et vim



omnem defendente. Sed posse multorum sensum falli, qui mentis et consilii expertes et ipsi se, et eos ignorant, quibus ducibus utentes ad fictae pietatis, et religionis cultum temere ducerentur: rationis vim in iis vigere, quorum mentes, disiectis errorum tenebris, semel divini numinis splendor illustrasset; ut et agnoscerent, quem pietatis cultum deo immortalis deberent, et, quae se digna essent, vitae instituta rationesque sectarentur. Musicos cantus, pompam sacrorum, accensa funalia, strata templa picta veste, atque intertexta auro, incensos odores, reliquum sacrarum aedium apparatus, regii luxus, et magnificentiae ostentationem habere: condi templa deo immortalis in mentibus hominum multo his angustiora: in quibus nihil esset quod sensus.....dine deliraret, omnia quae vera religione pectora implerent, qua deum in terris colere homines, et venerari par esset. Nam cetera eos captare, qui ex Epicuri schola non ex Christi disciplina sanctissima sibi in voluptate statuerent finem beatæ vitæ. Labantem pontificiorum causam, ut cetera abessent, neminem magis, quam regem iudicare ruituram qui eam præstare suis inviolatam vellet. Non adeo levibus subsidiis fulciendam Christi. causam, ut videri pontificii vellent, qui paupertatem amplectendam animis, innocentiae vindicem, aversandas voluptates, delicias execrandas docuisset, per quas raro pietatem ei colere licuisset, qui vere Christianus esse non nomine modo haberi vellet: castis precibus, supplicibus votis, conformandis ad pietatem animis, sanctitate morum, deum coli; non litari sacrorum ferculis, non signis e marmore, aut aere, non tabulis pictis egregii artificis manu, non cantus suavitate, quae imperitorum aures tenerent, non instructis aris regio ornatu, non templis

auro stratis, quae quidem regiae opulentiae argumentum, non iustitiae, pietatis, religionis haberent. Neque vero his tegi, quod unum propositum haberent, sacerdotum flagitia, sed nudari: quorum ratio eadem morum, et religionis haberetur: posse offundi tenebras imperitis, quorum oculi non essent ad ea exploranda, cognoscendaque eruditi: non posse eos alucinari, quorum mentes haud perstringerent adversariorum fallaciae, tectae speciosis nominibus religionis, et pietatis, quibus per aurium, atque oculorum ludibria imbecilles animos circumretitos, inducere in fraudem consuevisent. Tot iam saecula sceleratos homines regnare, non caussa fretos, quam nullam haberent, sed partim ignorance imperitorum hominum, quibus pro ratione auctoritas, falsa imago rerum, atque umbra pro solido esset; partim sapientium dissimulatione, qui quiescerent; ne si contra obfirmatis animis, minus, quod contenderent assequerentur, aliena culpa redderent bonorum caussam infamem, quae re, non opinione hominum inniteretur. Fallacibus et captiosis nominibus, quando verae, et solidae res essent nullae, rebus inanibus impositis, falsam multitudinem assueferi probare noxia, salutaria aspernari; ut qui fereulorum, quae salubria essent reiicerent, sensu e gravi morbo depravato, peterent quae pernicioosa essent, non rationem, sed palatum consulentes. Cuius multitudinis peccatum, quo levius haberetur, eos efficere, qui monitore carentem, et certo duce, offusis ultro erroris tenebris, in certum exitium ruere sui impotentem paterentur. Hoc enim agere Christianae reipublicae moderatores, ut per totius Christiani orbis ruinam sibi aditum sternerent ad summos honores, malis artibus partum regnum, et multorum errore, et opinione constabilitum, sibi perpetuum efficerent. Quantum vero

hoc scelus videri debere? in foro ubi ius, fasque coleretur, et vigeret magistratus, et legum auctoritas, eos damnari, qui abutentes regum maiestate, per eam homines in errorem impellerent: hos ferre impune, qui falsae, et commentitiae religionis lenocinio, magnam orbis terrarum partem, ut esset in quos impiam tyrannidem exercerent, in exitium traherent. Ac praeclare quidem cum hominibus posse videri agi, si contenti impunitate peccandi, ulterius non progredierentur: quod omnium indignissimum sit, sceleris praemium poscere, cuius quidem magnitudinem si ulla religio esset, quam homines colerent, nullo supplicio expiare possent. Satis longe, ad impium quaestum intentis animis, hominum errore processisse: eorum pridem artes, et fallacias, detectas; exploratum, quibus praestigiis uterentur, ad captandos animos imperitorum: conspici diffuentes deliciis, refertos voluptatibus, saginatos regiis epulis, nitida cute, quae index esset, otio, et desidia animis luxuriantium, atque adeo, ne quid ad summam nequitiam deesset, in magno omnium fastidio, prae se omnes contemnentis; quibus ne hiscere auderent, immanem, atque importunam dominationem tectam auctoritate divina ostentarent, quod dictu exsecrabile esset, religionem conciliatricem, et quasi lenam domesticorum flagitiorum facientes, omnium religionum hostes quas homines colerent. Itaque qui nossent quae impune, et nefarie palam in deum, in homines admitterent, eos, quae oculis atque auribus tenerent, cogi dissimulare, fateri se oculis, auribus captos, carere communi sensu: atque hoc quidem, ne parum opportuni interpellatores de his querendo expostulandoque, beatis hominibus, qui ne minimum quidem de suis deliciis, et voluptatibus peractum vellent, negotium exhiberent. Nulla edicta regum, nullas

veterum sanctiones, nullas leges quantumvis severe laticas, aequae atque imperium religione septum, in terris homines horrere. Sperare improbos, quae impie agerent, efficere astu et calliditate, ut iudicem, ultorem scelerum fugerent, quo minus pro male factis, poenas meritas luerent, ita legum et iudiciorum severitati illudentes. Romanis sacris initiatum hominem unius religionis vinculo populos omnes habere devinctos, qui Christianum orbem colerent, ut ni ultro aperirent, nudarentque omnia, quae agerent, non admotis quaestionibus, non tormentis coacti, crederent se beatæ vitæ spem omnem habere deploratam: scilicet, quo arcanorum arbitros, dum impune in omnibus flagitiorum sordibus volutarentur, cogerentur illis obnoxii tamquam sacrosanctos homines vereri: quod et privatis saepe, et maximis civitatibus nonnunquam insignia detrimenta atque incommoda importasset. Ac ceteros quidem falli, etiam si hoc ipsum minime esset ferendum, haud ita dolendum videri: illud ferri non posse, summos in terris reges, pontificem romanum saepe vilissimum caput, atque emersum e fece plebis, abiectos ad pedes venerari: quod Christus in terris execratus esset, cuius se vicem gerere (e)lati in terris homines mentirentur, lutulentis pedibus figi oscula patientes. Tam foedo errore hominum fretos, sumere sibi arbitrium terrarum, ius potestatemque largiendi regna, quibus visum esset adimendi, omnia, quae spem quaestus obicerent agendi, gerendi bella, vastandi provincias, urbes evertendi, populationibus, atque incendiis omnia permiscendi, adeo obduratis hominibus patientia malorum, ut deprecari vim, et iura legesque implorare oppressis iugo servitutis acerbissimo capitale esset: cum quidem homines sacrosancti legum metus expertes, qui

ipsi se aliis esse leges iactarent, foedissimis voluptatibus addicti, stupris, incestis, omni libidinum genere, immanibus facinoribus cooperti, neminem agnoscerent, cuius animadversionem, uno tecti religionis nomine vererentur. Haec quamquam libere tum in foro, tum in populi concionibus a Romani pontificis inimicis iactabantur, constitit regi tamen pietatis in suos fructus uberrimus: ab eo enim tempore cum nihil sibi reliqui adversarii facientes deterrere populum a pontificiorum causa conarentur, sensim multitudo conversa ad sacrorum cultum, a quibus iam pridem abhorrere erat visa, ad veteris religionis respectum traduci coepit, quam semel reiectam non erat facile futurum, ut agnosceret, nisi per haec blandimenta delinita. Erat vero regi persuasum, praeter susceptum animo religionem, magnum inesse momentum ad homines a fera natura, ad mitiora vitae instituta revocandos, in dei immortalis cultu, et veneratione; id quod initio rerum accidisse verisimile est, atque adeo, ubi minus etiam sacrarum litterarum veritas illuxisset, quarum auctoritas nobis. . . . Nam cum nullus cultus vitae politioris haberetur, qui detrectantes cogeret metu supplicii, magistratus, et legum imperium subire; sapientes homines statuerunt sibi sanctiorem disciplinam e coelo petendam, qua se deliniri multitudo pateretur; quam quidem desperandum esset magistratus, et legum minus potentem, reddi cultu meliorem posse, quem ab homine agnoscerent, haud se natura praestantiore. Quod pium hominum votum, sibi quos colerent deos pro suo cuiusque sensu fingentium, deus humanarum rerum miseratus, provexit ad optatum finem, demissa e coelo suae sapientiae luce, quae cogeret in homine mortali venerari praesentem deum. Ita quibus non contigit, ut

maiore virtute innixi, sibi ipsi esse vitae lex possent, sensim mitescerent, cum non se crederent mortali homini parere, sed deo, durum legum, atque acerbum iugum, et volentes induxerunt animum subire et aequo animo ferre potuerunt. Hinc rex senatum supplevit reductum ad summam infrequentiam, sive incuria, sive id quod verisimilius est, quod nulla iam erat in civitate publica auctoritas, quam improborum conspiratio, vi, atque armis omnia obtinentium, sustulisset; qua ex re fiebat, ut nemo sibi eum honorem existimaret petendum, in quo per violatum ius summi imperii, victrix improbitas atque audacia ageret triumphum de victis legibus. In primis vero cooptandos in eum ordinem curavit viros bonos, et quorum esse integram famam existimationemque constaret, iis motis, qui vitae sordibus, atque insigni nota turpitudinis ordini dedecori essent. Iam quoniam, perturbato gentilitatis atque agnationis iure e Vetere Civitate multi in Novam, e Nova in Veterem alii immigrarant, (his regionibus est urbs regia distincta) edixit ut ex prisco regum instituto singuli quemadmodum a maioribus accepissent, contenti patrio loco, decederent de alieno iure. Inde iudicia, quae non secus, ac si urbs teneretur hostium armis, nulla in foro exercebantur, delectis qui iudicarent, non ex sensu, atque ordine prius, quam ex antea vita, et documentis virtutis, et fidei multis, ad pristinam severitatem integritatemque revocavit. Mox conversus ad cognoscendas privatorum causas, de regiis ministris, qui Cuthnensibus argentariis praeerant, cum, praeter vetera crimina peculatus, quae erant defixa in omnium oculis, recenti iudicii infamia flagrarent, cognita causa, supplicium sumendum curavit, ingenti totius populi plausu, quibus erat pri-

dem hominum nequitia, audaciaque invisa. Ignari quam fluxa eorum memoria esset, quae scelerum rediméndorum praemia constituerentur; quo acerbius malum non exspectantibus videretur; se periculo iudicii defunctos apud regem, per potentium hominum gratiam crederant. Movisse quidem regem maxime dicitur, quo severius in eos vindicaret, insignis eorum fraus, non solum innocentibus hominibus circumveniendis, quod quidem scelus, nullo non erat supplicii genere maius, sed publica etiam auctoritate abutendo; per quam rex inductus, atque impulsus in fraudem, sumi supplicium de insontibus iussisset. Iam ad latrocinia reprimenda, quibus. tum regis, tum principum magna infamia, quaecumque Boemia ab exteris adiri poterat, erant itinera infesta, legem latam a superioribus regibus iussit promulgari, qua potestas fiebat privatis, ut in suo quisque fundo, agro, villa deprehensum, cuiuscumque ordinis, ac fortunae esset, qui exercere latrocinia, et insidere publicas vias convincerentur, impune interficerent, hoc adiecto, ut eius rei caussa, liceret manus cogere, conducere homines armatos, omnia denique agere, quibus spes esset, a stirpibus excissa sceleratorum hominum manu, tamquam pestem, ac labem e regno Boemiae tolli. Magna ad hoc iis praemia proposita, qui aut vivos magistratui sisterent, aut interfectorum capita afferrent; nulla adiecta exceptione, qua sese redimere a iudicum et magistratus severitate liceret; id ne qui sibi in posterum futurum impune sperarent. Ingentem hominum numerum in Boemiam qui latrocinii student, non ingenia magis gentis, quibus nihil mit(ius?), quam situs opportunitas invehit, regionem totam, qua in longitudinem latitudinemque patet, Herciniae silvae saltibus tamquam indagine cin-

gentibus, ut ipsa media, perpetuo in orbem ambitu septa claudatur. Ita passim latebrae multae, et opportuna loca faciendis latrociniiis, facilem et tutum praebent receptum facinorosis hominibus, a iudiciorum, et supplicii metu, quo uno deterrentur: quae res, egentium hominum audaciam magna cum pernicie ultro citroque commeantium alit; quae tum eo maior ostentabatur, quo longius rex aberat, sede imperii in Vngariae regia constabilita. Inter haec omnia, insigne Ladislai exstitit pietatis documentum, excitanda iuventute ad capessenda studia liberalium artium, quae ad eum diem, ob perpetuas civium discordias, inertio et desidia languerat, doctis hominibus ex Italia per amplis praemiis accitis, qui in Pragensi schola, cum philosophiam, et civilis iuris prudentiam, tum dicendi facultatem, et litteras politiores vulgo docerent, quibus artibus maxime excolitur hominum vita. His omnibus ingenti hominum laetitia administratis, rex in Vngariam rediit, bonis omnibus magno sui desiderio relicto; quorum tamen qui prudentiores erant, ita eius mite ingenium, et in rempublicam studium laudabant, ut auctoritate, atque imperio diffusi, quod severum in primis, atque acre praesentia tempora postulabant, breve populi gaudium divinarent futurum. Non videtur hoc loco praetereundum, quod Boemicarum rerum scriptores tradunt, regi, cum aliquot dies Olomucii substitisset, quae est Moravorum primaria urbs, accidisse: praefuisse enim dicitur caussae cognitioni, quae ut eiusmodi fuisse credatur, eorum gravitas facit, a quibus literis prodita est; credere inter homines potuisse accidere, qui fas iusque colant, ne mediocri quidem ingenii hominis videtur, ubi scribentium auctoritas absit. Equidem cum aliquando Vratislaviae



substitissem, tum visendi caussa nobilissimam urbem, tum propius cognoscendi, quos in ea eruditionis fama illustris, probitatisque commendaret: cognitam testatamque rem testimonio principum civium, haud sum veritus litteris mandare; cum mihi loqui etiam cum nonnullis licuisset, ad quos ea ipsa res pertineret. Ita autem rem gestam ferunt: Vratislaviensem civem, hominem cum aliis rebus omnibus domi copiosum, et ornatum, tum magnae inter suos cives auctoritatis, cum iter in Poloniam haberet, in quodam pago, ubi pernoctare consuevisset, ad cauponem divertisse. Nocte intempesta, cum fessum ex itinere altior somnus oppressisset; cauponem observato tempore clam in conclave ingressum quingentos aureos Vngaricos nummos quiescenti surripuisse. Experrectum hospitem, rem compertam, ad iudicem loci detulisse. Cum quaesiti pecuniae loculi nulli exstarent, caupo furti crimen deprecaretur, iudicis imperio, ut par erat, cauponem in vincula coniectum: cum esset, de more, subiectus tormentis, rem ordine ut gesta erat, fassum. Mox cum diceret, se hospiti furtum reddere paratum: moderatum hominem, qui quidem suum recuperare satis haberet, quique sibi magis suae humanitatis habendam rationem, quam alterius flagitii censeret, dixisse, quo minus caupo, pecunia recuperata, missus fieret, se nihil morari. Hoc enimvero se iudicem facturum negasse, ut qui hospitii ius tanto admissio facinore violasset; etiamsi id totum pro sua facilitate, de suo iure sibi hospes censeret remittendum, impune ferret. Etiamsi illi satisfactum esset, haud tamen satis esse legibus persolutum; quae reipublicae caussa severe sancitae capitale supplicium in furti convictos constituissent. A fure eodem, et hospitii violatore, ne per unius im-

punitatem multi exemplo fierent deteriores, legibus constitutas poenas se, ut par esset, expetiturum. Ita reum, fractis cervicibus, suspendi imperasse, atque adeo, quod apud loci incolas esset in more, ubi carnifex non adesset, qui de damnato supplicium sumeret, ab eo ipso imperasse suspendi cui furtum factum constaret, tristi conditione adiecta, et barbarae inmanitatis, ut si is recusaret, tum ille a damnato reo, eodem supplicio, afficeretur, quod ei subeundum esset, qui furtum fecisset. Ad mentionem tam foedae rei aliquantisper hospitem sensuum omnium stupore captum haesisse. Inde cum precibus omnibus frustra tam turpem notam nomini, et familiae inurendam avertere conatus esset: quo minus sibi pecuniam haberent, haud se illis in mora futurum, respondisse: modo incolumi fama, sibi potestas fieret inde abeundi, insignis adeo id se beneficii loco habiturum, et aliquando parem pro eo gratiam, hominem inter suos gratiosum, atque honestum iis relaturum. Id se ab iis eo facilius impetrare debere, quo magis conscius esset, nullo suo merito, innocentem se, et nullius culpae affinem, tantum dedecus subiturum, certe quod perpetuo, et sibi viventi, et posteris, foeda nota generi inusta, haereret, quod multo acerbius esset. Cum frustra omnia expertus, se nihil proficere animadverteret; quod esse mitius malum videretur, statuisse salutem praeferre iudicio imperitorum hominum, apud quos male hoc nomine auditurus esset. Hinc cum aeger animi ad Sigismundum regem profectus de tanta sibi illata iniuria questus esset: litteras impetrasse, quibus pro sua aequitate, omni labe infamiae purgatum in integrum restituebat, indignum plane ea calamitate hominem, quem, metu mortis iniecto, defunctum tristi munere invitum coac-

tumque appareret. Has Sigismundi litteras regis sapientissimi, Ladislai diplomate confirmatas, cum adiecta gravis multa esset, qui illi ioco, serio, factum opprobrent, usque eo illi usui fuisse, ut deterriti homines paenae metu, a probro vulgo temperarent, maneret tamen apud omnes, tacite aspersa nomini aeternae infamiae nota. Neque plus illi praesidii in suorum civium iudicio, etiamsi apud illos plurimum gratia valebat, de sua integritate fuisse: creatum enim ab iis senatus praefectum, cuius est munus iudiciis publicis praeesse, a nobilitate reiectum, cum negarent, se ei verbo audientes futuros, qui se tanto dedecore suosque contaminasset (summum enim ius imperii, in nobilitatem etiam obtinet senatus Vratislaviensis) rursus ad Ladislaum, quo erat usus semel aequissimo, confugisse. Eum misericordia motum, cum caussae innocentis faveret, quo, saluis legibus, facilius aditus ad ius suis dicendum pateret, in senatum de integro adlegendum curasse, quo, post tantam acceptam calamitatem erat motus, nobilitate maxime adnitente, quae maiorum ius adversus eius postulata obtenderet. Sed ne in eo quidem, morem Ladislao a Vratislaviensibus gestum. Ita virum bonum, et cum primis sui ordinis honestum, cum nullius rei sibi conscius esset, qua re, minus integram existimationem apud suos retineret, quamdiu vixit, foro, templis, publicis urbis locis, non cum suis, non cum exteris congregari ausum abstinuisse. Reverso ex Boemia Ladislao, Anna regina anno altero postquam nuptum in Vngariam venerat, filiam Budae peperit, cui est matris inditum nomen, haud obscura potentium hominum offensione, qui pridem, per illius orbitatem salutarem futuram, ut credi volebant, Vngariae populis, in spem magnam regni libe-

randi, animos sustulissent, cui eadem mala, atque incommoda, quasi ex infelici arbore, e tam inertii rege prole succedente ominabantur: quae spes tamen ne relanguesceret animis, regno impar sexus efficiebat; Vngaris vetere gentis instituto, nisi parentum insignia in rempublicam merita exstarent, feminas a regni administratione arcentibus. Meminerant quidem maiorum memoria Carolo Regi, cui Martello fuit cognomen, nato ex Carolo Neapolitanorum, et Stephani regis filia regni honorem delatum, et ex filio nato Ludovico Regi datum, ut Mariae filiae, quae Sigismundo regi Boemiae nupserat, regnum deferrent; quod idem sorori Hedvigi apud Polonos contigerat; per cuius nuptias, primus Iagellonum Ladislaus regnum erat adeptus; sed, ut satis apparet in Ludovici filia patris merita, quae maxima in Vngarorum gentem exstiterant, valuisse, a qua laude ut vulgo ferebant longe aberat Ladislaus. Quamquam ne hoc ipsum quidem acciderat, sine ingenti armorum civilium motu, Carolo Neapolitanorum rege Parvo cognomento a magna principum parte accito, qui Ludovico in regnum succederet, uno nomine, quod vir in capessendo regno, feminae praeferretur. Eodem fere tempore iterum Turcae frustra Iaicae oppugnatione tentata, ab Vngaris victi, atque insigni accepta clade, discedere e regni finibus coacti. Cuius rei bene gestae fama cum late percrebrisset, Turcae qui, appulsa classe ad maritimas Dalmatiae urbes, totam illam oram Venetis, in quorum fere ditio est, infestam faciebant, incepto destiterunt. Atque haec quidem gesta, manente integro, atque inviolato adhuc foedere cum Baiasete, quod anno CIO.IO. cum Venetis, et cum Vngaris, in centum annos percusserat, avocatus Asiatico bello, quod adversus Persas susceptum infelicibus

auspiciis, pari cum dedecore, magna totius gentis offensione gessit; quae barbararum gentium omnium superstitiosissima, ex eventis, non ex caussis, et certa ratione rerum, summam imperii administrantibus aut adversatur, aut favet. Inde otium Ladislao per biennii tempus, nulla re domi, forisque gesta litteris prodenda, quoad Anna regina rursus uterum gerens, sollicitudinem principum auxit; verentium, ne subditio partu haud iustus heres invisio regi quaereretur; quae res creditur parienti exitio fuisse. Ingentis spiritus femina, et in sexu imbecillo praeseferens virilem animum, ubi, mensibus exactis, sensit adesse pariendi tempus; fiduciae simul ostentandae gratia, simul eorum calumnias refutandi, quos infenso animo exspectare partus eventum non ignorabat, e principibus unum aut alterum advocandum curavit, quem si virilis sexus partus ederetur, intelligeret, multo id ceteris iniquiore animo laturum. Ita, eo praesente, et quidem minime invito (qui fuerit non traditur: non desunt quidem, qui fuisse Ioannem Scepusium suspicentur, qui postea cum Ferdinando, ab Vngaris rex creatus de regno armis disceptavit, quam calumniam Ioannis probum, ac moderatum ingenium reiicit, cui praesertim regnum ambientem minime expediebat, tam foedae rei invidia apud suos laborare) Ludovicum peperit, qui post patrem regnavit. Quae reginae importuna, verius quam necessaria ostentatio, aliis, ut fit, super alios doloribus utero exorientibus, illi rerum mortalium ultima fuit, non sine magna eorum invidia, per quos praesentes, minus quam erat aequum, licuit obstetricibus in extremo discrimine laborantem curare: cum virorum conspectum veritae minus soluto animo instituta munera obire auderent. Narrant hoc loco periti homines

Vngaricarum rerum, dignam rem, quae in tam augusta regia animadversa posteritati tradatur: raro inter homines exemplo, natum Ludovicum nudatum cute, novae rei admiratione, et tristis, ac funesti ominis, cunctis qui aderant obstupescens. Inde accitos medicos, aegre admotis fomentis, delinimentisque multis, cutem puero longa die obducere potuisse, neque ferenti apertum coelum nudo corpore, quod cutis praesidium nullum muniret, et remedia omnia, ut lenissima etiam essent, cum ad contactum membra trepidantia horrerent, ubi applicarentur, detrectanti. Equidem a nonnullis audivi, post longam disceptationem, in sue media per spinam secta, atque exenterata infantem, quoad bestiae calor inciperet deferuere, medicos impositum habuisse; mox in aliam, quae ad hunc usum caesa praesto esset, et exinde in aliam, eodem ordine immissum; donec manans superne cruor, ut in pustulis fieri animadvertimus, sensim in tenuem pelliculam coalescere, atque inducere cutem inceptit. Rem Vngaros exsecratos, quae, haud longe a portento, et miraculo abesset, parum secundis patriae auspiciis natum puerum, aliquando suis exitio regem futurum, minime malos vates ominatos. Eodem anno, quo Ludovicus est natus, Alexandro regi Poloniae mortuo (fuit is dies XIV. kal. septemb.) Sigismundus fratrum regum minimus natus sufficitur; Ladislao qui aetatis praerogativa erat superior in petitione regni futurus, summa aequitate animi, atque insigni in fratrem pietate, de suo iure decedente. Nam, quasi parum in eo prolixus fuisset, misso ad Polonorum senatum Osvaldo Karlacio, magni consilii homine, et rerum usus, enixe illius petitioni suffragatus est. Itaque Ladislai nulla facta mentione, magno senatus, et totius nobilitatis consensu, quorum

studia constans iustitiae, et clementiae fama petenti conciliaverat, Sigismundus Polonorum rex creatur. Haec Ladislai facilitas, cum visa omnium iudicio habere temperati, ac moderati animi laudem, tum magnis illi postea procurandis administrandisque rebus subsidio fuit: ab eo enim tempore Vngaris diffusus, quorum consilio ei erat innitendum, nihil postea non fratris nutu, atque arbitrio gessit, moderatore acri indigeret, et suo non alieno consilio innitente; de bello, de pace, semper eius unius consilio usus: ut vere dici possit, hac concordia animorum, ut postea apparebit, Ladislao adversus principum conspiracyonem regnum stetisse, qui, iis de causis, quae iam sunt a nobis commemoratae, omni alia sublata spe reipublicae constituendae, de abroganda illi regia potestate, ac regni procuratione exterorum regum fidei mandanda cogitabant. Inde Ladislaus Stephanum Telegdium praecipuae nobilitatis hominem, legatum Cracoviam misit, qui festum diem celebraret, quo frater rex erat insignia accepturus. Fuit is dies XIII. kal. interkalares CIO.IO.VII. Polonis in omni posteritatis memoria clarus futurus: ita enim se domi forisque gessit, per tot annos, quibus regnavit, ut inter omnes suae aetatis reges, dignus habitus sit, ad cuius exemplar ceteri reges, et rerum publicarum moderatores conformarentur. Audita Annae reginae mors varie Vngarorum animos, pro cuiusque in regem studio, affecit. E principibus quidem nonnulli, quorum minus erant recti de republica sensus, haud moleste tulerunt e medio sublatam, cum suis inceptis obstantem, tum, quamvis sexu imparem, virili animo tamen, et ingenii fiducia, id quod illi facile per viri imbecillitatem licebat, tuentem regni iura; efficientem certe, ut non sine magna invidia, et bonorum omnium quere-

la, maiestate regia, ad immanem licentiam rerum omnium abuterentur. Regibus exteris quidem, Venetis in primis accidit illius mors permolesta: ita enim adversus Turcam maritimum bellum moliebantur, ut magnam spem bene gerendae rei, per Annae reginae gratiam, quae, haud dubie, ut paullo ante diximus, virum regebat, in Vngarorum armis positam haberent. Id facile credebant futurum, ubi Ladislaus, dum ipsi viribus omnibus mari rem gererent, id quod se facturos spondebant; bello eodem tempore terra illato, barbari vires, cum infesto exercitu in fines ingressus, distineret. Favebat vero maxime Venetorum rebus Anna regina apud virum Ladislaum; cum ex Gallia nuptum in Vngariam iret, magnificentissimo apparatu ab iis in urbem accepta; ut dicere audita sit, in ea se primum civitate, sive populi et principum in se studia effusa, decretos honores, festos dies, ludos spectaret, sibi reginam visam. Interea rex, cum se hominum conspectui, abiecta spe salutis, subduxisset, obfirmatum animum adversus omne solatii genus, a regni procuratione, et sui cura averterat, nullius rei minus memor, non nominis, non salutis, non existimationis, quam se regem esse, tot gentibus populisque imperantem. Neque vero ulla caussa, tam mollis, ac fracti animi poterat subesse, quae non eo indigna haberetur, qui imperaret Vngaris, fortissimae genti, atque omnium malorum potenti, quae in hominum vitam invehat fortuna, aut casus. Vtrumque vero reprehendendum, sive mollitia animi movebatur ex eius iactura, quam amaverat; sive animi conscientia, quod eam amiserat, cuius virtute, et consilio fretus, regio muneris, tanto graviori suis viribus non succumbebat. Vtrum quidem turpius esset in procuratione regni,



et virum eundem, et regem, feminae consilio indigere; an victo mollitia animo non habere praescriptum lugendi modum, quam amabat, vix poterat diiudicari, ut cetera abessent, uno hoc nomine, parum dignus regno, quod id desperaret, sine tam insigni nota infamiae se recte posse administrare: neque enim, etiamsi sua sponte mollis, plus aequo desiderio mortuae angeretur; veriorum luctus caussam in uxoris amissione, quam in dedecore domestico habebat. Neque vero multo minor Vngaris imposita plaga, qui assueti fortissimi regis imperio obtemperare, regem agnoscere cogentur, cui, propter debilitatem tarditatemque ingenii, femina imperaret. Aegre aliquando passus esse dicitur, cum integrum iam annum in luctu fuisset, se a Boemorum legatis, et aliarum gentium adiri, cum ad eum amicos interiores allegassent, qui eum ad sui, et regni respectum revocare niterentur. Omnibus vero erat una, atque eadem legationis caussa erigendi iacentem, ac pertinaci luctu, et moerore confectum levandi, publicis rebus, quae nullo certo regni moderatore, parum recte poterant administrari, tam segnem moram, atque infamem non ferentibus. Atque ita quidem legatos admisit, ut facile pateretur eos disertos se alloquendo, et consolando haberi: quidquid in eam sententiam apte dicerent ad excitandum eius languentem animum ad regium decus; nullum ipse fovendo luctu, agnosceret modum. Itaque ut aliquando hoc ipsum ab invito extorquerent, ad eum, communi sensu Strigoniensem pontificem summiserunt gravem hominem, et magnae apud illum auctoritatis; qui gnarus tractandi ingenium torpentis intestino malo, a religione exorsus, Collocatum illum, inquit, dei immortalis providentia in regio solio, ut tum virtute, et constantia tam excelso loco

digna, tum moderato, et iusto imperio populos reget: quod ita praestare posset, si ipse regi se a ratione, et mentis consilio pateretur; quae quidem ita obtineret in homine principatum, ut ubi eam perturbationum humanarum quasi procella obrui pateretur, animantem in hominis forma ab hominis ingenio degenerantem, quod prodigii, ac portenti similis esset, repraesentaret. Quod si in privato turpe esset; quanto habendum in rege turpius, cuius sapientia, ut corpus anima, maximae civitates, regna nobilissima, atque imperia regerentur? Vngaros, Boemos, Silesios, Moravos integrum iam annum duo maxima unius imperio subiecta regna, quasi exsanguia corpora, quae regimen vitae amisissent, caput rectoremque desiderare. Quae offensio per se gravis, ut multo gravior videretur, efficere suorum in se insignia studia, quorum Boemi volentes, et scientes, sibi eum regem adolescentem e Polonorum regia ascivissent; e Boemorum regia, Vngaria, et quidem, nobilissimis competitoribus praeteritis, Maximiliano rege Romanorum, cuius Fridericus pater Christiani imperii summam potestatem obtineret, fratre Alberto, Ioanne Corvino, Matthiae regis patris meritis in rempublicam tantis subnixo. Neque vero suis aliam esse causam tamdiu tolerandi tantum incommodum, quam animorum constantiam quandam incredibilem eo colendo, ornando, indies maioribus, atque illustrioribus honorum incrementis augendo. Nam et tunc se ad illum adlegatum omnium nomine, quicumque censerentur tum in Vngariae, tum in Boemiae regno, qui laetum illi nuntium afferret, quod illi felix, faustumque esset, liberis eius, gentibus populisque omnibus, qui illius imperio parerent, ingenti approbatione Ludovicum filium infantem regem appellatum,

qui honos raro umquam in terris regi viventi habitus esset, propediemque adeo fore, ubi finito diro, ferali, et funesto luctu, animum induceret se suis restituere, et capessere rempublicam ut decoratum regiis insignibus filium in ulnis nutricis videret, regia pompa, et populi celebri spectaculo gestantis. Fructum illum maximum eo die anteactae vitae retulisse, cui esset datum, valetudine incolumi, vegetis, atque integris viribus tum corporis, tum animi, (ut spes esset, diuturnam patri hanc voluptatem futuram) videre filium in regia sede collocatum, quem libera principum, et populorum suffragia, ubi veterum more, atque instituto stari oporteret, certum efficerent regni successorem. Ita Ladislaum (quae regum paucorum felicitas esset) visurum antea regem filium, quam ulla aut indole regii animi, aut significatione virtutis, quae digna esset summo in terris honore, regnum promereri potuerit. Argumento esse, quam insignis suorum in se caritas, quam omnium ordinum propensa voluntas esset, apud quos perspecta regis patris iustitia, lenis, ac clemens animus, filio vix in lucem suscepto, pro praerogativa ad regnum haberetur. Indignam rem videri, duo regna obtinentem, imperantem tot populis, nationibus, gentibus, tam diu cessare gravi, ac letali somno sopitum: expergisceretur aliquando, memor, quantum esset onus regnare, regi etiam vigilantissimo, acerrimo, fortissimo; neu suis, qui solliciti de illius salute, hoc unum supplicibus votis flagitarent, diutius quam illius virtus, et constantia requireret, esset in mora. Ad tam laetum nuncium dicitur, et exsiluisse gaudio, et posita obsoleta veste, quam ad eum diem doloris impotens contumaci animo retinuerat, passus esse sibi persuaderi, ut ad vestitum rediret, adeo erecto, atque alacri animo,

ut ne punctum quidem temporis, quo eius voluptatis usura differretur, intercedere, voluerit. Igitur praeter omnium expectationem, eodem die sese spectandum populo, indutum purpurea veste lautumque ostendit, confluyente in regiam frequenti multitudine, (quae, odio nobilitatis regi favebat *Cod. Vienn.*), atque, ut is ipse dies, tum Vngaris tum Boemis, felix diu fortunatusque esset, laetis ac faustis ominibus precante. Magna quidem admiratione digna res videatur, quam multitudinem paulo ante diximus, incedentem per forum regem sibilo solitam excipere, tam effusa in illum studia filio ornando augendoque regio honore ostendisse; sed non illa aequae tamen illis videatur digna admiratione, qui quam sit mobile varium, et mutabile multitudinis ingenium norunt. Nullum fretum, euripus nullus, tam repentinas fluctuum agitationes habet, quam in iis quae agit sibi permista multitudo. Vnius audita vox ei faventis, quem hora ante eversum volebat, levisima aura rumoris irato populo reconciliat: unius vox ei refragantis, quem sustulerat in coelum; nulla mutandi consilii nova caussa ac certa orta, coelo ereptum devoluit ad imum, numquam multitudine aut favere, aut odisse, certo iudicio assueta. Multa quidem, et clarissima tum in Graeca, tum in Romana historia huius rei exempla. Miltiades Athenis populi suffragiis delectus imperator adversus Persarum copias innumerales, cum de his in Marathoniis campis clarissima victoria potitus esset; eiusdem populi suffragiis mox damnatus in carcere squalore, illuvie, paedore confectus interiit. Vindex Themistocles Graecorum libertatis, terra marique de barbaris victoria parta nulla unquam oblivione in hominum memoria interitura, et Athenis, et Graecia universa populi iudicio damnatus

exsulavit. Patria eiectus Alcibiades, cum revocatus, maritimo bello imperator creatus praefuisset, post magnas res adversus Lacedaemonios clarissime gestas, eandem exsilii calamitatem subire iterum, et taedio vitae sibi letum consciscere est coactus. In Romana civitate, vigente adhuc prisca illa maiorum disciplina, quo res admirabilior sit, Camillus patria pulsus, quam saepe victor ditionis magnitudine, atque imperii propagaverat, hostium faucibus ereptam in illius possessione haerentium exsul servavit, unus habitus dignus, quo vivente, quae hostium praeda ceciderat, Roma renasceretur. In eadem civitate Africanus, qui Carthaginienses, atque Hannibalem vicit, docuit, quam non firmo subsidio innitatur, qui multitudinis studiis, et populi suffragatione septam dignitatem habeat, atque adeo quantumvis insignibus meritis in rempublicam partam. Quem summis honoribus, extraordinariis imperiis adolescentem ornaverat, viderat de victis hostibus triumphum agentem omnium post urbem conditam maxime memorabilem, passus est populus Romanus exsulatum ire, et (mag)num calamitatis monumentum exstare, cuius celebrandae gloriae non erat Roma, (re)x omnium gentium futura, satis. Movit inde Vngaros ratio, ut fit, post rem actam, cui locus antea non fuisset, rationis vim, et consilii obruente impetu quodam animorum in regis misericordiam inclinantium. Neque illi vero levitatis opinionem, ex mutatione consilii verebantur: quemadmodum enim credi volebant, se pietatis laudem promeritos, qui salutari consilio revocare regem ab infami luctu conati essent; sic suae constantiae, gravitatisque ducebant, reprimere consilio aequae salutari impetum animorum, quo paucorum temeritate impulsus tantum dedecus admisissent; posteris,

quibus in primis prospiciendum suaderent iura omnia, quae homines colerent, rei auctores, cuius, maiorum memoria, exemplum nullum exstaret. Erant autem in eorum numero praecipui quibus aut magistratus, aut publica auctoritas, aut propria virtus animos augebat, quo illis facilius fides a vulgo hominibus haberetur. Hi palam regiorum turpes assentationes, et blanditias exsecrati, non regi eos gratificari, sed suo tempori servire contendebant, venalis linguae homines, et qui haud gratis de re tanta serere sermones in foro, ac frequenti adeo regia auderent. Pessimi exempli rem esse, et minime ferendam, si id quod essent Vngari commenti ad regis luctum levandum, sive misericordia adducti, sive errore humani ingenii, qui tamen ab recto animi studio proficisceretur, non maturo consilio, non, publica auctoritate, indictis de more comitiis, non coacto gentis concilio; tamquam legitimo iure tenerentur; nonnulli spe praemii empti, et suae libertatis, et aliorum immemores homines ab invitis extorquerent. De iure comitiorum regibus creandis ita esse severe omnia a maioribus sancita, ut iis neglectis, neque diutius regnum incolume stare posset, et convelli gentis iura, labefactari principum auctoritatem, communemque libertatem everti necesse esset. Negatum olim regnum Ladislao Postumo Alberti Caesaris filio, eiusdem Vngarorum regis, cuius adultam aetatem exspectare perniciosum reipublicae crederetur, atque eo praeterito, principum magno consensu in patris demortui locum suffectum Ladislaum Iagellonum Polonorum regem, magnae indolis et spei adolescentem, id quod eventus declarasset. Dei immortalis beneficio non versari rempublicam in eo discrimine, ut, regni rationibus id postulantibus, neglecto maiorum iure, et

vetere consuetudine, esset ad nova consilia, atque eadem quidem indigna Vngarorum constantia descendendum. Ac tanto quidem flagitio, quo gravius videretur, contumeliam additam. Quasi pecudes, ac stipites essent, excogitatam fallaciam, qua per speciem solandi regem aegrum animi, falsi Vngari, vagientem adhuc infantem in cunis patri viventi collegam adderent, magna quidem regis invidia, sed multo maiore infamia gentis, si iuris maiorum, et libertatis obliti paterentur, quae principum potestas, et populi esset, a maioribus post tot saecula posteris tradita per manus, eam per ludum et iocum sibi ereptam in hereditarium regum ius transire; quo quidem in cernendis regnis, ac magnis imperiis nihil iniustius, aut minus ferendum in terris esset. In iis, quae ad summum ius regni pertinerent maxima, minima quaeque spectari oportere; cum quidem nihil minimum in eo esse posset, quod, ut nihil praeterea accederet, suapte natura maximum esset, id quod fere semper accideret, ubi de multorum populorum et gentium salute ageretur. A contemendis initiis, ubi prima neglecta dissimulari intelligerent, progredi homines ad extrema, sensim eos fallendo, quorum ea non negligi interesset, ut prius opprimerent imparatos, quam posse opprimere crederentur. Conscendisse Ladislaum hunc primum ad summam licentiam gradum; ut si in eo conniveant principes regni, suae constantiae parum memores, haud dubitandum sit, quin Ludovicus filius sit alterum conscensurus, atque ex testamenti tabulis, non nobilitate, non multitudine consulta, ubi liberos suscipiat, quem ex his malit, regni heredem sit declaraturus. Iam, qui supremus sit futurus gradus, quando nemo facile norit in iis quae cupidius expetit habere modum, praeser-

tim qui in regiae maiestatis fastigio sibi ipse lex, et et praescriptio sit; mox secuturum alium, qui superiorum exemplo, ad audendum animo validiore, non extra regiam solum, sed extra regnum etiam, qui sibi potior, non reipublicae melior habeatur regem Vngaris, ut hortetur libido, atque ambitio imponat. Et principes quidem haec, aliaque eiusmodi multa, iam restincto animorum ardore, vulgo ferebant, ita animati, ut non temere essent in eorum sententiam descensuri, qui suae constantiae memores in incepto perstabant, haud dubie, apud Ladislaum, principem gratiae locum Vngaris praerepturi. In ea sententia Boemi fuerunt, Silesii, Moravi, alii. Sive enim temere egissent, nolebant videri ex mutatione consilii, sibi levitatis, et inconstantiae notam ultro imponere, in re gravi illa quidem, sed quae non esset ab eorum fide aliena, qui de suo iure decedentes, regi optimo, et mitissimo gratificarentur: sive recte egissent, ad id quod actum esset, addendam constantiae laudem, tuendo praeclare incepto arbitrabantur. Atque ita illi quidem adversus Vngarorum sententiam disserebant, ut videri vellent, nullius se insectandi causa verba facere, et quid secuti essent docerent, qua re statuerent sibi in suscepta sententia perseverandum. Nihil putidius videri, quam hominem poenitere consilii, cui natura, ne quando hoc accideret, esset munus rationis largita: longe vero putidissimum, cum eum, quem poeniteret, nullus usus, pudor certus ex consilii mutatione consequeretur: ita enim cogi fateri se errasse in agendo; quod in homine, cuius sunt propriae ac certae prudentiae partes, ita ferendum non est, ut illi spes omnis veniae praecidatur: nam aberrare a via, cum sit qui eunti viam praeceat, esse hominis ultro, et consulto



peccare volentis; quo amentiae qui perveniat, non eum esse in hominum numero habendum, quibus ne errent, in omnibus quae agant, etiam si minus sint ab ingenio parati, minime sit in aliorum prudentia, et fide subsidium defuturum. Cum vero hominem semper constantiam decere (scitum enim vetus illud, Turpe dicere non putaram) tum maxime in fungendo officio; in benigne faciendo, habendo honore summis regibus, qui dei immortalis vim, maiestatemque in terris referrent. Adeo vero hominis proprium esse, in benigne faciendo tueri constantiam, ut eum, male etiam collocati beneficii poenitere turpe esset: in ceteris enim esse flagitiosum peccare: in iis, quae cum dubia haberentur, omissa possent carere laude; ubi facta essent, reprehensione iusta carerent; veluti cum improbus sublevaretur, qui speciem viri boni prae se ferret; in eam partem peccandum, si hoc modo esset peccare, quae tutior crederetur. Nihil certe homini honestius, quam ubi dubia officii ratio perplexum animum haberet, in beneficio faciendo alacrem se et prolixum praebere; quo nihil magis proprium hominis esset. Se vero, quidquid Vngari se sequi dicerent, iis quae acta essent rescindendis, quorum consilium deus prohiberet, ut perstringere sua oratione auderent, et in sententia perstaturos, et in puero ornando regiis insignibus praestatueros eosdem principes partes, si modo Vngari sibi in hac pietatis laude Boemos praevertere paterentur: honestissimum enim sibi fore, ubi percrebrescat, a Boemis regnum Ludovico infanti delatum, ut Ladislao olim patri adolescenti ascito e Polonorum regia detulissent, futurum tamquam praerogativam, ad Vngariae regnum capessendum: quod suae fidei et constantiae pignus nunc in eundem, magno illius merito regem

optimum et sanctissimum, ac documentum pietatis clarissimum ad posteritatem dedissent. Haec Boemorum constantia perfecit, ut Vngari, ne vinci in contentione officii viderentur, dicerent se, quo minus Ludovicus infans ex sua, et Boemorum sententia, regio diademate decoraretur, haud se in mora futuros. Non se quidem regis odio a Boemis dissensisse, in quo colendo omni pietatis officio, et cum Boemis, et cum aliis omnibus essent certaturi; sed studio retinendi illibatam libertatem, et maiorum iura, quae non permetterent, ut e cunis vagientes pueri ad regnum veluti hereditarium advocarentur. Quod vero consilium temerarium magis, quam vix nato infanti tradere regni sceptrum, cuius non sapientiae, non iustitiae, non magni animi, quae praecipuae virtutes in rege requiruntur, factum periculum esset, ut fieri aliquando cum spe..... liceret, exculto in spem regni, vitae cursus in multos annos esset optandus. Quae quamquam ita essent maluisse tamen se de suo iure decedere, et quidem iusta cum posteriorum querela, quam videri parum faciles regi suo gratificando fuisse; quem ut aequum esset, secundum deum immortalem, divinis omnibus, atque humanis honoribus semper venerati essent. Verebantur vero ne ubi pergerent a Boemis dissentire, atque haec subita animorum mutatio ad regem maneret, ad ceteras eius offensiones, quarum plane esse immemor haud poterat, hac una adiecta, alienarent a suis rationibus illius animum, cuius commodis semper aliquanto impotentius, quam regis maiestas postularet, et suorum fides, adversati essent. Neque deerant, qui crederent, saucio iam moerore animo, ex desiderio amissae reginae, veluti per redivivum morbum, luctu, nova contumelia aucto, tantae malorum moli ferendae imparem

sublatum iri. Ita Ludovicus, vix expleto altero anno, rex Albae per Thomam Cardinalem Strigoniensem pontificem vetusto gentis more, sacro diademate redimito capite coronatur. Quae dum ad hunc modum in Vngaria administrantur; fit certior rex suorum litteris, audaces, ac facinorosos homines, cum quaerentibus rerum novandarum causam, regis profectio opportunam obtulisset, spe conturbandi rempublicam novos excitasse in Boemia tumultus. Erant vero litterae tum acriter, et vehementer scriptae, tum copiose, et luculentis verbis, ut appareret, ab perpessis ultima omnia ad comovendum regis animum profectas. Summa haec litterarum: Pacem atque ordinum concordiam, quam paullo ante praeclaris institutis inter cives rex firmasset, victa bonorum causa, turbatam; numquam deficiente materia seditionis (cum quidem ad tempus sopitae potius, quam extinctae civiles dissensiones viderentur) inter animos efferatos odio, quod longa die inexorable adversus omnem remedii vim occaluisse. Desperatos homines, cum, dilapidatis patriis bonis, omnia deficerent, honestas, nomen, existimatio, quae quibus deessent, redderent vitam invisam, unam spem salutis reliquam in armorum licentia positam habere, quae, ubi vigeret magistratus auctoritas, non dubitarent quin sibi e manibus extorquerentur. Sua sponte etiam, propter multa atque insignia maleficia, quibus sese contaminassent, magistratus, legum, ac iudiciorum severitatem odisse; satis gnaros, salva auctoritate publica, se diu saluos (manere?) non posse. Quorum ferociae nisi rex obviam iret, verendum esset, ne, corroborata tempore, ad perdendum reipublicae statum, quo eorum consilia spectarent, sumeret vires. Id credi accidere ob nimiam regis lenitatem, qua minime

ex eorum temporum ratione, usus esset improborum hominum malefactis vindicandis, parum eandem semper futuram usui, ubi non recti studio, quo raro vulgo homines ducerentur, sed iudiciorum, ac legum metu a male agendo prohiberentur. Nam probitatem bonis pro lege esse, (aeque enim illos fore in officio, ut nulla etiam iudicia legesque essent, quae iuberent aut vetarent, et praemia pro cuiusque meritis, ac paenas constituerent) aliam improborum rationem esse. Nequidquam a sapientibus hominibus tot leges severe latas, nisi rex, magistratus legum custos, iudex, idem scelerum vindex adesset, poenae, et supplicii, ex legum praescriptione severus exactor. Legem, quae vindice careret, contemni suo modo robore vigentem. Quod ubi accideret, necesse esset contemptam reipublicae pesti, atque exitio esse; cum ea deficiente bonorum consensu, nequid superesset, quod improbi vererentur: ut satius esset legem non scribi, non magistratum, non regem creari, non iudicia constitui, quo, minore cum culpa homines, flagitiosi, ac scelerati essent. Hoc vero eos agere, qui in iudicando essent remissiores, ut quibus ignoscerent, ii quidquid sibi remissum de poena, et supplicio esset, non in eo secum benigne actum, sed victas leges, audaciae atque improbitati cessisse existimarent; quo nihil accidere in civitatibus perniciosius posset. Id cum alibi in Boemia tum maxime in regia civitate, usu venisse et magna quidem cum reipublicae calamitate. Quod minus rex, pro potestate regii imperii, proque hominum scelere, et audacia, improbos ferro, igni, armis, ultus esset, id quod illi facile licuisset; creditum a sceleratis hominibus non voluntate eum, propensa ad lenitatem clementia, facilitate, sed desperatione virium fecisse. Quae tota ratio eo specta-

ret, ut augetet malorum audaciam, non frangeret: qui cum non haberent, quod metuerent a regia potestate, haud uno nomine viderentur detestandi et quod ipsi scelerati essent, et quod alios efficerent sceleris aemulatione, et spe impunitatis ad male agendum deteriores. Vt vero praevalida corpora, quae suis viribus morbi vim alerent quo afficerentur, leviora remedia non admitterent (iis enim refricari dolorem; morbum non tolli) sic opulentum regnum, cum suo robore intestina bella, et popularum dissensiones aleret, ad tollenda domestica mala non indigere clementi, ac leni, sed accerrimo, rege, et qui per multorum caedem, et nocentium hominum supplicia, qua parte respublica laboraret, si fieri posset, munere etiam, quod gereret maior, malefactis hominum terribilis occurreret; ut medicus secando, atque urendo corpora affecta, sic laesam reipublicae partem, caede, ac sanguine sceleratorum hominum sanaturus. In regia civitate, quam rex nequidquam paullo ante pacatam reliquisset, sopito ad tempus magis, quam sublato malo, eo ventum esse impunitatis, ut omnia improbis vi, atque armis obtinentibus, in silvas, et deserta loca viris bonis esset confugiendum, relicta urbe, quae olim Boemorum regia, atque imperii domicilium fuisset: tum sedes, et receptus, feris omnibus immanioribus, et nocentioribus hominibus pateret. Silere leges, iudicia contemni, tolli auctoritatem publicam, regni iura labefactari, maioribus receptas religiones, a rege sanctissimo instauratas, veteres ritus sacrorum, dei immortalis cultum augustissimum, divina, atque humana omnia agi, feri, misceri, turbari. Atque haec quidem tanta mala, cum ab alia sceleratorum manu, tum ab eorum maxime invehit, qui nominis delationem ob multa admissa dedecora et scelera, ubi

publica auctoritas leges et iudicia tueretur, in civitate vererentur. In ceteris discordes, in hoc uno minime dissidere, quae una certa esset improbitalis nota, ut paribus studiis adnixa, per sublata iudicia, atque ever- sas leges, in bonorum exitium incumberent, quorum fortunis spes esset occurri domesticis incommodis posse. Horum vero consensum, et conspiracyonem nefarios homines contemnere, non audacia solum, sed numero etiam superiores, prona multitudine, ubi auctor, quem sequeretur, non deesset, ad omne genus scelerum, quo quaestuosum otium, ab neglecta artis industria quaereretur, cum eius maior pars labore diurno, atque urbanis opificiis alerentur. Defendi quidem magistratum auctoritatem ab integris, et studiosis meliorum partium, sed maioribus tamen animis, quam copiis: cum in iudiciorum severitate, non in vi, atque armis publicam salutem haberent constitutam. Eadem ratione regis instituta ab aliis convelli, quorum licentiae nulla esset, quae obsisteret, aut regis, qui procul abesset, aut magistratus, quem praesentem contemnerent, auctoritas: defendi ab aliis, quorum interesset, regi in suos integram, atque illibatam constare, qui tamen non adeo multi essent; ut cum per adeo contraria studia pax coire inter cives non posset, urgente intestino malo, brevi esset necesse, omnes in diversas partes distractos, praecipites ad exitium impelli. Ita cum res in iudicium deducerentur, atque de his iudices a rege delecti, pro sua fide statuerent, quorum integritatem, atque innocentiam anteacta vita commendaret; neque stari placere rebus iudicatis, quae nullae essent, ubi plus arma quam leges, ac iura possent, et quod obtinere iure non sperarent, vi extor- quere, et per iniuriam conari. Hinc, quod necesse

esset evenire, ubi leges, et iudicia suum robur non obtinerent, egestate impellente, quae raro a nequitia, et improbitate abesset, aequae eadem vitae et morum immanis pestis, improbos eodem revolui, ac, victo bonorum consensu, ad rapinas, caedes, latrocinia converti, cum nulla essent frena, quibus tam profligata hominum audacia coerceretur. Neque intra hos fines sceleratorum hominum amentiam constitisse: elatos de plebe homines, quos et multae aliae iniustae ignominiae notae, et alienum aes ad rerum novarum studium impelleret, cum nihil sibi reliqui fecissent, quod deperderent, iam pridem cum fortunis, honestate consumpta; arma adversus exsules sumpsisse, summae homines nobilitatis, atque inde Cubitum oppidum munitissimum, quo se illi vim veriti recepissent, omnibus viribus oppugnatum isse. Sed propugnatorum virtute, cum illis adderet animos imminens salutis discrimen, et studium tuendi nobilitatis decus, inconditae multitudinis impetum repressum. Inde cum diu omnia expertis irrita cessissent; coeptam oppugnationem parum secundis auspiciis, re infecta omittente, ac male multatos retro, unde discessissent, redire coactos. Exceptos tamen ab his in insidiis duos fratres Schaumbergenses, nobiles homines, atque in Bavariam abductos, unde se grandi pecunia redimere essent coacti. Ad ea omnia per eadem tempora novum malorum cumulum accessisse. Exortum Georgium quendam Copitlanseium insignis hominem audaciae, ac notum latronum ducem: qui, magna perditorum hominum comparata manu, caedibus, populationibus, exustionibus agrorum, arcium atque oppidorum eversionibus, omnia domi foris Pragensibus infesta efficeret, nemine sceleratis inceptis obsistere audente. Nam eo successu, atque audacia provectum, ut ad

moenia urbis usque praedabundus accedere auderet: quod non regi contumeliosum minus, quo vivente latro sceleratissimus haec in suos auderet, quam populis miserum acerbumque esset. Saeva, ac truculenta hominum ingenia, haud posse odium explere inimicorum morte, quam ulciscendis privatis iniuriis ultimum malorum omnium, ii habeant constitutum, qui inimicitias exercerent humano more: membrorum mutilationibus, in innocentes saevire, usque eo, ut per omnes cruciatus viribus exhaustis, tortores patientia malorum iis fatigaretur qui torquerentur. Efferatis odio animis celere mortem, quae tolleret miseris supplicii moram, iis quos odissent negare; concedere paucis beneficii loco, unicum perfugium in malis, iis quibus vita esset exitii causa. Atque haec ita foris impune agi, ut nemo iam e regia urbe auderet pedem efferre, non secus, ac si hostili exercitu esset circumsesssa, vix hominibus se moenibus inclusos tutos ab iniuria, et maleficio existimantibus. Eodem tempore, quasi continenti incendio ex religionis discidio excitato, ardere in civitate odia hominum, quo latius in dies serpentem flammam nulla spes restinguen- di esset, materiam seditiosis vocibus multitudini con- cionatoribus subministrantibus, quae civitatis otium per- turbaret, et reipublicae statum diu nutantem labantem- que convelleret. Alii tantas discordias callido artificio hominum, qui urbanae plebi se gratificari crederent, ea suggerentes, quae cum excogitata essent, non sine certa labe male conscii animi, ab impuris hominibus multi- tudini tecta religionis velo obiicerentur, quo minus appareret, quae intus lateret nequitiae labes. Horum vocibus imperitos homines auscultare suadentium, quae suavia essent, quo ea arctius arrepta tenerent obstri- ctis religione animis; qua abutentes, nullo dei immor-



talis, nullo divinarum, atque humanarum legum metu, in omnium facinorum et flagitiorum licentia volutarentur. Vnum esse telum acerrimum, quo armati improbi in bonorum caussam auderent impetum facere, munitam religione impunitatem peccandi; ut cum vitam omni maleficiorum, et libidinum genere contaminassent, neque in foro iudicem verentes, quem aspernarentur; neque sacrosanctam potestatem in homine agnoscentes, a quo dei immortalis interprete, scelerum expiationem peterent; a nullo maleficii genere abstinerent, in quo aut spes commodi, aut voluptatis illecebra existeret. Satis per se esse alacres improbos ad quodvis admittendum scelus, frustra legibus, incensis cupiditate animis, frena iniicientibus: quod cum esset persuasum, non solum nullo cum legum metu, sed cum pietatis laude etiam, iis liceret improbis esse: duci enim laudi velatam nequitiam religionis larva, exercitibus nullo discrimine, in omnes promiscuam libidinem. Neque diu futurum, quin sacrosancta virginum collegia, si quo spectarent eorum consilia aditus pateret, (prohiberet a suis deus tam dirum et funestum omen) suae libidini prostituerent. Persuasisse sceleratos concionatores multitudini imperitae, nullum deo offerri posse sacrificium gratius, quam deletam religionem sanctissimam e multorum animis maiorum conculcata sacra, profanata templa, excissa, solo aequata: quorum admittendorum scelerum si quis veram caussam quaereret, unum audiret religionis nomen, et pietatis studium iactari: si quis propius rem spectaret; per obiectum religionis, et pietatis nomen, exerceri palam teterrimum latrocinium animadverteret. Difficile esse multitudinem, ut cetera abessent, legibus frenare: quid futurum, ubi illi esset pro lege cupiditas, libido,

furor; in scelere, et latrocinio religionis et pietatis quaereretur laus? Ita vero distractos animos in factiones diversas, neque eum ipsum Ladislaum, neque superiores reges alios, frustra omnibus viribus adnixos conciliare potuisse. Novas sectas, nova factionum exorta nomina: Hussitas alios vocari; Calixtinos alios; alios Picardos; amissis veris nominibus, quibus in eadem patria iisdem essent sacris initiati: quorum omnium essent varia quidem sed aeque foeda, et prodigiosa de religione commenta: ut qui in tanta civitate vere vocari cives possent, et meliores partes tuerentur, vix unum, aut alterum liceret inveniri. Magnum ex his metum omnibus iniectum, ne ita domi, forisque respublica concussa, in extremum discrimen adduceretur, vacua Boemorum regia praeside, et custode communis salutis, qui unus, si adesset, sua auctoritate ruentem rempublicam sustineret. Quae omnia quamquam, ut essent, per se gravia haberentur, unum tamen malorum omnium gravissimum verendum, et quidem non sine acerbo gemitu, et fletu bonorum, ne Christi religione violata sceleratorum audacia, sacris aedibus incensis, quas rex magnificentissimis muneribus auxisset, sacris, profanis, humanis, divinis, confusus, aversum dei iratum numen a tam foeda, et tetra facie rerum, populorum vota, et supplices preces, deprecantium praesentia mala, atque his maiora in dies imminetia aspernaretur. Nam civiles alias dissensiones, quacumque illas de causa susceptas facilius, aut sopiri, aut tolli posse: ea arma numquam nisi cum vita poni, quae falsi vulgo homines prava opinione de divinarum rerum, et dei immortalis cultu sumerent, cuius sacrosancto nomine saepe viri principes, et magni reges, molientes gentium, et populorum

exscidium improbam cupiditatem tegerent, id quod nuper in eadem Boemia usu venisset. Nullum vero acrius militum genus gerenda re, quam quos pietatis studium concitaret ad arma: sive recte illi, sive perperam subdolis concionatorum adhortationibus imbutis animis, de religione sentirent: doctos enim erigere in coelum animos, unde vitae praemium peterent, quod summum honorum omnium desponsum bene rem gerentibus esset; ubi per honestam mortem esset vita defungendum, pro Christi caussa in acie pugnare praesentibus animis, irruere in ferrum, in vulnera, mortem contemnere audere, beatam sibi vitam, et sempiternam felicitatem spondentes. Dimicare vulgo alios pro eorum victoria, quibus venalem sanguinem, et vitam haberent addictam; pro his saepe, quos non amarent, quos odissent nonnumquam, incitatos una praemii spe, quod sibi vitae pretium statuerent: qua ex re accideret, ut iis levi casu spes debilitata, fiduciam minueret; vires vera virtus non adderet, ne tum quidem, cum spes praemii augetet, firmas, ac validas satis, cum verum virium robur totum ab uno recti studio proficisceretur. Horrere, memoria repetentes, quae a patribus accepissent. Sigismundi Caesaris tempore accidisse, civilia bella ob hanc unam caussam ad interneccionem gesta, defectiones populorum, eversiones urbium, exercituum strages, populationes, vastitatem, incendia, quibus paene esset regnum Boemiae eversum: hunc enim finem propositum habere, huius amentiae duces, ut verbo crediti sacrosanctae religionis propugnatores, cuius nomini multitudo plauderet, re archipiratae, et praedonum duces crudelissimi, cum nullae iustae causae videri possent capessentibus iniusta arma, per vim aliena regna invaderent, privatos fortunis everterent,

e republica facerent privatam, diriperent sacra, patriae exitium, et suorum, tamquam hoc esset maximum documentum pietatis, horrendo scelere molirentur. Quorum malorum recordatione, quae nondum animis exolevissent, simul praesentium sensu, atque impendentium metu percussos Boemos, supplices orare, ut tandem tot cladibus percussis, tot vexatis aerumnis, quibus ferendis nullae sufficerent hominum vires, sua rex, et suorum caussa, aliquando damnatis mitioribus consiliis, quae non frangerent feroces animos, sed in amentia et scelere confirmarent, improborum hominum audaciam primo quoque tempore statueret vi sibi, atque armis comprimendam. Habere se, et multa, et gravia alia praeterea, de quibus quererentur: cum praeter unum regem, ad quem confugerent adeo afflictis, et perditis suis rebus, quod miserrimum esset, neminem haberent: cuius desiderio si diutius tenerentur, tum vero nihil sibi esse caussae arbitrari, cur non esse se omnium mortalium infelicissimos, et calamitosissimos censerent. Tela, quae in corpore haerent ita laedere ceteras partes, ut sensus mali omnis pertineret ad caput, cuius rex instar, excelso loco positus, populos, gentesque multas uno, atque eodem imperio contineret. Prospicere suorum adversis rebus non ita multos posse; quae maioribus viribus, studio acriore essent, quam quae secundae forent administrandae; plures, etiam si possent nolle; qui ita posset, ut deberet, unum modo regem esse, ubi tum sui, tum suorum, et videri, et vere adeo esse memor vellet. Non illum quidem negligere aliena, sed prodere sua, ubi clausas aures haberet suorum querelis. Regi aequae, ac Boemis, regnum flagrare domestico incendio, regi dissidere ordines; regi rempublicam distrahi, dilacerari, everti,

Quod si eo loco essent res Vngariae, ut rex inde avelli, sine magno regni incommodo haud posset, quod proximum esset, mittere legatos in Boemiam ne gravaretur, atque eos quidem cum summa potestate iuris dicundi, quaerendi de sontibus, in convictos, pro scelerum magnitudine, animadvertendi, tum de sacris pariter, ac profanis rebus, ex sua fide, et sapientia constituendi, prudentes homines, et priscae severitatis, in quibus cum gravitas, et fides, tum ad coercendam improborum hominum audaciam, coniuncta vis animi, et constantia par haberetur. Eum quidem statum rerum esse, ut nisi mature exorto incendio occurreretur, vix sperandum esset, adveniendi in regnum nisi armato, et iusto exercitu instructo, aditum patere, cuius metu teterrimi latrones se reciperent in silvarum latebras extra Boemiae fines. His litteris, ut Boemorum afflictæ res postulabant, et graviter et vehementer scriptis, Ladislaus maxime quemadmodum aequum erat, commotus dicitur, sed nullo cum Boemorum usu, et compendio; qui in magna rerum perturbatione, regia virtute, et magnitudine animi, non regis inani simulacro ad tollenda domestica mala indigebant. Ita vero tangebant imbecillum animum suorum querelae, ut volentem eorum accisis rebus opem ferre, averteret praesens Vngaricarum rerum status, quarum molem vix fortissimus rex, et Matthiae, quam Ladislai similis, ut cetera abessent, sustineret. Accedebat haud plane inanis suspicio de nonnullorum in se minus secundis studiis, quibus quidem male affectis sua sponte, et cupidis novandi res, materiam, se absente, ad ea efficienda, quae agitent animis praeberi volebat, satis gnarus, volentibus, minime defuturam, turbandi occasionem, cum ad animi studium domesticae opes

accederent, semper in privatis, merito regibus suspectae. Augebat suspicionem, eorum haud dubia conspiratio (iam enim ad regem manaverat) qui, cum proxime actum esset de puero Ludovico regni honore honestando, deliberatam rem in dubium revocare, populis aliis contra tendentibus, conati erant. Ergo cum plane crederet, in magno rerum motu, parum tutum (fore hoc) tempore ex Vngaria discedere; de suorum sententia, Ioannem, Varadinensium pontificem, cuius, ut alibi diximus, magnis in rebus erat spectata fides, quique iam inde a Matthiae regis tempore, amplissimis legationibus ad externos reges functus, egregiam reipublicae operam navaverat, legatum in Boemiam decernit, addito collega Stanislao Olomucensi Episcopo, cuius virtuti plurimum rex tribuebat: simul Boemos in diem certam, ordinum conventum indicere, atque habere omnia parata iubet, ne sint legatis advenientibus in mora, qui statim iter capessere, atque properare in Boemiam essent iussi. Quae cum ita essent administrata: omnium opinione celerius; legati Pragam advenientes, ne quid integri Boemis relinquerent ad nova capienda consilia; frequentem principum conventum, praeter suam spem, offenderunt, haud ignari multos esse, qui conscii maximorum scelerum, non crederentur legatorum cognitioni severissimorum hominum caput obiecturi. Ita advocato concilio, Ioannes accurata oratione expositis regiis mandatis, docet: Quanto cum animi moerore rex audierit, quae post illius discessum, praeter suam expectationem, acta essent. Neque vero magnopere constare, maiore esset misericordia eius in viros bonos, per longam malorum seriem, a quibus minime aequum esset iactatos; an iracundia, atque indignatio in crudeles, et sce-

leratos; qui superbe spreto regis imperio, eorum malorum auctores haberentur, quae non ferenda illata ab hostibus barbaris, nullo suo merito viri boni, et patriae amantes, per summam iniuriam a suis pertulissent: cum miseris nihil praesidii in regis maiestate positum esset, cuius nimia clementia, audaciam nefariorum hominum crescentem diuturna impunitate, in reipublicae perniciem aluisset. Ac si eius tolerantiae caussa quaeratur, qua pacis studiosi homines, ad tantam improborum licentiam obduruerint, nullam certiore posse inveniri, quam singularem eorum in regem fidem; cuius illis potior cura quam salutis fuerit; cuius vindicandae vi, atque armis a sceleratorum impetu, qui illam evertere, insigni cum reipublicae clade conati sint, non fuerit facultas volentibus defutura. Neque vero improbos solum in eo fecisse scelerate, quod ausi perturbare civitatis otium, in suos saevissent, sed etiam, quod ausi laedere regis absentis maiestatem, quae quo maiore in honore apud nationes exteras semper habita esset, eo magis suis inviolata, atque illibata esse deberet; cum satis intelligerent, in ea una, multorum populorum salutem contineri; qui non facile inducerent animum obtemperare unius imperio, nisi iis esset persuasum, eum, cui obtemperarent, esse praestantiorum. Non hostes barbaros, non Turcas, non Scythas, sed his multo immaniores Boemos, regis optimi novis institutis et legibus rempublicam constabilitam, obduratis animis adversus omnem humanitatis sensum, per conculcatam dei immortalis religionem, pessumdatas leges, sublata iudicia, erepta civibus iura libertatis, labefactare audacissime, sceleratissimeque ausos. Quorum effrenatam audaciam, eo acrius regem sibi censuisse vindicandam, quo magis

eorum scelere cogeretur vim ingenio afferre, quo nihil sibi in vita gravius posset accidere. Sua sponte enim ad clementiam et misericordiam proclivem intelligere, oblito pristini instituti in eos gravi, ac severa animadversione vindicandam, quos flecti atque emolliri sua dissimulatione, et indulgentia maluisset. Quod unum semper sibi in optatis maximum, quando per nonnullorum furorem, atque amentiam minus obtinere licuisset; ingenti quidem cum animi moerore, sed necessario tamen consilio, intelligere sibi ab invitis, vi, ferro, igni extorquendum: una enim modo ratione videri recte rempublicam posse procurari, ut quemadmodum in corpore vitiosae partes ferro abscinderentur, ne ceteris contagione obsessent; per ultimum supplicium, atque eas poenas quae essent legibus in sceleratos constitutae, a reliquorum civium coetu, a quibus dissiderent capitalibus odiis, fracta animorum pertinacia, avellerentur. Perditissimam vero eorum rationem esse, qui cum sua sponte esse probi, atque insigni adeo cum laude queant, probitatem inviti sectari cum dedecore, nullam certe laudem maiorem promeriti, magistratus et legum metu cogantur. Non enim in recte agendo, sed in recte agendi caussa, inesse virtutis commendationem, quae tum vera sit virtus, cum quidem non honesti specie, sed germana sua forma nitens, aliud etiam agens, suum nitorem, et decus tueatur. Quando sua spe rex falsus nimium cum iis molliter agendo, paratiores in dies fieri ad ea audenda animadvertat, quae sint maxime evertendae omnium libertati, aspernari regia imperia, iugum legum excutere, palam caedes facere, publica iuxta, et privata, sacra, et profana loca diripere, violare, suae libidini, et cupiditati cuncta aequata habere; aliam sibi statuere rationem consilii ineun-



dam, et quae propria eorum temporum sit; ut lenitatis suae nimiae culpam, ne ea posthac improborum amen-  
tia corroborata in patriae exitium vertat; severo iudi-  
cio in sontes, et magnitudine suppliciorum animadver-  
tendo, regii muneris simul, et suae constantiae memor.  
Neque vero quemquam ignorare debere, quanto gra-  
vior, atque acerbior iniuria sit, quae ab iis inferatur,  
qui amicorum persona fallant, quam quae a palam  
inimicis, qui, quo animo sint, prae se ferant. Vtrumque  
autem horum regi accidisse, minime tanta contumelia  
digno: per illius enim contemptam maiestatem, viola-  
tum summi imperii ius a palam improbis, quibus infes-  
tissimis utatur; atque ab iis, in quibus, captus fucata  
specie probitatis, documenta suae liberalitatis illustria  
constituerit; qui quidem optime de se merito hanc gra-  
tiam referant, ut, quod unum illi in vita sit molestis-  
simum, beneficentiae cum suae et facilitatis poenitere  
sit necesse. Declarare illos hunc suum animum cum  
aliis multis nefarie agendis, tum vexandis, atque ex-  
agitandis bonis, quibus uno hoc nomine sint infesti,  
quod constanti fide, et eximia pietate in regem patri-  
amque sint. Audisse quae illi consilia adversus bonorum  
consensum inierint; quas coitiones fecerint, abditis, et  
remotis locis; quae in patriam simul, et in suos cives  
privatim, quod non sint passi se in eorum sententiam  
traduci, sint moliti: exstare litteras, et quidem penes  
quosdam quos sciret secum in consilium attulisse, iis  
de rebus, quae in sceleratorum coetu sint adversus  
republicam administratae; quas sibi litteras consi-  
gnari denunciatione ultimi supplicii iubeat: nihil enim  
regi exploratius esse, quam quae ipsi esse existima-  
rent quam occultissima. Simul his dictis, minitabundus,  
cum dicentis mens vultus oculi arderent, proferri lit-

teras ac sibi tradi extemplo iubet. Mox scire, inquit, se a quibus, apud quem scriptae, quo tempore, quorum signis obsignatae sint; ut nisi verbo sint audientes, atque, omni praecisa mora, iis exsequendis, quae rex imperarit animum intendant, haud ipse sit passurus a rege impositas sibi iustitiae, et severitatis partes, terribilium hominum maleficiis vindicandis, pro sua fide et constantia desiderari. Tanto haec maiore cum attentione audita, quanto minus a Ladislao rege exspectata; quem in publicis rebus oscitantem aut minus cognoscere, quae gererentur, aut dissimulare eadem, etiam si perspecta haberet, diffisum ingenio coniectura probabili credebant: quo impuniùs, et solutioribus animis, quae collibisset, in patriam admittere auderent. Sed multo admiratio maior incessit a legati dicentis persona. Ioannes enim, cum satietas illum honorum, et publicorum munerum coepisset, quae magna cum fidei, et sapientiae laude apud suos et apud reges externos obiisset, Franciscanorum sodalities se addixerat, ambitiosae vitae, et curarum pertaesus, quibus per omne vitae suae tempus erat gravissimis perfunctus. Quo illi tamen vitae genere, tuto receptu, ut credebat, a publicis curis, haud diu per regem licuit frui; saepe enim interpellatus, quamquam reluctaretur, excusata procuratione sacrorum, quibus se addixisset, interesse publicis consultationibus de pace, de bello, a quibus se subduerat, cogeatur. Quae quamquam ita essent; nulla aut commodi, aut honoris illecebra emollitus, quae fidem faceret, animum praesentis taedio, priori fortunae redditum; constanti animo in suscepto consilio, sacram vestem, eius ordinis insigne, in quem erat adlectus, retinuerat in regiae splendore, una modo opinione sanctitatis, et sapientiae insignis, quo altior

animi virtus despicientia rerum humanarum conspiceretur. Plura de Varadinensi si quis est, qui aveat scire, a Bonfinio petat licebit, qui de eo multa trádit, quae scripta quidem forte delectent, quibus legendo fessis, quasi sunt diverticula quaerenda, quibus a labore relaxent animos; robustiores non desiderant, qui legendis iis, quibus prudentia comparatur, interpellatorem non quaerunt, ut maxime iucunda narratione demulceat aures. Ergo veriti Boemi in humili persona praesentiam animi, et maiestatem regii imperii, ne si inficiando, tergiversandove tradere litteras cunctarentur, caussae per se malae accessionem viderentur pertinacia quaesisse, litteras, ut erant obsignatae multorum signis, quae nemini non erant nota, producunt, legatisque tradunt. Mox Varadinensis, non lectis litteris, non revulsis signis, non inscriptionibus inspectis, omnibus sibi ex animi conscientia, cuncta duriora, atque acerbiora sua expectatione ominantibus: hoc, inquit, Boemi, a vobis postulat rex, cuius vobis nutus debet esse pro imperio, atque adeo (si hoc eius modo patitur maiestas) vos orat, atque obtestatur, ut ob id ne sinatis vos altius efferri animis in dies magis de patria, et de vestris civibus male merendo, quod non sit hodie passurus, suam elementiam vestro scelere vinci, et condonandis vobis insignibus maleficiis, quorum culpa vobis erat ultimo supplicio luenda, quasi pervicaci benignitate pugnare cum vestra contumacia constituat; certe non ita est rex vester de vobis meritus, ut quae debeant esse apud vos lenitatis suae et clementiae monumenta, qua vos in praesentia est complexus, patiamini ingrati animi, et nefandi sceleris monumenta esse: quod quidem est futurum, si, pro remisso vobis ultimo supplicio, contumaces in male agendo,

praeposteram gratiam, regi optime de vobis merito referatis, semel vestro ingenio improbi, quod vobis satis esse ad summam nequitiam debuit, mox facti regis facilitate deteriores, qua non erat vobis adeo pertinaciter abutendum. Rogat vos, inquam, rex atque obtestatur, quem severum atque acrem tot in vobis maleficiis vindicandis, nemo non statuatur efferendum in coelum summis laudibus, aliquando tot malis, quibus patriam, immanem in modum, scientes volentesque perdidistis, aliquis a vobis statuatur modus, conversis ad pacem, et concordiam animis, quos in pravas cupiditates, et nefaria studia, partium odium distraxit. Hoc nisi a vobis regem patiamini impetrare in vos omni vestra spe mitiorem experti; tum non est vobis recusandum, quin feris bestiis, quorum truculenta ingenia non lenit, sed auget dies, quam hominibus videamini similiores, quorum est divina indoles et dei quam simillima natura. Cum vero hoc regi optatissimum continget, qui aegerrime fert, se a pristina sua clementia avocari, tum erit maxime idem vestris rationibus consentaneum. Nam hoc vobis plane verendum est, ne quando a vobis consuetudine peccandi, exhausta nimia eius facilitate, et indulgentia in tot vobis sceleribus comiventis, durius vestra opinione in obsistentes suae benignitati animadvertat. Quod illi necessarium consilium, quamdiu, quemadmodum instituistis, vos gerere pergitis, ut minus sibi necessarium in dies putet, dare vos operam oportet, illius clementem in vos animum agnoscendo, parendo alacriter illius imperio, ab iniuria, et maleficio in eos abstinendo, quibus esse subsidio in agenda vita vos divina, atque humana iura suadent. Ac ne quis vestrum minus alacriter sibi regi obtemperandum statuatur, non reipublicae prius, quam vobis privatim sa-

lutaria poscenti: hoc vobis spondeo, omine tanto vestra exspectatione laetiore, per oblivionem veterum iniuriarum, pacem, et concordiam complectentibus animis, quae vos a respicienda republica avertunt, fore, ut privatae res vestrae, quae non possunt esse a republica seiunctae, eo statu futurae sint, quo ne in beatissima quidem et moderatissima civitate esse meliores possint. Simul cum haec dixisset, concerp-tas dilaceratasque litteras, ne colligi frustra, et legi ab astantibus liceret, disiicit in partes diversas, cum haec adiecisset, orare se deum immortalem pacis, otii, concordiae auctorem, ut quemadmodum disiici a se domesticorum scelerum monumenta, per regis mitissimi adeo lenem animadversionem . . . mi vidissent, sedulo operam darent ut simultatibus, atque inimicitiis omnibus animo oblitteratis, cum suis civibus, quos eadem patria, coelum idem, et terra eadem aleret, in gratiam redirent. Non defuerunt qui cum haec gererentur, conversis subito a iudicii metu ad hilaritatem animis, Enimvero, dicerent. . . . Boemos, quando minime recusare possent, quin esset sua contumacia, constantia legati victa; quo honestius victi viderentur, detracta illi tam humili sordida veste, minime indice tam excelsi animi, qui sub ea lateret, praetextam illum, et palmatam induere debere, quae victoris, ac triumphantis esset; magis certe illius virtute (et) constantia dignam, quam obsoletam Franciscani tunicam, et agrestis hominis verius, quam sacerdotis cucullum. Neque vero squalidum, atque horridum cultum, personam, quam gerat decere, qui et pontifex, et regis legatus, a prima sua adolescentia magnis in rebus gerendis versatus, apud suos pariter, atque apud externos aeque magnam adeptus gloriam esset. Inde Ioannes luculenta oratione, et

ad tempus accomodata, omnes hortatur ad colendam pacem, finiendaque odia, quae nihil caussae esset, cur haereditaria relinquerent posteris, quos quidem aequius esset, aemulari maiorum virtutem, iustitiam, et fortitudinem, ferendis aequo animo inimicorum iniuriis, quam ferociam, atque audaciam simultatibus, atque inimicitis pertinaci odio, atque inexorabili persequendis; quas cum ipsi mortales suscepissent, haud dignum viris fortibus videretur, eas nullis vitae spaciis circumscriptas, definitasque habere; quasi vita etiam defunctis statuerent sibi per aeterna odia inimicitias immortales exercendas. Nam Christum, in quo uno ad conformandum vitam ad pietatem esset homini propositum charissimum exemplar, terris excedentem, nihil quod vere suum esset, hoc est plane divinum, aeternum et seiunctum a concretione mortalium rerum, praeter pacem, et concordiam suis reliquisset; in quorum numero ut censerentur, Boemis dandam operam esse. Hanc unam haberi, qua veluti compage nexa omnia quae orta essent, coalescerent, vigerent, suam vim, et robur tuerentur: hanc, qua soluta, corruerent ad interitum omnia, et perdita everterentur. Vnum vere resipiscentibus agendum, ut si vere esse homines se, si redemptos eodem Christi sanguine, habere unam, atque eandem cum iis communem patriam intelligerent, a quorum essent salute aversi; tandem, collectis animis, statuerent aliquem odiis, atque inimicitis modum, seque aliquando restituerent suis; quos cum ad civilem societatem, in easdem vitae leges, atque instituta, quibus ipsi devincti essent, natura consociasset, quomodo se ab iis dissociari posse crederent, sine gravissima naturae iniuria, ac dei immortalis omnium parentis; cuius sanctissimum numen castis precibus, et puris

animis ab omni flagitio, et labe mortalitatis deberet coli? Quod vero tetrius, atque execrabilius monstrum, quam animantium omnium hominem nobilissimum, in feram, atque immanem bestiam degenerantem, qui, unum praestantissimum naturae opus, dei immortalis viva imago potens omnium, quae coelum, terra, mare gignit, mundi totius rector in terris, moderatorque haberetur. Quod prodigium, et portentum in terris maius, quam natum ob eam caussam, ut hominum societatem tueretur, atque adeo non solum adeundis aliis vitae incommodis, sed si usus postularet, morte etiam oppetenda, omnia agere, quae dissoluendae, atque evertendae hominum societati essent? Confundi, ac perturbari omnia naturae iura homines credituros, si in eodem corpore animam, cum aliis, alia dissociata membra pugnare viderent. Quid vero aliud futurum, ubi pedibus manus, manibus pedes, alia membra aliis negarent sui usum, quam ut omnia, deplorata spe salutis, simul in certam perniciem ruerent? Quod si in eam rabiem agerentur, ut pedem manus sauciare, frangere humeros, crura, effodere oculos, truncare aures, digladiari inter se omnia conspicerentur, quem non crediturum alucinari se, spectra videre, furere, insanire? Neque vero Boemos existimare debere, ubi ita pergerent esse infesti suis civibus, prius se in alios, quam in ipsos se, crudeles fore. Qui sensus esset in laesa corporis parte, eum ad universas pertinere: quarum si qua esset, quae in communi offensione dolore careret, tamquam stupore affecta sensum amisisset, haud dubitandum, quin a reliquo corpore videretur abscindenda. Quod quidem in primis in hominum coetu observari aequum esset, ut qui alterius incommodo non moveretur, is indignus hominum societate,

a qua se ostenderet habere alienum animum, arceretur. Iam si hoc in eo esset verum, qui non afficeretur sensu alterius incommodi; quanto in eo verius, qui ipse efficeret uni inferendo iniuriam, ut sensus doloris ad omnes perveniret? Quam illa porro arcta vincula coniunctionis habenda? eandem religionem, eadem sacra, initia eadem, quibus inter se devincti, eodem Christi beneficio, a principe, et parente rerum omnium deo, in filiorum iura adoptati essent? possene animum inducere, ut et sui et suorum memores, eos haberent hostium loco, quibuscum unum, atque eundem patrem agnoscerent deum? Patriae illos, cui prius, quam sibi essent nati, ita vitam, fortunas, omnia referre accepta, ut minime deberent funestis armis dimicantes, in eius sinu constituere suorum crudelissimam lanienam; a qua in lucem suscepti primum coeli spiritum hausissent; seu caderent, seu vincerent, in magna orbitate, et luctu per amissam sui partem futura. In civilibus enim contentionibus mediam quasi matrem indulgentissimam, non posse sine ingenti moerore, armis decertantes suos spectare: sive hi enim, sive illi superiores essent civilibus armis, numquam non patriam vinci, quasi ancipiti ferro a suis confossam, et iugulatam; cum eodem tempore, quo victores exsultarent in suorum civium caede; per suorum interitum, luctum acerbissimum hauriret. Quid vero eas ipsas laetas res sibi invidentium experirentur? certe tantum hoc malum, ut vita, quam inducti pravo errore sibi beatam fingerent, contempti, invisus suis, miserrima infelicissimaque fruerentur. Neque vero esse magnopere mirandum, improbos deceptos sua spe, in agendo falli: adhibere enim illos in consilium odium, iracundiam, cupiditatem, mentis errorem, perturbatum scelere animum, cum



pessimos consiliarios semper, tum iis ipsis teterrimos, atque importunissimos hostes, quibus, falsis rerum nominibus, blandirentur. Per hos enim ali voluptatem immanem ulciscendi eos, quorum exitium, minime merentium peterent, saepe sua certa pernicie, et ruina: ut verius animorum tortores crudelissimi viderentur appellandi, quibus homines impotentes sui, se ultro exercuandos, mactandosque dederent. Odium, unde in homine exsisteret animi duritia, atque immanitas, quae esset propria ferarum, multo prius iis capitale esse, qui odio haberent, quam qui odio haberentur: eorum enim vitam, quos improbi odissent, aut aperta vi, aut insidiis peti, quam ut minus inimici adimerent, naturae decreto inexorabili, aliquando exigenti oppoteret reddi: eorum semper animos laedi, qui pravo errore a recta via deflectentes, odio indulgerent; quorum cum natura immortalis esset, immortalia vulnera, et propterea insanabilia esse oporteret. Esse certos animi morbos, qui ita perderent, ut aliqua cum voluptate perderent, amorem, libidinem, Venerem; luxum, vinolentiam, somnum, intemperantiam, alia; quae quamdiu optata quaerentur, spe adipiscendi oblectarent, ubi liceret potiri, immoderate sumpta ita nocerent, ut boni tamen specie laederent, et quamquam non diuturna, ingenti eos tamen voluptate perfunderent, cum iis semel esset persuasum, in his positum beatæ vitæ finem. Odium, tetrum, atque insanabilem morbum, cuius sedandi per vulnera, per caedes, per sanguinem, sicas, venena, incendia, vix spes ulla esset; plane tollendi esset spes nulla, alte animo insidentis, cuius vis in homine esset infinita. Sequi odii impotentem, mentis inopem, perpetuos cruciatus et scelerum conscientia, quae semper angerent per se fla-

grantem cupiditate ulciscendi; tum tristes comites, quacumque incederet, graves curas perpetuo aculeo aegros pervellentes animos, quas non suorum complexus minueret, non allocutio amicorum, non sermo, non optatis ultro lacta occurrens fortuna, non secundae res, non convivium, non epulae, non solida voluptas ulla; saevientibus teterrimis vitae pestibus superbia, atque elatione animi, quae odium alerent iniuriarum recordatione, unde necesse esset, effervescere iracundiam, atque animi aestum, quibus rationis vis pulsa loco obrueretur. Contra, consulenti patriae, et amanti suorum, adhuc in vita propositum praemium maximum: nihil enim aut commodi ab eo, aut ornamenti suis civibus posse evenire, quin quasi diffusum in corpus universum, in eum ipsum redundaret. Nam cum esset eius pars, non posse prius de republica bene mereri, quam ipse una cum multis fructu recte a se factorum frueretur. Id si ita esse sibi persuaderi paterentur, brevi intellecturos, non se aliis prius, ea agentes quae se essent digna, quam sibi ipsos prospexisse. Neque autem se illos modo hortari ad pacem regis legatum, qui, ut nemo unquam superiorum regum, paci, et concordiae studeret, sed Christi etiam legatum, pacis auctorem, cuius imperio cum coelum, terra, maria, omnia parerent, ut peroranti postrema primis consentientia responderent, nihil suis in terris pace carius, amabilius, maius reliquisset. Cum his atque aliis multis in eam sententiam dictis, vir copiosus, et disertus tandem perorasset: ingenti plausu universi, solutis omni cura animis, quos metus ultimi supplicii angebat, certatim sua studia ad conciliandam inter cives pacem, et concordiam profitentur, officii sedulitate, locum veniae, et gratiae apud regem quaerentes: simul inter se com-

plexi spondent in posterum se adnixuros, ne aut patriae videantur defuisse, eius iura tuendo, aut civibus suis, cum iis domesticas copias communicando, aut regi, illius maiestatem unanimiter colendo, eius preferendo imperia, edictis obtemperando, ita comparatis animis, ut nullam occasionem declarandi suam in illum pietatem, et studium essent praeterituri. Deinceps concordibus animis, de religione actum, quod unum maxime urgebat, et requirebat paesens auxilium, vetitis Picardis, quorum erat in primis perdita, et profligata ratio, coetus habere, docere populum, concionari; cum iis esset certa praefinita dies, intra quam diem, nisi amentia, et pertinacia desisterent, iis capitale esset. Facta est tamen potestas iis, qui posito errore, resipiscerent, utrius mallent, seu Pontificiis, seu Calixtinis sese adiungendi. (A calice, quo Hussitae in sacra coena vulgo promiscue utendum docebant, qui eius sectae erant, Calixtini coepti appellari; quod quidem insigne, etiamnum hoc tempore, templis in Boenia illustri loco affixum, ad eorum discrimen, in quibus sacra more Romanorum peracta . . . . ., inspicitur.) Hoc quidem, ut in tam perditis rebus, mitius malum visum, sic ad conciliandam multitudinem Pontificiis parum usui fuit, multis quidem inter se dissidentibus, sed ut uno omnes, atque eodem consensu, pari odio in Pontificios ferrentur; qui caussa superiores, vitae intemperantia, eam ipsam caussam, quam arcte complexi tuebantur, non acriter, ac vehementer minus, quam adversarii oppugnabant. Actum tamen aliquid, et factum gradum ad maiora apparebat; cum hoc obtinentibus facilior aditus pateret, ad cetera perficienda, quae rex sua sponte animo agitabat, eodem modo infensus omnibus, quorum de religione non ea-

dem esset sententia, quam ipse probabat. Neque de-  
erat Iulius Pontifex ita regi in caussam propenso, qui  
cum monere, hortarique non desistebat, ut, pro supe-  
riorum regum consuetudine, quorum eximia fides, et  
constantia fuisset veterum patrum sanctionibus tuen-  
dis, igni, ferro, sceleratorum impias coitiones excin-  
deret, quae christianum orbem, satis iam pridem con-  
cussum, et labefactatum regum discordiis, perditum  
irent. In ceteros regem lenem esse oportere, quorum  
scelera inclusa intra mortalitatis fines, peccantium im-  
punitate atque amentia non excederent ad deum: in  
impios homines, qui gigantum more in deum intenden-  
tes scelerata arma, Christi augustissimum nomen,  
sacra maiorum, religionem sanctissimam evertere co-  
narentur, per omnia suppliciorum genera, quibus spes  
esset, reprimi immanem pestilentiae luem, quae sensim  
ab infectis in integros serpendo recruderet, saevien-  
dum. Vt ingenti coorto incendio, media interscindi con-  
suevissent, ne ad extrema progrediendo, omnia hauriret  
continens flamma; ut crus, ut brachium secari, ne vis  
mali ad integras partes cum totius corporis pernicie  
pervaderet; ita magnitudine suppliciorum saevientem  
in populos perditorum hominum licentiam coërcendam,  
quae ubi per regum dissimulationem latius vires pro-  
ferret, brevi necesse esset funditus Christianam rem-  
publicam interire. Quibus adhortationibus rex confir-  
matus, sperabat fore, ut pulsus Picardis, et per eorum  
confossam, et iugulatam caussam aliorum viribus de-  
bilitatis, qui a pontifice defecissent, inde facilius os-  
tenderetur ratio opprimendi universos, a quibus ita Pi-  
cardi de aliis dissentiebant, ut quantum ad Pontificios  
pertineret, id quod iam diximus, eorum eadem, atque  
aliorum omnium caussa esset. Ferebantur porro de

his multa, magna cum eorum invidia, sive illa vera, sive falso ab adversariis conficta, ut nonnulli videri volebant, quae non modo religionis verior cultus, sed propter summam turpitudinem, atque obscenitatem, reiiciat ratio communis vitae Erant quidem Pragae regis homines studiosi, qui ita pontifici gratificari conabantur, cuius erat apud multos sacrosanctum nomen, ut maioris invidiae in eos conflandae causa, multa fingere crederentur, quae monstri similia magis, quam vera essent. Nam quantum de adversariorum causa detraherent, tantum addere suae roboris et nervorum videbantur; quae convulsa iam pridem, et abiecta per multorum defectionem in Boemia languerat. Hanc pestem Gallus quidam dicitur, e Veromanduis in Boemiam invexisse, unde eius sectatores Picardi appellati; quo nomine nunc etiam, qui eam Galliae partem incolunt, appellantur. Is, si modo haec vere de eo feruntur, se dei filium ementiendo, a deo e coelo demissum ferebat, qui in pristinum statum homines, unde unius hominis culpa essent deiecti, restitueret, ad tantam rei novitatem, undique magna hominum multitudine confluyente, quorum haud contemnendum numerum brevi in sententiam traduxerat. Haec illius scita: Homini adhuc viventi affectiones animorum, quantumvis illas alte a natura insitas, perturbationesque omnes a stirpe evellendas, ut tamquam in exsangu corpore, et vitae sensuumque omnium experte, vigeret suo robore integra ac vegeta mens, tota contemplandis divinis rebus intenta, unde orta esset. Nato homini libero, divinae indolis animanti, uni naturae parendum, soluto omnibus legum vinculis, quae latae ab homine, magna cum humani generis iniuria, inter pares dignitate homines certum ostenderent

discrimen; ut ex eodem genere essent qui imperarent, et qui imperantibus, mortis, et suppliciorum metu inviti parerent, quod discrimen nullum a natura esset omnium parente, cui deceret homines in omnibus obtemperare, nihil non iustum, atque aequum imperanti. Connubiorum, affinitatum, coniunctionum iura e vita hominum tollenda: inter quos naturae commune ius esset promiscuos concubitus permittendos; in communem usum alendos liberos; nihil cuiquam privatim suum agnoscendum; abstinendum vestitu, atque ornatu corporis, cuius nullum esse usum crederent, ubi nullus sensus algoris, aestus, tempestatum, ventorum, atque imbrium esset. Quae omnia, aliaque his absurdiora commenta, ea animi duritia tueri ferebantur, ut mulieres cum viris pertinacia certantes in his puellae, quarum animos neque aetas, neque sexus, fiducia virium corroboraret, non secus alacres ad supplicium irent, ac si supplicio defunctis, aditus certus in coelum pateret, quod iis a concionatoribus, et obsceni sacri ministris persuasum esset. Equidem cum in regia urbe peritos horum temporum homines percunctatus essem, de iis quae tum essent gesta (digna enim videbantur, quae accuratius explorata litteris mandarentur): audiebam sectam etiamnum eandem vigere, censerique adeo in eorum numero non solum quorum integra fama existimatioque esset sui ordinis honestos homines, atque industrios, verum etiam viros principes e praecipua nobilitate, quorum prima dignitas, atque auctoritas inter suos haberetur, certe eo ingenio homines, eaque vitae et morum sanctitate, ut minime verisimile sit, tam foeda im(ma)nia tetra religionis scita posse putari, aliunde, praesertim, ab homine obscuri nominis, quem nulla insignis conditio, ac libero homine digna

ars commendaret, in Boemiam invec̄ta. Nam si quae alia res est, quae esse maioris momenti in vita hominum credatur, una est religio, quae ut praedicata haereat imperitorum animis, auctoritate indigeat, quae iis pro ratione est. Vsque adeo quidem apud multitudinem auctoritas potest, ut nihil quantumvis absurdum, et portentosi simile, cuius auctor magnus vir, et celebris nominis sit, non magno consensu plausuque accipiat; cuius rei luculenta testimonia multa, ut nulla umquam maiorum memoria, Gallia suppeditat: cuius pestis origo a concionatoribus manat, quibus magnam auctoritatem religionis opinio conciliat, turbulento hominum genere, qui venali lingua addicta potentibus hominibus, populum, quem habent in potestate, ad inferenda patriae iniuria arma, illi excidium, per caedes, populationes, incendia molientes adhortantur. Interea legati, quo maior auctoritas inesset, in tabulas publicas referri decretum inter alias regum sanctiones et leges iubent: si qui contra fecisse, ac decretum esset, arguerentur, iusso de iis cognoscere arcis praefecto, atque e sua fide, et legis praescriptione, in fontes animadvertere. Quae deinceps acta in eo conventu essent, cuius indicendi multae caussae, et graves Boemis fuissent (verisimile quidem est multa praeterea fuisse) scriptores non tradunt: quae res digna admiratione videatur. Hoc unum tamen eodem consensu omnes ferunt, factum esse virtute, et prudentia legatorum, ut et facile tumultus omnes in praesentia sedarentur, et, quae vitiosae partes reipublicae quasi ruinosae domus labem facerent, excidiumque minarentur, brevi coalescentibus ad concordiam animis, quamquam attritae, et prostratae civilibus discordiis, in veterem statum revocarentur. Quibus consiliis, atque artibus hoc sint assecuti,

quem fructum maxime decet percipere legentes apud eosdem scriptores mirum silentium, nuda narratione rerum, pro tam ardui muneris functione, contentos. Ita, ab his legati Boemi inducuntur de communibus malis queri; ita adhortari regem ad comprimendam, tollendamque adeo coniurationem sceleratorum hominum, ut illi persuadere nitantur, omni damnata mora, esse ad vim, atque arma perfrugiendum, quibus, de medio sublatis, qui tot auctores malorum ferantur, sperandum sit, multitudinem, quae raro furit, nisi eam seditiosi hominés certi duces, ad tumultum, et arma impellant, posse ad sanitatem revocari; verisimile certe haud brevi disceptatione legatis fuisse utendum, qui tot res, tam capitales, controversias tantas, domi, foris, tot admissa scelera, magistratuum furta, depeculationes aerarii, iudicum forensia latrocinia, quibus Boemiae status ruere propediem credebatur, pro sua severitate, et hominum expectatione, essent vindicaturi. Dum haec in Boemia gerebantur, rex anxius curis, cum vereretur, ne, si quid sibi humanitus accidisset, filio ineunti regnum, opportuna aetas ad iniuriam, apud eos esset fraudi quibus praesens status rerum parum placebat: ungarici regni praerogativa Ludovicum subnixum, ornare quoque Boemici regni insignibus, ut omnis occasio novandi res, hoc unum captantibus tolleretur, optimo consilio constituit. Neque erat minus sollicitus de filia, ubi, vivente adhuc se, Ludovicus deederet, duorum regnorum heres, atque adeo quamquam Vngari, Boemique antiqua consuetudine, deficiente virili regum stirpe, muliebris sexus in comitiis regiis habere rationem consuevissent. Neque magis fore sperabat, id quod aliquando usu venit in eo ipso Vngariae regno, ut, se vita functo, valeret mortui me-



moria ad posterorum commendationem, quod ii modo assecuti ferebantur, qui maximis subnixi in rempublicam meritis, non liberis solum regnum adeundum, sed etiam virtutem dignam regni honore reliquissent aemulandam; quod Ludovico avorum memoria contigit, qui praeter Vngarorum, et Polonorum, Neapolitanorum regnum in Italia obtinuit, et Sigismundo Caesari Ludovici genero, quorum gloria in omnium gentium annalibus, litteris consignata viget. Nihil vero Ladislaus, ut quis maxime illius memoriae suffragaretur, praeter inertem innocentiam, atque eam quidem non in regia modo — in qua non est satis (tem)perare ab iniuria, cum (hoc) sit regis certum, et p(rimum) munus, magni regis p(raeser)tim, ut gentes, et po(pulos) multos suo beneficio (compre)hendat — sed in privata domo etiam infamem, liberis relicturus erat, quo freti sperarent, ubi standum esset principum suffragiis, quorum praerogativam iustis regum comitiis, solent fere populorum studia sequi, se regnum adepturos. Nemini quidem dubium erat, qui e praesenti rerum statu, atque habitu animorum faceret coniecturam, quin, ubi utrumvis liceret, alius, Ladislao mortuo, fuerit comitiorum eventus futurus, quam quem postea secutum vidimus. Sive casus hoc, sive fortuna tulit, haud plane a Ladislai rationibus aversa, sive Boemorum suffragatio; filio regnum stetit, vivente adhuc patre, regi declarato, in quo mortuo, parum erat adiumenti regnum petenti futurum. Igitur cum suorum litteris Ladislaus cognovisset, omnia legatorum virtute tranquilla in Boemia esse; tuto ubique, et pacato itinere, Pragam modico praesidio tectus contendit, secum Anna, et Ludovico puero adductis, in quibus caussa profectionis potior erat. Verisimile est, ne Vngaris oneri esset, deterritis magnitudine sumptuum,

quos immanes superiore expeditione fecissent, per paucis secum assumptis, in Boemiam profectum, necessario magis comitatu, quam ad pompae ostentationem, et magnificentiae, cuius nullus erat usus neque Vngaris, neque Boemis futurus. Iam e Germania Fridericus Brandenburgensis princeps, cum uxore Sophia Ladislai sorore, et liberis eodem venerat; ad celebrandum festum diem magnificentiore comitatu sua sponte e Germanorum nobilitate, qui opibus, et potentia clari essent, una multis profectis. Ita puer Ludovicus, cum nondum aetatis annum tertium attingeret, a Stanislao Olomucensium pontifice de more insigni regio accepto, magno populorum plausu rex Boemorum appellatur, ob id visus dignus, cui vix nato duorum regnorum nobilissimorum insignia deferrentur, ut esset qui fortunae inconstantiae posteritati proderet illustre inter homines exemplum, e tanto fastigio, flore aetatis praeceptus deturbandus. Ferunt Amam puellam, cum gestantem Ludovicum coronam auream vidisset, aemulatione augusti honoris, puerili incenso animo, tamquam quidquid maiestatis fratri accederet, sibi grandiori per iniuriam ademptum eriperetur, nec lacrymis temperasse, et interroganti regi, quanam fletus causa esset, ita respondisse, ut risum quidem astantibus, regi admirationem simul iniiceret: Merito enimvero plorare se, quae natu maior fratre Ludovico, cui impositum regium insigne esset, visa parum digna coronae honore, abiecta contemptaque iaceret. Hinc, iam sacris peractis, regem iussisse (nam haec inter sollemnia sacrorum acciderant) illi auream coronam imponi, cum hoc addidisset, merito queri regis filiam, sibi uni insigne regium negari. Quae res tum minus animadversa, ei, ut docuit postea eventus, in regni omen vertit, ingentium

malorum, et cladium caussa sua culpa Vngaris futura. Secundum rem divinam, principes in regia convivio accepti, a Ladislao nulla re praetermissa, quae aut regiae magnificentiae significationem haberet, aut ad exhilarandos accumbentium animos apta videretur. Sed publicam laetitiam, ac regii convivii hilaritatem, ingens repente exortus inter Boemos, atque Vngaros tumultus a foedo initio turbavit. Boemus e plebe homo nefarius, atque impurus, tum quaestus genere, quo nihil exsecrabilius est, tum vitae turpitudine infamis; qui in ea urbis regione, quam Novam Civitatem appellant, lenoniam exercebat, tumultus initium fecit. Is, cum quereretur domo se ab Vngaris per vim pulsum, quod eos accipere hospitio recusasset, quiritando implorandoque popularium fidem, cuncta questu, clamore, tumultuque impleverat. Mox accurrentes hinc Vngari, hinc Boemi auxilio suis, cum, ut fit, conviciis, et contumeliosis verbis incensis animis, se ad vim parassent; eductis utrimque gladiis, in speciem iustae pugnae conserunt manus, cum leno quidem occasio certaminis verius, quam caussa exstitisset; quae tota erat posita in utriusque gentis mutuis odiis, quae in diversos lingua, institutis, moribus capitalia erant. Inde cum superante multitudine Boemorum, qui undique accurrentes auxilio, pro suis cum alienis pugnabant, infesta omnia Vngaris, nulla auxilii spes ostenderetur, non virtute, aut robore animorum, sed numero obruti, quo inferiores habebantur, fuga saluti consulere coguntur, e suis nonnullis amissis, sauciis multis. Neque tutior receptus a fuga hospitia petentibus fuit: certior enim, et, ob id, immanior caedes edita in inclusos, cum ab hospitibus nequidquam violatam hospitii religionem querentes, ac dei immortalis fidem implorantes, tanti mox scele-

ris futuri ultoris, in barbarum morem trucidarentur. Auxit Boemorum scelus, caedem Vngarorum secuta praeda: cum eius avidis materia luculenta obiecta ad inflammandos animos, faces addidisset, plurima vestis suffulta pretiosis pellibus, argenti facti, atque infecti magna vis, equorum ornatus, quem aurum, gemmae, lapilli vario artificio distinguebant, quae omnia, ut est eius gentis mos, ad augendam eius diei celebritatem, certatim quisque in pompae et magnificentiae aemulationem protulerat. Interea cum pervasisset rumor in Veterem Civitatem, quem quisque, ad ea quae acceperat, plura, et graviora addendo, augebat, per speciem tuendi suos, incensi alii praedae cupiditate, odio Vngarorum alii, in Novam armati advolant, nullo discrimine, ut in vi capta urbe, armati hostes, obvios quosque, nobiles homines praesertim, qui inter ceteros vestitu, atque ornatu equorum conspiciebantur concidunt frustra a furentibus odio, deprecantes tam indignam caedem, cum hinc aviditas praedae, hinc odii magnitudo, aures precibus oclluseret: unum Stephanum Bathorem adolescentem, cuius erat ob familiae nobilitatem, et domesticas opes, insignis splendor, callidum consilium, ab imminente exitio vindicavit; cum pretiosa quaeque Boemis obiecisset, uti ab intentis praedae, locus ad effugium relinqueretur. Quae omnia per se foeda, atque indigna, ut nihil praeterea accederet, auxit, post sedatum tumultum, de sontibus supplicium sumptum, quos magistratus comprehendendos curaverat, laetissimamque urbis faciem multo taetrius immaniusque foedavit. Vt enim quisque conspectior sceleris magnitudine habebatur, atque inter capita seditionis fuisse arguebatur, ita atrocioribus suppliciis sceleris convictus admissum luit. Non

faces, non ignes, non secures, non forcipes, iis urendis, excarnificandisque, non alia foediora supplicia satis sufficere visa de sceleratis poenas sumentibus: cum usque eo magistratus severitas descendisset, ut vivis nonnullis mandarint deripiendam cutim, ad inferendum improbis terrorem, excogitato mortis genere taeterrimo, atque mitioribus ingeniis inusitato. Enimvero merito creditum dignum facinus, in quo vindicando, iudex omnem humanitatem exueret, ne quis in posterum spe levioris animadversionis admittere auderet. Tamquam potiti hostium praeda iusto proelio victores, non hospitem spoliis; Vngarorum pretiosis vestibus induti, quas suffultas aut pardorum, aut ponticorum murium pelibus, ingenti sumptu sibi ad domesticum usum paraverant; prodire in publicum erant ausi, cruentis adhuc manibus hospitem sanguine, per nobilitatis insignia, ipsi obscuro sceleris ac flagitii clarissimum indicium praeseferrent, ignari quantum sibi discriminis ab irato rege immineret, cuius maiestatem in suis tam foede violassent. Tumultu sedato, sancta maioribus caeremonia, regni principes, dignitate maiestati regiae proximi, in novi regis verba iurarunt. Qua re administrata Ladislaus, nequidquam semel, mox per legatos salutaribus legibus, atque institutis devincire civium animos conatus, omni alia sublata spe reprimendi audaciam sceleratorum, regiam auctoritatem, ac magistratum iura armis munivit; quorum metu improbi deterriti, agnoscere auctoritatem publicam in regis ministris cogere; interea iussis iis, penes quos esset iuris dicendi potestas, ubi privatis minus stari rebus indicatis placeret, armis cogere, qui ad vim confugiens parere edicto recusarent. Iudicibus certam constituit poenam; qui, nisi abessent reipublicae causa,

et regis iussu, paterentur, per suam infrequentiam, minus sedulo, quam rationes privatorum postularent, iudicia exerceri: iisdem arcium, et publicorum vectigalium administrationem mandavit, recte arbitratus, pecuniam publicam, quam ad eum diem regii ministri impudentissime depeculati essent, tutius multorum fidei, quam unius permitti, cum quidem in multorum conscientia alter, alteri quasi appositus custos iniiceret frena. Praeter haec omnia, uti ad ea intentius servanda, quae decrevisset, magistratus suam auctoritatem obtineret, eius unius iudicium, potestatemque esse voluit, ex iis, quibus administris tractanda publica pecunia uterentur, ubi minus fungendo (sibi)imposito munere suam fidem probarent, ut visum esset, coërcere, ignominia notare, multare pecunia, ordine movere, atque in eorum locum surrogare, quos magis idoneos iudicarent, in primis sedulo agere, ut aerarii ministros crebrius ad rationum calculos revocarent: re enim producta in longiorem diem, opportunitatem, unde minus suspicari liceret, admittendi flagitii captantibus, ostendi, non sine magno tum reipublicae tum regis detrimento. Aerarium ad condendam pecuniam publicam, in arce constituit, vetitis ministris cuiquam assem persolui, cui non ipse nominatim scripto sua manu obsignato numerari iuberet, aut quibus ipse hanc potestatem mandasset: quod unum ab illo edictum exceptum magno cum omnium risu ferunt: perinde enim id esse credebatur, ac si iuberet, patefacto aerario, quidquid eo per multos annos, in magna ubertate rerum esset congestum, horae spatio hauriri: unus enim ipse in summa potestate legis auctor, cuiusvis potius, quam sui iuris, ea, quam in alios tulerat lege erat coërcendus, in immensum natura ad largiendum effusus. Accedebat quo minus li-

ceret ingenio moderari, immanis atque importuna cupiditas poscentium: qui variis artibus assentando, blandiendoque sua sponte, nihil suis neganti effecissent, ut cum laudis loco impudentia flagitandi haberetur, nullus illi in dando profundendoque praescribi posset modus. Eo certe rem redegerunt, ut discessurus in Vngariam, ne nummum quidem reliquerit, cuius condendi caussa, aerario opus esset. Atque aderant tamen prudentes homines, quorum fretus consilio, disceret male utentibus regia munificentia obviam ire, certe efficere, in dando adhibito delectu, ne fovenda improborum cupiditate, quibus totus patebat, illius tempori insidiantibus, videretur male suum beneficium collocasse. Sed et hoc ipsum frustra tentatum, regia assentatorum plena, qui quo minus rex sibi statueret aliquem in largiendo modum, erant futuri impedimento, ea cupiditate inflammati homines, ut quaestuosae impudentiae coërcendae, quousque superesset, quod praedae inhiantium spem improbam aleret, nulla satis certa ratio iniri posset. Discedentem e Boemia Ladislaum novi exorti rumores, atque inde crebri allati nuncii retardarunt, Vngariam laborare pestilentiae lue, sive coeli clementia, sive aliunde invecta per exterarum gentium commercium; id quod saepius accidit, e finitimis populis, multis confluentibus, eorum emendorum caussa, quorum est Vngaria feracissima. Neque regi imminens inde periculum verito, licuit subsistere, quoad de eo certiora afferrentur, negantibus Vngaris, incertis esse rumoribus temere fidem habendam, atque exortam famam elevantibus: ut, quidquid contra tenderet, neque ire recusanti liceret tueri suum ius, et quasi suis emancipatus, qui nihil de celeritate remittendum censerent, vellet, nollet iter continuare cogeretur. Fe-

rox gens, et adversus omnes fortunae casus, ingenti animi robore subnixā, cum aliorum morborum genera contemnit, tum eos, quos medici populares morbos vocant, quod longe lateque contagione in proximos serpendo, urbes gentesque populentur. Et aliorum malorum omnium, et mortis aequae potentes, exteros rident, qui, pestilentia saeviente, receptum in salubriora loca quaerunt; posse quidem vitare morbi vim ad perniciem imminentis; fatum vitare, quo se cumque quis vertat, neminem posse. Sive enim domi, sive peregre agat, belli, pacis tempore, aut veneno, aut gladio, aut morbo, aut naufragio, nato homini mortem obeundam. Nam, cum maxime pestilentia grassatur, nullo territi metu, in foro, in templis, in concionibus frequentes, rusticis immixta urbana plebs, quorum promiscuo congressu morbi vis invalescit vehementius, in caupona, et ganea temere agunt; amicos et cognatos invisunt laborantes; adsistunt omnibus, contrectant tabe fluentia membra, certantes officiis mutuis non sine ingenti humanitatis laude, ubi usus poscat, nullo discrimine, aequae suis praesto futuri, atque alienis. Quam sedulitatem tantam etiam si raro impunitas sequitur, minime tamen vitae periculo a functione tam necessarii suis officii deterrentur; quae res apud eos insignem fortitudinis commendationem habet: una certe ea caussa est, ut numquam, ubi praesertim accedat infecti coeli pestilens vis sit plane vacua Vngaria a tanta clade, nullis legibus quemquam vitare cogentibus, qui sua sponte contemnat, quae intelligat sibi pestem, atque exitium afferre. Divertit Ladislaus, iter in Vngariam per Moraviam facturus, Cremsirii, ad Stanislaum Olomucensium pontificem, cui inter alios eius ordinis homines, propter summam prudentiae, et virtutis opi-



nionem, plurimum, ut alibi diximus, tribuebat. Anxius de liberorum salute, cum plus aequo metu affligeretur, ne quid illis, quod minus vellet, accideret, tamdiu Cremsirii morari constituerat, quoad de pestilentiae saevitia mitiora ex Vngaria nunciarentur, ad animum sua sponte imbecillum, et timentem omnia patrio amore accedente, qui multa cogeret cavere, in quibus nulla esset caussa timendi. Neque vero erat una Ladislao caussa expostulandi de suis. Nam et aegre ferebat, per non magnam temporis moram, saluti liberorum parenti prospicere non licere; et multo magis, adeo esse suam auctoritatem vilem suis, ut praepostero ordine, esset regi ex eorum praescripto vivendum, in quos vitae et necis potestatem permetterent divinae, atque humanae leges omnes. Indignam semper rem esse ut nihil praeterea accederet; regem cogi; indigniorem cogi a suis; longe indignissimam, cogi ea agere, in quibus, nullo cum reipublicae usu, periclitaretur liberorum salus. Imperari sibi, quod si privato accideret, acerbissimum (fie)ri possit, ut obiceret liberos, in quibus positum omne vitae solatium haberet, infecto coelo pestilentiae lue, inter perpetua hominum funera, urbanorum, atque agrestium turba vulgantè morbos, cum in parva mora, certa sui securitas, nullo cum suorum maleficio inesset, in protectione, nullo cum reipublicae commodo, angeret animum gravis timor perdendi liberos, quos haberet vita cariores. Agnoscere se vero humanarum rerum vicissitudinem. Luctus sui acerbitatem, ex desiderio amissae reginae, ab Vngaris lenitam, ultro suis suffragiis ornato infante filio regni insignibus, quod unum illi in vita fuisset summe expetendum: mox sublatam omnis luctus memoriam, cum, magna nuper populi celebritate, principum summa frequentia, exterarum gentium magno concursu, ad sacram aram regia

corona (re)dimitus pontificis manibus, ac rex a Boemis appellatus esset. Cum videretur Ladislaus rex non posse altius a fortuna efferri, eo secunda aura provectus, quo sua vota intendere esset audax, exitum docuisse, ob id esse elatum in sublimem locum, ut esset inde praeceps deturbati magis, et foedior ruina. Cogi suorum imperio regem tantum, quod privato parum honestum esset, eo ire, unde invitatus detrahendus, et per vim esset, ubi ipse ultro ire constituisset; et quidem, quod indignissimum videretur, cogi ab iis, in quos omnis humanitatis expertes, rex indulgentissimus benignitatis suae, et munificentiae documenta illustria edidisset, eos commodis, honoribus, dignitatibus functionibusque or(nans) quae meritorum ingentium in rempublicam praemia essent: quibus supra omnem suam spem aucti, hanc sibi gratiam referrent, ut per eos, liberis ab imminente vitae discrimine, prospicere non ita magna temporis mora haud liceret. Haec atque alia ad hunc modum querenti auxit animi moerorem, auditus principum obstrepentium fremitus, iam minime obscure, et per ambages, sed aperte minitantium, nisi primo quoque tempore se itineri dare induceret animum, futurum, ut minime facilis, et tutus reditus, Vngariam repetenti pateret: contemptos se, ac destitutos ab eo, quem sibi regem ultro, imposuissent, cuius filium viventis, insignibus regiis ornassent, quod nemini antea maiorum memoria contigisset; quando sua sponte exulare regno constituisset, quod tuto non posset rectore carere, quid sui iuris esset procuranda publica salute consideraturos. Non creatum a suis regem, ut unum sibi tantum delatum honorem intelligeret, sed cum eo perpetuam coniunctam reipublicae procuratorem; quam quidem perpetuos perferendo labores, vi-

gillas, noctes insomnes ducendo vitae multa discrimina adeundo, vix recte posset rex fortissimus sustinere: certe iis carere incommodis, et potiri in multos populos, et gentes imperio, neminem qui vere esset rex, posse. Deplorandam eorum salutem, qui belli ducem in gerenda re quaerent, et cum in acie contra hostem armatum stare (opo)rtet, in navigando tum, cum fracto malo, et clavo amisso, agitata adversis ventis navis fluctuaret, non multo ante exortam adversam tempestatem, quaerent qui gubernaculis praeeset. Excelsum in regia locum, summum ius in multos, atque imperii potestatem, maiestatem nominis, praemia fortitudinis esse, et invicti animi ab omnibus malis, quae hominum vitam angerent: quibus virtutibus ita honos haberetur, ut in quibus desiderarentur, regium nomen, atque insignes nobilitatis tituli dedecori essent, quae iisdem artibus, quibus essent partae, multis rebus praeclare gerendis, atque illustribus sapientiae, et iustitiae documentis essent conservandae. Atque haec illi quidem: rex sollicitudine (an)xius, cum conceptum animi dolorem, quamvis alte depressum, vix posset dissimulare, perpauca movebat studiosos sui, in quibus Stanislaus deiectum animo erigere in spem salutis omni ratione conabatur. Quando ita reditum sui urgerent, induceret animum (illis?) morigerari; liberorum curam suae fidei permitteret, diu sibi perspectae, neu dubitaret illos Cremsirii relinquere tuto loco, et salubri coelo, et, quod caput esset, non procul ab Vngariae finibus, ut crebro de iis cognoscere, si quid accideret, liceret. Vacuas se illis aedes atque hortos, quorum amoenitate oblectarentur traditurum, undique aditu septo, ne locus contagioni esset, per liberum accessum ultro citroque commeantibus. Vbi, mitescente pestilentiae vi (si modo

vere ulla esset) tutus illi pateret in regiam receptus; tum ubi visum esset e propinquo loco ad se filios revocaturum. His rex confirmato animo, gratias Stanislao egit: viri boni illum officio functum, et consolando moestum patrem, anxium de filiorum salute, et prospiciendo liberis, quorum procurandam salutem, ultro tam amanter prolixèque suscepisset: pro quibus humanitatis officiis, quae eo sibi cariora essent, quo illa magis in multis desiderasset; cumulate spondebat se aliquando gratiam relaturum. Cum ita rex motus Stanislai oratione, Cremsirii relictis liberis, pergere ire in Vngariam statuisset: ne id quidem licuit illi a principibus impetrare. Ioannes Sepusius, cuius tum, ob ingentes opes, et domesticam potentiam prima erat in regia auctoritas, de ea re consultantem ab sententia avertit. Sive sua sponte, sive principum voluntate, id quod credi malebat, cum ducentis equitibus delectis, Trencinio profectus: Paucis excusato necessario officio, quod poscenti patriae, negare haud licuisset; Regem docet, Vngaros ferre iniquo animo, tam diu illum abesse a regno, quem non ob eam causam summis regibus praetulissent, quos habuisset competitors in petitione regni, ut ablegatus a suis, minime necessariam moram, certe suis gravem, honesta in speciem causa tegeret, a pestilentiae labe liberos (pro)cul habendi. Et se quoque habere liberos, parentes, alios propinquitate coniunctos, in quos quidem eadem esset indulgentia, quam is prae se ferret in suos, hoc naturae, hoc gentium iure, hoc ratione officii, atque humanitatis postulante; sed non tamen, ut non esset eorum pietas in patriam maior. Turpe haberi, et non ferendum adeo, accitum medicum uno hoc nomine, ut affectae multorum valetudini, si quando id casus re-

quirat, auxilio sit; ubi maior ingruat vis morbi, a se opem in malis implorantibus deesse. In qua quidem culpa regem haerere, qui secundis modo rebus, sui muneris memor, fruatur regni commodis, quasi haec illi sit una caussa regnandi, avolet idem, ubi quid accidat, quare suis adversa fortuna laborantibus oporteat praesentem aut re, aut consilio opitulari. Credere Vngaros, plane suorum regem oblitum, quos minime contemnere aequum sit; cum ob alias caussas, tum ob hanc unam maxime, quod non credant, eo absente, posse suis, illius fidei communem salutem commendatam constare. Votis omnium ita posci, ut ulterius desiderium absentis se negent passuros. Nullum vero illum certius habere argumentum sorum in se caritatis, quam ab illis tanta animorum contentione, et per adeo prolixa studia requiri, recte quidem existimantibus, in uno rege, quem auctorem publicae salutis unum colant, se dei immortalis vim, numenque venerari. Hoc videri satis ad illius emolliendum animum atque ad reditum ad suos maturandum: sed aliam tamen subesse causam graviorem, quae memorem personae, quam gerat, eum ad mutandum sententiam impellat; nusquam enim ita cum populis bene agi, ut non, eo absente, penes quem sit summa imperii, multa eveniant, quae minime ille suis evenire velit. Citius, nullo gubernatore emergere navim posse per adversam tempestatem adversis ventis..... quam civitatem, aut regnum e civilibus discordiis; ubi is absit, qui multitudinis animos, fluctuantis ad quantumvis levem auram, et populorum turbulenta consilia, repentinosque motus, tum moderari prudentia, tum auctoritate sedare, et comprimere possit. Iam palam in foro, atque in hominum coronis exaudiri expostulantium voces: Sordere Ladislao Vnga-

riae regnum, unis Boemis addicto; despiciere Vngaros qui sibi externum regem, vix cognitum fama, praelatum Maximiliano, Friderici Caesaris filio, posito in propinqua spe potiundi summi imperii, populorum omnium votis suffragiisque consentientibus, regem sibi adoptarint. Consulto rumores ab hominibus seri, non Vngaris magis, quam regi iniquis, de quo plus aequo videri solliciti velint, regnum pestilentia laborare: quae latebra regi male affecti animi in Vngaros quaeratur: neque tamen plane falso id ferri: pestem enim nullam saevire in civitates vehementius, quam partium discidia, et civiles contentiones, eas in primis, quae inter regem, et populum exortae, numquam fere non cum omnium exitio, atque interitu finiuntur: ut enim in mixtis rebus, quae ex contrariis inter se partibus coagmententur, dissoluta compage illa naturae admirabili, qua orta omnia coalescant, sequi eorum occasum necesse sit, ita in regni procuratione cuncta in certum exitium prolabi necesse esse, discidio per concordiae dissolutionem inter populos, et regni moderatorem orto. Quae quidem mala, nulla spes sit posse tolli, nisi summi imperii metu, improborum audacia repressa, ante quam longius impunitate provehatur, coërceatur armis; quae quidem arma numquam salutaria, nisi cum iis innititur communis salus, huius unius rei caussa, ubi foris cetera sint tuta ab externis hostibus, in pace, atque otio retineantur. Neque principes Ungaros dissentire a multitudine, apud quam offensio quantumvis levis gravissima habeatur, quae a rege tamquam a capite manat. Nulla illos dissimulatione palam fremere, indignari, queri se destitutos, contemptos, elusos, quod indignissimum sit, in Vngarorum regia, in qua paullo ante pater rex filium, filius patrem regem viderit, multitudo,

principum auctoritatem secuta, duos reges venerata sit, regem quaerentes, qui tot gentibus, nationibus, populis imperet, quorum (opibus) ac robore stet invictum Vngariae regnum. Inter eum, qui regno potiat, et qui obediat regis imperio, ita natura comparatum esse, ut tam diu is, qui pareat se patiat regi, quamdiu recte is regis munere fungatur, cui ius imperandi traditum sit. Cur Vngaros converso rerum ordine, perturbato naturae, patriae, gentium iure, quo uno semper hominum societas, ac regna, et summa imperia steterint, Ladislaum regem agnoscere debere, a quo ipsi parum digni habeantur, in quos ipse imperium obtineat? Haec principes libere, haec populum queri, et quidem, ut non dissimulent, ni quam primum maturet redire, se illum in regiam urbem, quam adeo vilem habeat, nisi coactos vi, atque armis haud recepturos. Hoc quidem se utrum regis caussa, an suorum ferat iniquiore animo, haud secum statuere posse: ut enim cetera absint, caussam quaeri, cur minus regi conveniat cum suis, tum iis, qui pareant turpe esse, tum haud satis decorum regi; cum quidem non saepius in populis, quam in rectoribus regnorum discidii culpa, caussaque consistat: certe, quod dissimulari haud possit, Vngaros, quo sanctius semper coluerint regium nomen, eo contumeliosius sibi esse censere, tamquam de sua fide in dubium venerint, se a rege contemni. Nihil vero illos medium existimare: aut enim, procul agente rege, collapsurum regnum, tamquam cåpite adempto prodigiosum ac deforme corpus, (quod omen deus avertat), aut, alio rectore, quem haud ita diu sint desideraturi, suum decus splendoremque credere recuperaturum. Enimvero rem non ferendam videri, eo indignitatis ventum, ut Boemis, ac Moravis, qui appendices regni Vngarici

sint, inferiores Vngari habeantur fide, officio, pietate in patriam, atque in regem adeo; cuius iam inde a maioribus illustria multa, atque insignia exempla prodiderint. Ad hunc maxime modum Ladislaus assuetus suorum iniurias, et contumelias perferre, cum liberis in Vngariam rediit, languentem diuturno otio, iam inde ab eo tempore, quo pulsus iterum Turcae, ac caesi ad Jaiczam fuerant, Bajasete, quo minus animum intenderet Vngariae rebus, quibus liber ab externis bellis maxime inhiabat, parum secundis auspiciis in Asia bellum gerente. Sunt qui hoc loco nimiam in Sepusio animi fiduciam reprehendant, et superbam sui ostentationem parum: illius gloriae faventes moderationem animi maiorem certe, atque aequitatem requirant: et si enim multa in Ladislao desiderabantur, quae quis vellet conspici in rege; aderant nonnulla, quae abesse a rege satius existimaret: at erant omnia in persona, quam gerebat verenda, summum regni ius, imperii maiestas, regius honos, supremum in terris humanarum rerum fastigium, quo cum Ladislaus esset maxime Stephani patris gratia, et suffragatione pro-  
vectus, haud consentaneum videbatur filii constantiam in tuendo patris instituto desiderari, qui regni Palatinus, et regii aerarii praefectus, potentia, atque auctoritate semper omnibus in Vngaria antecellisset. Quamquam, ut quis etiam a persona hominem separaret, multa erant, quae Sepusius Ladislao debebat, mox plura fuerunt, atque ea quidem multo illius spe uberiora: ut, si quid adversus illius dignitatem, et commoda cogitaret, insignior iniuria in eum esset, qui et profusus in bene de illo merendo, et constantiae suae memor, aequae in tuendo beneficio fuisset. Equidem censeo, ut multa de Sepusio ferrentur, quae maxime studiosi illius nominis credi vel-



lent : multa contra dissiparentur ab inimicis ab illius virtute, et constantia aliena, ortum postea inter illum, et Ferdinandum de regno discidium effecisse. Multos ille vero, praeter domesticam potentiam, opinione liberalitatis, et magnificentiae sibi conciliaverat; multos alienaverat a suis rationibus, in quos dignitatis suae aemulos infestus incurrebat ex illustri loco conspectior, et magis ad invidiam exposita fortuna. Hinc animis in contrarias factiones distractis, ut fere in bellis civilibus solet, verisimile est, pro suo ingenio multos, qui ita se magnam inuituros gratiam a Ferdinando, et fratre Carolo Caesare tam augustae maiestatis principe sperarent, tum haec ipsa, tum multa alia excogitasse, quae Ioannis mores, atque ingenium reuerent, quod in eo vere regium fuisse ii affirmant, quibus ad interiorem illius amicitiam diuturnus usus, et consuetudo aditum patefecit. Neque exstitit hominum licentia in Ioannem dicendi, quam in Ferdinandum maior; atque adeo quamquam illum maximorum regnorum potentem, et quem tum disciplina maiorum, tum integer animus, ab omni sceleris, et nequitiae labe, in primis morum, et vitae sanctitas, a probro, et maledicto vindicabat. Dum ea partim in Vngaria, partim in Boemia geruntur, Italia, ingenti coorto belli incendio flagrabat, Iulio secundo pontifice maximo peracri homine ingenio, universas Europae vires excitante ad excindendum Venetorum imperium, terra marique florentissimum. Quo quidem tempore, unus communis hostis Baiasetes, sive quod occupatus esset Asiatico bello, sive, quod religionis suae, et constantiae esse duceret, ut nonnulli credunt, non violare percussum cum Venetis foedus, quiescebat, magna omnium admiratione, qui non ignorarent, quantum tum ille occasionem, et quam opportunam omitte-

ret, vetere maiorum instituto, per nostrorum regum discordias, terra, marique imperium augendi; qua ratione maiores, a contemnendis initiis exorsi, Turcarum rem tantam fecissent, quantam nunc horrescimus memoria repetentes: sive enim in Venetos arma converteret, subito oppressos gravissimo bello; sive a terra Vngaros aggrediretur a maritimo bello securus, haud dubius erat futurus rerum eventus. Stetit tum Vngaria tamen non suis viribus, quae sub secorde, atqua inertii rege, quasi adempto capite languebant, non exterorum regum auxiliis, qui vires omnes adversus Venetos in eorum ruinam conspirantes intendissent; sed clementia fati, quae hostis potentissimi mentem alio averterat. Ac Iulius quidem Pontifex, per speciem gerendi sacri belli, callido consilio moliens in Venetos arma, iubilei annum a Bonifacio octavo in annum centesimum, mox in quinquagesimum ab aliis, postremo in XXV ab aliis redactum, in decimum revocaverat; quod tamen, quaecumque huius rei caussa fuerit, non tenuit. Creditur vero Iulius, cum nihil animo agitaret, cuius quantumvis magnum esset, atque arduum, non sibi spem faceret; de sacro indicendo bello cogitasse; ita quidem, ut Venetis victis, quos haud plane eversos vellet; adversus communes hostes regum vires converteret, opportune classe Venetorum, ubi mari gerenda res esset, qua de re dubitari non oportebat, usus. Insigne quidem eius studium amplificandi Christiani nominis fuisse, illud documento est, cum X annos pontificatui praefuisset, non esse passum de sacro aeario assem decedere, quo fratris filius auctior, atque opulentior esset. Et in Venetos quidem, funesto bello circumventos exstitit hinc Bajasetis Turcae, fidei et constantiae, illinc Christianorum Regum odii in primis

memorable exemplum. Eodem enim tempore a Gallia Ludovicus, ab Anglia Henricus, a Germania Maximilianus Caesar, Ferdinandus ab Hispania, magna tum gloria, ob receptam de Mauris Bacticam florentem, per Cameracense foedus, in Venetos converterant arma, quae tum uno, atque eodem consensu, ob hanc unam caussam posuerant, inter se molientes bellum, ut subito oppressos, tanta belli môle sustinenda impares, everterent. Baiasetes cum, obiectos totius occidentis viribus, ad Graeciae et Dalmatiae littora classe appulsa, nullo negotio posset spoliare maritimo imperio, cuius fines longe, lateque patebant: foederis, et religionis suae memor, ultro maritima, ac terrestria auxilia laborantibus obtulit; ut si uti vellent, non tuti solum essent futuri ab externa iniuria, sed formidolosi etiam ipsi hostibus, quamquam eorum copiae innumerae ferrentur. Ita cum exercitu quinquaginta hominum millium comparato, in Insubribus Ludovico regi paribus copiis instructo occurrissent: ingenti proelio victi, quidquid in continenti, per centum, atque eo amplius annos, tenuissent, tum Ludovico victori, tum Maximiliano Caesari, et Iulio Pontifici, tempori cedere coacti, tradiderunt. Stetit tamen Venetorum respublica quamvis per multos annos, tot circumventa, et convulsa malis invicta adversus tantos hostes: magna cum gloria omnibus belli exitu recuperatis, quae Ludovico, et Maximiliano cesserant, simul insignis pietatis, et religionis laude parta, qui Turcae, hostis perpetui Christiani nominis auxilia, Europae imperio imminentis, difficillimis suis rebus oblata reiecerant. Tantas Italiae clades terrae motus ingens secutus in omen vertit: qui nobilissimas urbes, insignibus in his veterum monumentis prorutis, prostratisque deforma-

vit, irato numine, ut vulgo creditum est, nostrorum immanem cupiditatem ulciscente, quorum alii in aliorum exitium ruentes armati attererent vires, quas integras, et florentes sive terra, sive mari rem geri oporteret, immortalis cum pietatis laude, certa spe potiundi maximi imperii, essent in Turcam hostem explicaturi. Neque tamen fuit eius cladis Turca expers. Byzantii eodem tempore terra movit; quae mali labes vehementer urbem concussit, et summi olim imperii maies-tate, et praesentibus opibus superbam; quas immanis gens e praeda multarum nationum, et gentium eodem congressit. Movit vero multo vehementius imperitorum animos, praeter tantam ex improvise casu acceptam eladem, barbara superstitio, qua, ut ferunt, nulla alia gens aequae laborat, neque in hoc solum adeo, sed in iis etiam, quae a natura existunt, et quorum sunt haud obscurae causae: praesensionem enim his inesse impendentium malorum existimant, et quoniam raro eveniunt, si quando existant, portentis, ac prodigiis loco habent. Neque vero tum iustiores ferebantur Venetorum, quam Ungarorum querelae, quorum aequae eximia merita in Christianam rempublicam habebantur. Afflicti enim Veneti ingentibus bellorum cladibus, ac magna exuti imperii parte, nondum regum immane odium expleverant; qui praepostera ambitione, et . . . tate elati, ingentium malorum essent Christianis populis auctores: solliciti Ungari malorum impendentium metu, cum certum hostem haberent, cuius vires, quae erant immensae, odium aequabat, bellandi facultas, odii vim consequabatur; viribus infirmis, et perexiguis suis, si quis illas cum hostis viribus conferret, desperatis exterorum regum auxiliis, destitutos se, proditosque querebantur: ut non iustae iam solum, sed liberae eorum

voces, ubicumque Christi nomen coleretur, magna cum unius pontificis invidia exaudirentur: Duo esse Christianae reipublicae propugnacula Turcae hosti obiecta, Venetorum a supero mari, Ionio, Aegeo, Insulis a terra Vngarorum olim maiorum, et patrum memoria validissima: cum vere Christi pontifices, non elati cupiditate dominandi, sed clari sanctitatis, et sapientiae fama, Christianos reges, populosque miti, ac placido imperio haberent. Horum alterum, per pontificem Iulium concitatore in iusti belli, oppugnatum Christianorum regum armis, a quibus esset defendendum; beneficio Baiasetis hostis, cuius maxime id everti interesset, incolume mansisse: alterum destitutum spe externi auxilii, suo robore parum firmum, quamdiu hosti visum esset, incolume mansurum; quo potentiore, an infestiore uterentur, \*) haud satis constaret. Quod vero beneficium exspectari posse a Turca hoste maius, quam eo tempore abstinere ab armis, quo illi maxime sint et gloriosa et honesta, et sumpta in victos hostes futura? Ac tantum Christianorum regum dedecus nullam unquam hominum memoriam obliteraturam. Inde in Abduae campis concurrisse utrinque duas acies infestis signis in quibus centum amplius hominum milibus censerentur, quibus belli duces utrinque fortissimi praecessent, et imprimis rei militaris periti, in his rex maximus ac potentissimus, multo maiore cum sua et gentis gloria adversus Turcam hostem pugnaturus. Non enim pro Vngaris solum, qui primi obiecti essent tam potentis hostis armis, sed etiam pro Christianis populis universis sumpturum arma, qui brevi futurum esset ut per Vngarorum quasi latus peterentur, ita se-

\*) Itt megszakadván a Pray-codexben az I. könyv, folytatása és vége a bécsi példányból vétetett. T. F.

rie rerum victorem trahente, ac Ludovicum quidem victoriam adeptum, sed quam illi funestam cruentamque effecissent: ut utrinque et in rege victore, et in Venetis victis luculentam plagam respublica acciperet, in Italianam, quasi totius orbis terrae theatrum a prava hominum cupiditate inductis; quo spectaculo nullum aliud Turcis gratius contingere potuisset, cuius in multas gentes imperium nostrorum perpetuis cladibus in id fastigium creverit, ut illi excindendo impares essent Christianorum regum omnium vires. Nam Gallorum copias, qui vicissent, affectas, Venetorum, qui victi essent, prostratas atque afflictas, ut vix spes esset longo temporis intervallo, aliqua ex parte posse recreari. Quae quidem quantum illi terroris, quantum pestis atque exitii, quas clades, quas ruinas, sive terra illum, sive mari bello aggredierentur, fuerint importaturae, ubi concordibus animis, eodem consensu, Christiani imperatoris ductu, atque auspiciis adversus communem hostem excitatae essent? In Italia celeberrimis hominum conventibus, Romae maxime nihil esse magis in hominum ore, quam sacrum bellum, Christi militiam, sacra arma, unam omnium vocem exaudiri, Vngaris auxilio eundum, fortissimis propugnatoribus Christiani imperii; instruendas classes terrestres, navalesque copias, expedienda arma, tela, tormenta; ad tam iustum bellum reges e Germania, Gallia, Hispania excitandos, quae quidem unam vim habeant, ut erecti populi in spem salutis eo gravius, acerbiusque afflicterentur, quo se longius a salutis spe abesse, frustrati sua expectatione, atque illusi animadvertant. Non se quidem veterum pontificum, sanctorum hominum scita; non decreta, non leges convellere, non potestatem divinam erratis hominum condonandis, damnare, non dilectitiam pecu-

niam, quae vere cogatur pellendis ex Europae finibus barbaris hostibus, Christiani imperii finibus propagandis, sed execrari ac detestari praeposterum eorum usum, qui imperitos homines falsos insignibus pietatis titulis, secum praecipites in exitium trahant. Miserrimos enimvero homines, quibus tantus animis stupor insitus sit, ut non videant, quam se stipem dare in belli sacri usum credant, eam se Iulio secundo pontifici subministrare ad arma Christianis populis inferenda, ad gerenda impia bella, ad alendas inter reges discordias, inflammandam Italiam, Galliam, Germaniam, bellorum facibus, per nobilissimorum populorum excidium, vires Turcarum fovendas, atque augendas, in omnium ruinam imminentium, quicumque in Europa Christi nomen profiteantur, sancte quidem coli ab Vngaris Romanorum pontificum maiestatem; sed eos ipsos efficere, potestate divina prave utendo, ut salua sacro sancta potestate, quam maxime illibatam inviolatamque velint, non possint facere, quin de pontificis iniuriis querantur. Hoc Vngaros queri, quod gravissimum, atque ultimum malorum omnium haud dissimulare possint. Suas calamitates, quae luctu acerbitateque sint, parentibus, liberis, coniugibus imminet patriae fatum, piis nobis, ac supplicibus precibus deprecantibus, Romanis sacerdotibus quaestui esse, pontifici maximo imprimis, qui non se divinae potestatis vicarium in homines gerat, sed Christi infestissimum hostem. Nam si vere in terris tantum manus administret, cur non etiam sibi sumat tuendi Christianos populos principes partes, fovendi miseros, afflictis rebus erigendi, copiis, auxiliis iuvandi, vindicandi ab externis bellis: quae undique impendentia ab eo hoste, cuius barbariem longe pontificis immanitas vincit; ma-

gno cum Christianae reipublicae discrimine, pari regum dedecore, atque infamia horreant? Callidum suae potentiae ostentatorem, sacram pecuniam spondere, crucis insigne militem gerentem, exercitus, arma, classes, quasi Vngaris indigentibus non verbis, sed certis peditum, certis equitum auxiliis, tam prolixis sollicitationibus standum sit, in quorum capita interea insultet hostis barbarus, immitis, crudelis, in finibus, atque in vestigiis haerens; videlicet ut dum is vicos exurat, oppida vastet, longe lateque Vngarorum agros populetur. Romani sacerdotes, ex Vngarorum aerumnis et calamitatibus coactis, suae pietatis mirificum referunt fructum, beatam vitam et curarum expertem, in victu regium cultum, laxas aedes, pretiosam supellectilem, villas instructas regia magnificentia, signis antiqui operis, hortorum amoenitate, ut in his quasi triumphum agentes, non devicto Turca, sed de causa Christi prodita, Turcae deliciis et voluptatibus omnibus emolliti, effeminatique conspiciantur. — Haec quidem passim vulgo homines, qui quamquam tum esset otium ab externis armis, tanquam ingruentem ex alto tempestatem, longe animo prospicientes, quae hinc clades Vngaros manerent, neque a domesticis viribus paratos et frustratos spe externi auxilii miserabantur.



IO. MICHAELIS BRVTI  
VNGARICARVM RERVM  
LIBER SECVNDVS.

---



## LIBER SECVNDVS.

Interea Iulius pontifex, sedandae invidiae causa, quam sibi ingentem conflaverat, excitatis regibus ad Venetum bellum; tum pecuniae cogendae, qua immani ad bellum adversus Maximilianum, et Ludovicum gerendum indigebat; missis ad Christianos reges legatis de suscipienda adversus Turcas expeditione nihilo remissiore studio agebat. Iam ille, insigni clade fractis Venetorum animis, passus erat ab illis secum de compositione agi, magna foederatorum querela, Maximiliani Caesaris, et Ludovici regis in primis. Nam neque ille adhuc omnia recuperaverat, quae sui iuris, atque imperii retineri iniuria a Venetis querebatur; cum quidem in Cameracensi foedere diserte cautum esset, nisi absoluto bello, et omnibus recuperatis, quae Veneti foederatis erepta suae ditionis fecissent, ne cui, iis inconsultis, qui eo foedere comprehenderentur, discedere ab armis liceret, et Ludovicus non obscure Pontificem incusabat, desponsum cardinalatus honorem Helviorum Pontifici, primae apud se dignitatis, et gratiae homini negare, et, contra atque rex tenderet, ius sacerdotiorum distribuendorum in Gallia ad suum arbitrium potestatemque revocare, atque hae quidem causae verbo obtendebantur; aliae suberant veriores; in quibus illa gravissima, Pontificem, iam de Venetis,

Flaminiae urbibus receptis, quem belli finem sibi proposuisset, plus aequo gravem exterorum regum futuram potentiam in Italia Romanis pontificibus existimantem, ad nova consilia convertisse animum; ut quorum viribus innixus, sua Venetos sibi restituere coegisset, eos Venetorum armis pulsos, spoliaret Italiae imperio, quod inter se partiti hinc Hispanus, hinc Gallus, hinc Germanus sibi perpetuum spond(eret.) Quae Pontificis ratio neque exteris regibus erat obscura, et Vngaris maxime erat invisā; qui ut vere capessenti Pontifici adversus Túrcam bellum, tantum haerentem in sinu hostem, et regium aerarium, et privataś fortunas omnes essent effusuri, sic gravate ferebant, per speciosum nomen sacri belli, ad inferenda iniusta arma Christianis populis pecunias cogi. Quae quamquam ita essent; Ladislaus rex tamen, cuius permagni intererat, vere, atque ex animi sententia suscipi bellum, fide habita pontificis litteris, conventum principum Strigonium indixerat, ut ad IV. Idus Martias deliberanti de re tanta frequentes adessent, in primis Sigismundum regem fratrem hortatus, ut eodem missis et ipse legatis, per eos, communi consilio, secum de sacri belli expeditione ageret, qua de re, a pontifice Iulio monitus esset, hoc, contento studio, urgente. Strigonium se principes edicto evocasse, certa illis ad conveniendum praestituta die: ut quando non hoc minus ad Polonos, quam ad Vngaros pertineret, qui omnium maxime opportuni hosti praepotenti ad iniuriam essent; consilio sibi adesse ne gravaretur. Antequam exiret induciarum dies, qui dies esset ad XIV. kal. Iulias, constituendum, conduceretne reipublicae inducias in longiorem diem proferri; an suscipi in praesentia adversus Turcam bellum, cuius praesertim Pontifex auc-

tor esset; ut cum ad publicum commodum, auctoritas divina accederet, vix posset, sine sceleris nota, de belli eventu dubitari. Magna quidem de re consultationem institui, et maxime ad universam Christianam rempublicam pertinenti; sed quae tamen, propter hostis propinquitatem, aliquanto magis ad Polonos, atque Vngaros pertineret, qui ab illo principes bello petendi (prop)iores periculo essent; ut cum duorum regum, eadem causa esset, fratrum praesertim, et quorum essent concordēs animi atque aequē recti de Christiana republica sensus, haud consentaneum videretur, habere alterum ab altero separata consilia. Quibus cognitis rebus Sigismundus, cum nemo e suis esset, quin eadem de mittendis ad Ladislaum legatis sentiret: una gravis actio de foedere cum Moldavo ineundo, quo amico, an hoste uterentur gerendo adversus Turcam bello, permagni interesse reipublicae credebant; quo minus mature mitti legatos placeret; erat impedimento. Nemini quidem erat dubium, quin, nisi de foedere cum barbaro transigeretur, de iis, quae agenda essent in Strigoniensi conventu, institui recte legati haud possent. Fore enim, ut ex futuro tum rerum statu, de belli gerendi ratione consilia variarent. Ita cum res in longiorem diem proferretur: Sigismundus, pontificis nuncium, qui, ob eandem causam, per eos dies erat in Poloniam, atque in Vngariam legatus, dimisit, pollicitus, se primo quoque tempore de Pontificis postulatis cum fratre rege acturum, et de consilii sententia, quid magis crederetur reipublicae conducere, constituturum; certe quando eadem utriusque gentis causa, idem animorum consensus, voluntasque esset, nihil omissurum iis omnibus agendis, quibus, salua sua existimatione, et fide, pontifici speraret se gratificari.

Quae dum ita administrantur, percusso foedere, et pace cum Moldavo constituta, Sigismundus legatos duos summae homines auctoritatis, Nicolaum Firleium Palatinum Lublinensem, Ioannem Laskium designatum Archiepiscopum Gnesnensem, regni Cancellarium ad fratrem decernit; quibus in Vngariam iter facientibus, occurrit missus cum litteris a Ladislao, qui illos doceret, conventum Strigonium indictum certis de causis, in IIX. kal. Iulias dilatatum. Quo nuncio accepto Sigismundus, revocatis ex itinere legatis, nihilo secius tamen pergit, quod instituerat agere, ac Petrum Tomicium spectatae hominem fidei, et prudentiae, ad Ladislaum cum mandatis mittit, qui illum doceat, appetere propediem induciarum diem, qui dies esset XIII. kal. Iulias, quas cum Baiasete pactas haberet; de quibus quae sententia fratris regis esset, se quam primum certiore fieri, magni, et sua, et reipublicae interesse existimaret. Moveri se quidem Pontificis auctoritate praeclare suadentis, et se digna, sed non minus moveri praesentium rerum suarum statu, et vero totius Christiani orbis, qui plane deplorandus videretur, nisi deus immortalis supplicibus suorum precibus exoratus, aliquid subsidii labanti reipublicae tam necessario illius tempore afferret. Manere Maximiliano adhuc paene integrum cum Venetis bellum, atque adeo, ut perexigua spes esset, propter multas causas, quas haud necesse haberet commemorare, brevi confectum iri. Ita cum nihil subsidii in externis armis, Vngaris, et Polonis positum esset, non videri tutum consilium, suscipi bellum, cuius tristis exitus, nullo cum pontificis usu, duorum nobilissimorum regnorum coniunctum excidium haberet; laetus non esset expectandus, ubi, desperatis regum auxiliis, adversus Turcarum immensas vires,

domesticis subnixi suis, sumerent arma. Ad haec, varendum ne, dum inanis rumor speciem perferens veri belli, ad hostis aures perveniret; ipse terra marique potens serio praeverteret, per inanem verborum ostentationem tum Romae, tum in aliis Italiac conventibus, iactatum bellum, et in vicinum Poloniae regnum, adiunctis secum proximis Scythiis, e Taurica Chersoneso, irrumperet, magna cum earum gentium, et populorum clade, quibus adversus tantam vim, atque impetum essent vires defuturae. Et hoc quidem illum sua sponte meditari molirique animo, haud ignarum, quin exeunte iam die induciarum, nisi de integro instaurarentur, hosti pro argumento essent, Christianos reges non abhorrere a belli consiliis, quod perinde esset habendum, ac si, omnibus coniunctis viribus, belli classicum canerent. Quam quidem rem veritum non opinione dubiam, sed ante oculos positam, statuisse de suorum sententia cum Baiaete agere de die induciarum proferenda, ut interea, exploratis regum consiliis, quae in praesentia longissime a spe pacis abessent, et auctus domesticis copiis, paratior, et vegetior cum ceteris, si quando, rebus compositis, id serio sibi agendum statuerent, ad bellum coiret. Accessisse ad ceteras caussas, regii aerarii angustias, quae tantae essent, ut, ne pacis quidem tempore, suppeditaretur, quantum esset satis ad alendum externum militem; quo maxime rex indigeret ad tuendos regni fines adversus Scytharum incursiones, qui, stato anni tempore, Borysthene amne transmisso, vicinas regni provincias popularentur: ut quid, belli tempore esset futurum, haud difficile esset divinare. Nam quod pontifex satis prolixè, et in belli sumptum se certam pecuniam, et minime dubia auxilia polliceretur; ag-

noscere se vero tam egregiam illius voluntatem in amicos reges, et maiestatis pontificiae perstudiosos; sed ita quidem, ut quam eius impares vires essent adeo prolixis pollicitationibus praestandis, aequè intelligeret. Quae tamen ubi etiam firmiores sua opinione essent, satius videri (in)tegras ad belli tempus reservari: quo quidem tempore, et ad conducendum ad bellum externum militem, et ad firmanda praesidiis minus tuta loca, esset futurum, ut maiore vi pecuniae foederati indigerent. Atque haec ille quidem de pontificis postulatis, haud arbitratus, tam turbulentis reipublicae temporibus reges, qui pertinacissime adversus pontificem arma retinerent, in Turcam conspiraturos; quorum attritas vires perpetuis bellis, qui sperari posse, sacro gerendo, nisi longo temporis spatio (re)stauratas pares fore? cetera acta de inito foedere cum Moldavo; cui cum Sigismundo ita convenerat, ut inter conditiones pacis, quibusdam de rebus, quarum rerum ius controversum esset, arbitrium ad Ladislaum reiiceret, cuius sententiae stari placebat. Et haec quidem ipsa actio brevis: rogabat enim Tomicius Sigismundi legatus Ladislaum, de iis ipsis controversis rebus ita statueret, ut non prius sibi spectandum censeret, quid ab illo fratris voluntas, quam quid causae aequitas postularet: ita enim esse animo affectum, ut non gratia et auctoritate, Ladislai regis frater, et summus ipse rex, sed causa superior videri vellet; alioqui non recusaturus, quin si secus sentiret, ac suis rationibus conducere existimaret, multo antiquiorem suam fidem omni necessitudine haberet. Reliqua erant mandata de tollendis controversiis, quae inter Sigismundum, et Albertum Brandenburgensem sororis filium intercedebant; qua de re auctor pacis Ladislaus, inter illos medius, non unis litteris, et nunciis sedulo egerat.

•



Iam, et hoc ipsum Iulius pontifex et Maximilianus Caesar urgebant vehementius: postulabant enim, ut Sigismundus delectos e suis ad se mitteret, quorum probatam fidem, et prudentiam haberet, per quos, facta potestate de iis rebus iudicandi, quarum ius inter illos dubium, ambiguum esset, transigeretur. Quibus Sigismundus, non sui iuris minus, quam auctoritatis tantorum principum memor, ita morem illis gerendum putabat, ut vereretur, ne, ubi facile eorum postulatis esset assensus, id, pro sui iuris praeiudicio, ab adversario arriperetur. De eo vero ita Tomicius apud Ladislaum egit: Nihil caussae Sigismundo videri, quare de suo iure decedendo, arbitrii cuiusquam faceret, quae a superioribus regibus legitimo iure possessa, ipse postremo, quo descendere adversarii superbia, et contumacia invitum coegisset, armis recuperasset. Non se fratri quod peteret negare, propterea quod de illius in se voluntate, et fide dubitaret; sed ne videretur, compromissum faciendo, caussae suae praeiudicium facere, quasi, quoniam parum caussae aequitati confideret, ad vim, et ad arma descendisset; quae quidem eventus docuisset, non adversum ius, ut adversarius videri vellet, sed pro iure esse adversus vim, atque iniuriam sumpta. Quod si tamen in ea sententia manere perseveraret, cum fratris caussa, quem coleret parentis loco, tum, ut ostenderet tanti esse apud se Maximiliani Caesaris, tanti, pontificis auctoritatem, quanti utriusque maiestatem fieri apud populos, gentesque omnes aequum esset, se Posonium tantae rei procurandae idoneos e suis homines misurum, qui ad IIX. kal. Iulias principum legatis praesto essent. Rogare fratrem, ut et ipse legatos cum liberis mandatis, et plena transigendi potestate de iis, quae in controversiam vocarentur, eodem mitteret; qui commu-

nem caussam, quando ad eum aeque pertineret, quidquid iuris Iagellonum proles in Prussiam haberet, sua auctoritate tuerentur. Postremum erat in mandatis de Opaviensi ditione, quam Sigismundus, ut videtur, a Ladislao oppignoratam, cum dies solutionis exisset, auctioni subicere constituisset: quod ne faceret, et rem in longiorem diem differret, maiorem in modum Ladislaus postulaverat, pollicitus se, pro oppidi redemptione intra certam diem aureorum nummorum CC. millia soluturum. Quo tempore exacto, cum fides dictis non exstitisset; haud contradicente Ladislao, Opaviam cum universo eo tractu Casimiro Tensinensium regulo, eadem pecuniae summa addixerat. Quam venditionem legatus, ut Ladislaus ratam haberet, in primis rogabat, quo aequior fratri regi esset, difficillimis reipublicae temporibus vendere coacto. Quae dum ad hunc modum inter duos fratres gererentur, gravissimae expostulationes Maximiliani Caesaris de Julio Pontifice ubique ferebantur. Eius quidem adhuc litterae leguntur, cum ad alios Christianos reges, tum ad duos fratres Ladislaum et Sigismundum reges scriptae, quorum maxime intererat, regum arma in Turcam converti, quas quidem cum his contexere visum est, ut aequi pariter, atque iniqui intelligant, Maximilianum, principem religiosissimum, non adversus pontificatum, qui illi semper, ut aequum erat, sacrosanctus fuit; sed adversus male pontificatus munus administrantem pontificem arma sumpsisse. Hoc vero erant litterae scriptae argumento. Adductum se pontificis auctoritate cum ceteris regibus bellum adversus Venetos ex Cameracensi foedere suscepisse: qui alieni iuris usurpata multa per summam iniuriam possiderent, in his, quae pertinerent ad summam imperii, cuius ipse esset moderator; cuius belli primis auspiciis,

cum rex Gallorum Ludovicus, in Abduae campis cum iis signis collatis, insigni proelio victos fregisset: inde exutos continentis imperio, ac se recipere in proxima continenti aestuaria coactos, pontifici, quas in Flaminia urbes occupassent; Ferdinando Hispaniarum regi maritimas alias Apuliae urbes; aliarum, quae iuris, ac ditionis imperii essent, sibi partem restituisse: Inde cum, iam bello confecto, unum sibi superesset munus obeundum, ut, pro maiestate imperii, componeret Italiae statum, quae per tot annos quassata insignibus belli cladibus, recreanda, constituendaque videretur: audisse pontificem religionis, et constantiae suae oblitum, recuperatis iis, quorum causa reges concitasset ad arma; Venetos victos communes hostes, et quidem non armis prius, quam gentium iure, omnibus oblitteratis offensionibus, in gratiam recepisse, magna cum sua, atque aliorum regum offensione, quibus se iureiurando obstrinxisset, non prius se passurum cum Venetis de compositione agi, quam foederati reges omnia recuperassent, quae sui iuris ab illis intercepta possiderentur. Neque vero solum victos passum esse secum in gratiam redire, sed dignos etiam habitos, quibus cum, novo inito foedere, societatem coiret, scilicet insigni cum eorum contumelia, quorum armis, impar ipse bello gerendo, vicisset, illustri titulo foederi adscripto, ut, coniunctis viribus, et communicatis consiliis, Italiam, pulsus barbaris (uno enim nomine omnes comprehendere, insigni nobilissimarum gentium, et populorum iniuria, qui non essent in Italia nati) in antiquum gloriae splendorem vindicaret. Hinc Venetos, collectis animis, quos tot belli adversis casibus fractos abiecissent, Patavium imperii urbem nobilissimam, quam sua sponte a Ludovico rege victi sibi essent restituere coacti, falsis, per fraudem, portarum custodibus,

iterum occupasse, nobilissimis civibus, qui Caesarianarum partium studiosi haberentur, aut in exilium pulsus, aut ultimo supplicio affectis, aut taeterrimo carcere, ubi naturae extremum spiritum redderent, crudelissime inclusis. Neque hoc tamen illi satis fuisse: avidum Christi pontificem eorum sanguinis, quibus positus in excelso reipublicae loco tantum deberet, eadem secum religione foederis devinctis, ulterius belli faces profereundo esse progressum: conatum enim adversus Ludovicum socium regem, cuius victoriae magnum fructum retulisset, se foederis legibus solutum concitare: scilicet, ut, pulso Ludovico Maximiliani armis, mox de Maximiliano pellendo, cum aliis regibus nova consilia iniret, numquam a caedibus, incendiis, populationibus, temperaturus, quoad spes esset, per populorum gentiumque nobilissimarum excidium dominandi cupiditatem, cuius nullos sibi fines praescripsisset, expleturum. Hinc petitam Genuam maritimo bello, quae Ludovico regi pareret; quam quidem, Venetorum classe cum sua coniuncta, ne gratis videretur tantorum scelerum infamiam sustinere, speraret se suae ditionis facturum. Hinc missos ad Helvetios, qui mercede conductum militem Mediolanum adducerent, ut, hereditario iure Ludovico regi debitum principatum, mox pari virtute, et felicitate vindicatum armis eriperet, praeclarissime de se merito regi, cuius maiorum exstare in Romanos pontifices illustria pietatis monumenta Christianissimi cognomen argumento esset, hac gratia relata. Eodem impetu animi ab eo petitum Alphonsum Ferrariensium regulum, Gallorum perstudiosum hominem, uno nomine, quod a Ludovico rege, acceptus ab eo in fidem, non pateretur se avelli: cuius iniuriae tamen, si ea modo iniuria esset, potior pars ad se, penes quem esset ius summi imperii, pertineret;

cum Alphonsi maiores a superioribus imperatoribus, quorum adhuc litterae, et monumenta exstarent, maiorem ditionis suae partem beneficiario iure accepissent. Quibus de rebus cum per suos legatos cum pontifice expostulasset, monuissetque, pro summa sua, et maiorum observantia in Romanos pontifices, ut, omissis ferocioribus consiliis, pacem populis redderet, et vere aliquando de bello communi hosti inferendo cogitaret; nihil aequi ab homine iracundo, aspero, atque impotenti ingenio, licuisse impetrare: Rogatum enim maiorem in modum, ut si quid illi controversiae cum Ferrariensi esset, eius rei cognitionem ad foederatos reges reiiceret, de quorum in se fide, atque observantia minime posset dubitare; conditione se usurum negasse, qua nihil aequius tamen excogitari posset. Neque ob eam tamen caussam se passum esse Christiani regis pietatem Christi pontifice colendo, a se desiderari; cum is quidem omnium prius, quam pontificii muneris memor, se indies in amicum regem duriores implacabilioremque redderet, praepostere arbitratus, quod rex suae pietati, et religioni daret, uti illius in se iniurias dissimularet, a metu maioris imperii . . . estitutione virium proficisci, cuius quidem maiestatem imperii, ut Caesarem deceret, coleret venerabundus; sed ut non posset, sine nota violatae Augustae maiestatis, sui iuris oblivisci. Quem vero posse ferre aequo animo, qui paullo ante ad excindendum e terris Venetorum nomen, Christianorum regum omnium arma concitasset, eum mox spoliatos maxima imperii parte, atque in paludes, et maris aestuaria reiectos, unde ad continentis imperium emersissent, socios asciscere, ad eos perdendos, quorum armis hosti sua vi adempta recuperasset? cui vero non exploratum eius in reges externos odium? Altero quoque verbo au-

diri usurpare, ad se unum, populorum omnium votis consentientibus, delatum pontificatum, ut esset, qui Italiam aliquando, barbaris ex eius possessione deturbatis, in libertatem vindicaret: qua hominis iniuria, et contumacia tanta se adductum, cuius fidei esset summa Christianae reipublicae commendata, statuisset, cum Ludovico rege coniunctis armis, perniciosis illius consiliis obviam ire. Ita autem dei immortalis beneficio hactenus rem gestam, ut, quod satis in praesentia posset videri armis pro iusta causa decertanti, hostium ferocia, et impetu retardato, iis, quo improba cupiditate ferrentur, non licuisset pervenire. Non se cum pontificatu bellum gerere, quem, ut deceret Christianum principem religiose, ac sancte coleret, sed, cum Iulio pontifice, qui oblitus personae maiestatis, quam gereret, et muneris pontificii, divina potestate ad perturbandum Christianum orbem abuteretur, cuius ipse rector, moderatôrque esset. Id vero eo admirabilius debere videri, quo maiore pertinacia pontifex maximus, quem homines divinis honoribus venerarentur, ingruente aetate, maximus natus in castris, in acie, in urbium oppugnationibus, inter vulnera et caedes militari ornatu conspiceretur; magno hominum terrore, qui in pontifice sacrosanctum imperium munitum armis vererentur, ignari quibus armis esset pontificis potestas munienda. Innocentiam, pietatem, religionem, sapientiam pontificum arma, non exercitus armatos, non tormenta, non tela, non gladios, quibus Iulius pontifex ferox, qui et sese ignoraret, et quo inter homines munere fungeretur, ubi continuo portae armato non aperirentur, denunciaret minitabundus, per moenia se aditum suis vi, telis, tormentis, atque armis patefacturum: Id enim soiltum usurpare, esse eiusdem pontificis, et pascendo

Christi grege, pastorale pedum, et arcendis lupis Christi gregem, ore faucibusque inhiantibus gladium gestare. Hanc animi sacvitiam multo maiore cum laude, in Turcam hostem ostentandam, in quem iustius illius odium esset, quam in Christianum principem, cuius virtuti, et fidei summa Christiani imperii administranda tradita esset. Non Christi hostem a pontifice armis peti; non suscipi bellum pro Christianae reipublicae finibus propagandis; sed adversus Maximilianum Caesarem, Ludovicum regem Christianissimum, Alphonsum Ferrariensium principem, qui semper in fide et clientela Rom. pontificum fuisset, eundem Romani imperii beneficiarium, unde magna incrementa dignitatis, et potèntiae semper Romanis pontificibus accessissent. Sed deum immortalem, pro ea caussa stetisse, quam ius, atque aequitas tueretur: pontificem enim, cum irriti eius conatus omnes cecidissent, hostis exitium sibi belli finem statuentis, verum, quem vellet, eventu desperato, secum de componendis controversiis, simulato ad tempus pacis studio, agere instituisse, precatum, ut Bononiam, ubi mox esset futurus, Mattheus Gurgensis Episcopus, vir summae prudentiae, et in maximis rebus spectatae, ad se, huius rei agenda caussa mitteretur. Quod quamquam minime ex animi sententia agi, sed fallaci, ac vafro consilio intelligeret: quo tamen acqui atque iniqui intelligerent, per se non stetisse, quo minus, sublatis controversiis, converterentur in Turcas arma; quod regem deceret, et administrantem Christiani orbis imperium, communicato consilio, cum regibus tum Hispano, tum Gallo pontifici obsecutum, atque, ut velle visus esset, Bononiam Gurgensem misisse, facta illi potestate, cum de aliis rebus agendi, tum de tollendis controversiis, quae integre adhuc sibi atque eadem gravissimae cum Venetis interce-

derent; qua in re polliceretur, iis se aequissimum futurum, imprimis de Gallo rege, et Alphonso, inimico pontifici conciliando: hoc enim se iam pridem agitare animo quibus rationibus inter Christianos reges, pace constituta, eodem consensu, communibus hostibus inferretur bellum, quod magno cum dedecore, insigni cum totius Christiani orbis querela, inter Christianos reges gereretur. Cum his mandatis dimisso Gurcensi, quo maior auctoritas legationi accederet, neu ipse videretur in communi omnium caussa, separata consilia habere, egisse cum Ferdinando Hispaniarum rege, Gallorum Ludovico, ut legatos ad pontificem de compositione mitterent, quos sapientiae fama plurimum commendaret, ut eodem animorum consensu rem agerent. Qua quidem in actione gravissima eadem, et ad rempublicam constituendam, maximi momenti facile animadverti potuisse, quam inexorabilis pontifex in eos esset, quamque inexpiabili odio, a quibus semel animum, vel levissimam ob caussam alienasset: passum enim se a Ferdinandi legato adiri: ut admitteret a Ludovico rege tanto missum, nullis precibus exorari potuisse. Quae quamquam ita essent administrata: nihilominus tamen pontificem, ut fides esset, haud se abhorreere a pacis consiliis, a quibus vere abhorreret, misisse qui in itinere Gurcensi occurreret, et ut ad se venire acceleraret adhortaretur: pollicitum se, cum firmam, et solidam pacem, tum perhonorificam, et maxime ex populorum sententia, foederatis regibus, conciliaturum. Qua re cognita, Gurcensem, qui per Tridentinas alpes iam Mantuam pervenisset; de aliorum legatorum sententia, in quibus Hieronymus Vickius fuisset, qui Ferdinandi legatus ex Hispania, huius rei caussa eo advenisset; cum aliorum regum legatis, uno



Ludovici excepto Parisiorum pontifice, summae auctoritatis homine, ire properasse. Neque fuisse unam modo odii caussam pontifici Galli regis legatum non admittendi, sed alias praeterea non minus graves: in his illam praecipuam, ut, per eam occasionem, ab eo Genuam in Italia averteret, quae civitas opulentissima, quippe quae maxime civium industria et commercio exterarum gentium floreret, semper fuisset in Caesarum fide; ut non ad se minus, quam ad Ludovicum, qui ea potiretur, pontificis iniuria pertineret. Quam vero illius postulata gravia, et non ferenda essent, ob eam caussam nolle se commemorae, quod nullus tam obscurus in Europa angulus esset, quo non eorum fama pervenisset, quae essent tum in eo conventu acta. Vnum quidem haud se posse silentio praeterire: pontificem maximum, in cuius nomine, primae inter Christianos reges maiestatis, quidquid sancti homines in terris colerent, contineretur; ausum disertis verbis negare se, Cameracensi foederi, cuius ipse auctor transactorque fuisset, staturum. Quod quidem interpretari oporteret non secus, ac si, soluto vinculo humanae societatis, quae una fide, et religione officii contineretur, homines ad eadem rerum initia revocarentur; quibus quidem pro iure, et legibus vis et libido fuisset. Ergo, deplorata spe pacis, cuius amabile nomen pontifex occultis consiliis obtenderet, quae cum communibus hostibus ad convellendum reipublicae statum inita haberet, eo se recurrere coactum maiorum exemplo, sapientium hominum, quo praesens rerum status postularet, ut patrum, concilium de sua, et foederatorum sententia indiceret; cuius tamen sententiae auctores essent e Cardinalium collegio, qui inter ceteros virtutis, et sapientiae fama excellerent; quo nomine iis pontifex in-

fensus, amplissimi ordinis honorem abrogasset. Excusare se, quod, inconsultis amicissimis regibus, in hanc sententiam descendisset: veritum enim ne pontifex, odio inflammato animo, ad impediendum tam salutare consilium, certe maxime Christianae reipublicae e tot malis vindicandae opportunum, aliquid impediementi obiiceret, praevenire voluisse. Rogare amicos reges, ut, pro sua consuetudine, bene de republica merendi, missis ad concilium delectis e suis, qui idonei maxime tantae rei gerendae haberentur, publicam causam capessero, quam pontifex, sacrosancti muneris parum memor, perditum iret. His Maximiliani litteris, cum fide a nobis e regio tabulario descriptis, ex quibus apparet, quantopere religiosi reges pontificis causae favebant, discussa tofa actio de sacro bello est. Neque vero cuiquam verisimile videbatur, exorientibus indies inter reges novis belli causis, arma facile in Turcam conversum iri, quae pontifex idem belli, idem pacis auctor, omnium pertinacissimus adversus Galum retinebat. Ita quidem erant incensi odiis animi, ut numquam longius, a pacis consiliis abfuisse crederentur, vesana quadam rabie animos rapiente, unde nullus esset a pravis consiliis receptus. Nam ad veteres offensiones, novae quotidie iniuriarum accessiones fiebant, id quod accidere erat necesse, inter gerentes arma, non solum non exstincta belli flamma spe pacis, sed vehementius etiam indies per utrimque acceptas atque illatas clades animos urente, cum utriusque eadem esset pertinacia, bellum aut hostis exitio, aut suo finiendi. Neque enim se pontifex deserebat, vir acerrimus et magno animo, haud ignarus, quanta sibi esset invidia sustinenda, Maximiliano Caesare, et Ludovico rege, querelis gravissimis, per suos legatos fatiganti-

bus regum aures; quos ab inimico pontifice respiciendo avertere conabantur: Belli facem, pestem populorum, eversorem Christiani orbis, sacrosancti concilii auctoritate e pontificia sede deturbandum, quod unum telum acerrimum Romani pontifices horrerent, qui parum recte, mandatum sibi sacrum imperium administrarent. Etiam atque etiam Christianis regibus cogitandum, quorsum tenderet tam iniusta atque immanis Romanorum pontificum potentia: quibus si quantum vellent, per regum dissimulationem liceret, brevi esset futurum, id quod superioribus saeculis non semel accidisset, ut servitutis iugum magni reges subirent, privatis non-ferendum, uti ad unius irati pontificis libidinem, saepe improbi, scelerati, impotenti ingenio, sibi intelligerent quae agerent dicerentque omnia conformanda, durissimas accipiendas leges, maiestatis reis causam dicendam, regnorum maximorum possessione concedendum. Ita olim per summam iniuriam, Henricum Caesarem deiecit dignitate imperii; ita adversum unum, atque alterum Fridericum, ita adversus Philippum Pulchrum Gallorum regem universum Christianum orbem concitatum. Hoc enimvero posse ferre aequo animo, qui ius fasque homines colerent, ut inter pontificem, et reges orta controversia, sive actor pontifex, sive reus esset, sibi ius sumeret in eum pronuntiandi, *quo* cum haberet controversiam institutam? ut cuius res esset, is de sua re, ut esset visum, idem reus, idem iudex statueret? Haec vulgo ferebantur, quibus irritatus superbus pontifex, infinita imperii potestate, quae apud reges externos nondum exolverat, facile ius suum auctoritatemque tuebatur. Itaque et apud Ladislaum per Thomam Strigoniensem Cardinalem, qui tum Romae agebat, et apud Si-

gismundum, per Ioannem Staphilaeum legatum disertum hominem, facile regum criminationes, per se satis munitus pontificii nominis auctoritate, refellebat. Eodem anno Sigismundus memorabili de Scythis victoria parta, qui perpetuis excursionibus, superioribus annis Lithvaniam vastaverant, legatos in Vngariam misit, qui fratrem regem, tum de rebus ab se gestis docerent, tum de domesticis rebus consulerent, quarum ad illum privata mandata habebant. Vixerat ad eum diem Sigismundus coelebs non sine gravi Polonorum expostulatione, qui regis fortissimi, ut regni atque imperii, ita virtutis, et felicitatis heredem poscebant. E numerosa Casimiri prole, cum Ladislaum maximum natu Boemi primum, mox Vngari sibi regem ascivissent, Albertum et Alexandrum fratres, quorum uterque regnavit, nullis superstitibus liberis, importuna eripuerat mors: Casimirum a nuptiarum studio vitae sanctitas et divinis rebus addicta mens, Fridericum Romana sacra averterant: ut unus superesset Sigismundus, in quo aut coelibe interiret, aut marito revivisceret Jagellonum proles: cuius ab interitu vindicandae, in tot fratribus deficientis, magna cura Polonos incesserat: etsi enim Ladislaus iam Ludovicum susceperat: tamquam alterius nationis, et gentis, a prima aetate in Boemorum, et Vngarorum regiam adoptatum, vix Casimiri legitimam prolem agnoscebant. Quae cum minime Sigismundum fugerent, suo ingenio facilem, et in caussa iustissima suis faventem, discedere facilius a superiore vitae instituto potuit, atque adeo, quod diuturnus usus probasset, quam iustissimas suorum querelas ulterius ferre. Ita cum non placeret, per unam delectam e suis, alias in Polonia ab se praeterita videri, quae regnantem pari nobilitate, dispari

fortuna invitae ferrent: eo descensum est, ut ex Vngarorum nobilitate delectam, quae regiae indolis, et probitatis, ac pudoris fama excelleret, rex frater rogatus primo quoque tempore in Poloniam mitteret. Dum recenti gloria Sigismundus floreret, confecti ex sententia belli gravissimi, haec una accessio iustissima querebatur, per regias nuptias spem posteritatis in ea familia propagandae, cuius mitissimum imperium iam integrum saeculum, Poloni essent experti. Enimvero fuit hoc Sigismundi iudicium Vngaris quam honestissimum, ex quorum subole quaesitus regni haeres; fidem faceret, non fortunam solum, .etiamsi esset in privato insignis, sed virtutem etiam spectatam. Excitavit quidem eius rei fama magnam in Vngaria inter regni principes aemulationem, cum sua spe quisque incitatus, aut filiam, aut propinquam, per cuius fortunam cresceret, parem regiis nuptiis fingeret; ut sibi homines, haud tacito naturae instinctu, in non optima etiam caussa blandiendo favent. Sed inter alias omnes, ubi quis discederet a suis, magno consensu Barbara virgo Ioannis Scopusii soror eminebat, non solum patris gloria, principis olim Vngaricae nobilitatis, et fratris Ioannis potentia, sed virtutis propriae commendatione; cum formae decus, morum elegantia; hanc vitae sanctitas, pudorque auget. Vna haec in complurium delectu, in quibus maiorum nobilitatem, probitatis fama aequaret, ut aliorum, ita Ladislai iudicio digna habita, quae per Sigismundi regis torum, ad maiestatis regiae fastigium efferretur, in quacumque fortuna esset nata, ut scriptores omnes eorum temporum video affirmare, Polonos in primis, fortunae regiae par. Fertur quidem Hedvigae virginis mater, lectissima femina, per Casimirum fratrem Tensinensium ducem, cum Ladislao primum, mox, eo in

sententiam traducto, cum Sigismundo de conciliandis nuptiis egisse. Nam Ladislaus maxime fratri huius consilii auctor, Michaellem Hanelum virum spectatae prudentiae, ad eum legatum miserat, ut una cum Casimiro, qui eodem tempore Cracoviam ob eam caussam, erat profectus, de nuptiis transigeret: quibus iam Sigismundus virginis amore incensus, cum fama afferret fratris iudicio consentientia, magna in nobili virgine accessio, quam (pu)dor ornat, et dignitas formae, haud fuit in mora. Ingens quidem aut tarditas, et stupor, in re tanta oscitantis Ladislai, aut virtus et magnitudo animi notanda (si verum est, nobiles inter illum simultates. et Scepusium intercessisse) qui potuerit, soluto animo curis omnibus, quem iustus dolor, atque inde susceptum odium, et iracundia par commoveret, deligere ex inimica domo, et quidem ut etiam regia affinitas abesset, plus aequo per se potenti, quam apud regem fratrem regni honor augeret. Nam si minus sensit, regnandi cupiditate elatum hominem, per fratris regis affinitatem altius evehi, quam ut facile ad maiora contendens deiici posset; desideranda in illo prudentia, et vis consilii fuit; quae etiamsi minus a natura adesset, prudentium hominum tamen illi consilium non deerat, ne rem temere committeret, cuius esset futurum, ut, paullo post, nullo cum usu, et compendio, falsum sua opinione poeniteret; sin, cum hoc non ignoraret, animum tamen habuit in potestate; et fratri maluit consulere, quam privatis inimicitiiis indulgere, magnae in eo virtutis, et plane regiae indicium fuit. Nam si qui sunt, qui in aliis parum memoriae Ladislai faveant, iidem tamen in hac una re fateantur necesse est, maximam illi laudem aequitatis, et iustitiae deberi, qui quam constanti fama excellere virtute, pudore, sanctitate morum intelligeret.

facile pateretur, per regis fratris coniunctionem, excellere honore: cum quidem, saucius animus, atque invisa inimici potentia, non esset impedimento, quominus in eo, libero iudicio uteretur: certe, ut sibi altius pre-mendum dolorem animi, et prolixius rem agendam censeret, minime dubitandum est, quin et insignes aliae Scepusii virtutes effecerint, et comitas quaedam regia, in primis ac clementes et placidi mores, quae illi virtus ne ab inimicis quidem unquam est negata. Nam quod ad extremum in sententia non manserit, eius rei culpa omnis in Scepusii inimicos reicienda; quorum maxime consilio Ladislaus regebatur, verentium ne inimici opes satis per se validae, ut cetera abessent, fortunae secunda aura in immensum provectae, aliquando plus aequo formidolosae essent principem gratiae locum apud regem ambientibus. Hi, cum nondum de nuptiis transactum crederetur, urgendo, obtundendoque facile a rege extorserant, qui se iis plane dedisset, ut cum aliis mandatis, Ioannem Procekium sibi fidum hominem ad fratrem legaret, qui cum ab instituta cum Scepusio affinitate deterreret, non obscura levitatis, et inconstantiae nota, et magna cum Sigismundi offensione, qui tum Polonorum principum, tum eius maxime suasu, abhorrentem sua sponte a nuptiis animum, ad virginis nuptias flexisset. Itaque cum in Vngariam ad Ladislaum eundem Tomicium legatum aliis de rebus mitteret, quas tum ab illo non ignorari, magni reipublicae intererat, privata de hac re eidem mandata dedit, querelae, atque expostulationis plena, quae non leviter commotum eius animum indicarent: Mirari se, cum aliquid accidisset, quare sibi frater censeret de nuptiis sententiam mutandam, a cuius consilio numquam discedere constituisset; in

illud tempus rem distulisse, quo paene de his actum transactumque esset. Meminisse debere, cum adhortanti, ad propagandam subolem paruisset, a quo vitae genere sua sponte semper alienus fuisset; ita passum se de sententia deduci, ut tametsi iam pridem coelibem vitam, obsequutus ingenio, maritali iugo praetulisset, curam inveniendi, quae digna regio toro haberetur, is susciperet, qui auctor eius consilii esset, et frater idem et summus rex adeo, quem a primis annis sibi sanctitate patria colendum statuisset. Quod cum recepisset se facturum, eam sibi despondisse, non quam ipse maxime probasset cui esset nuptura, sed quam, ex omni Vngarica nobilitate, frater rex selegisset, natam illam quidem illustri loco, atque ex familia amplissima, sed quam regiae virtutes multae, in obscuriore etiam fortuna, dignam ostenderent, ex qua Sigismundus rex susciperet liberos, in spem maximi regni educandos. Neque se credere debuisse, temere fratrem fecisse, qui, ne quando falli tanta in re posset, cum fraternus amor, atque egregia in se voluntas, tum suorum consilium, praeter illi insitam prudentiam effecisset. Ac quamquam illius consilium alte animo condidisset, non secus, atque is vellet, facturum; conducere tamen utriusque rationibus arbitratus, primo quoque tempore rem agi; ita distulisse, multis obiectis rebus, quae volenti impedimentum, et moram afferrent; ut postremo, cum suorum preces diutius ferre non posset, hoc ipsum in dies maiore contentione, et studio a se postulantium; coactus fuerit eandem sibi despondere, quae sibi oblata a fratre tantae rei auctore fuisset. Nam cum iterum a se esset consultus; per eundem Hanelum internuncium, cuius fidem, et prudentiam spectatam haberet, multo se magis in suscepta senten-



tia confirmatum; ut non sine, gravi infamia posset, neque adeo minus fratris, quam sua, eam non ducere, de qua eius unius auctoritatem secutus, ut mitteret aliorum, quibus auctoribus in deliberando de re tanta esset usus, secum transigi passus esset: eo enim tum fuisse progressum, unde, salva maiestate regii nominis, et sua fide, quam a se desiderari nunquam esset passurus, revocari haud posset. Ac cum illius pridem animus sibi ea de re explorator esset; non dubitare se, quin ea, quae Procekius attulisset, non de sua, sed de eorum sententiâ sibi curasset significanda, quorum turbulenta consilia, ad perturbandum populorum otium, et quietum statum reipublicae per ordinum discidium, et nonnullorum privata studia, intenderentur. Satis quidem scire, matura usum consultatione tantum regem fecisse, ut censeret cum Scepusia domo, per affinitatis ius, amicitiae foedera iungenda; cum non ignoraret, in una ea re de utriusque regni commodis, in primis de liberorum incolunitate agi, quibus expediret, si quid patri humanitus accideret, ab eorum rationibus Scepusium non alienum esse. Vngarorum hoc esse receptum a maioribus ius, non agnoscere oblatum regem fortunae temeritate, sed delectum e multis, liberis populorum suffragiis; quae vera regum creandorum ratio, non prius gentium iure, quam naturae legibus esset in vitam hominum invecta. Quae quamquam ita se haberent, ubi, integra re, tamen, et nulla cum iactura dignitatis, discedere a suscepto consilio liceret, primo quoque tempore nuptias maturandi; quod secundo loco is velle videretur; rem in longiorem diem differre se aequissimo animo paratum: ut pro infecto haberet, quod transactum, fixum, ratum semel habitum esset, ne ipsum quidem fratrem memorem suae constantiae sibi

suasurum. Accedere ad haec omnia principum, et populorum offensionem, quos sua spe, atque expectatione frustratos, plane sciret minime necessariam dilationem temporis iniquo animo laturus, iam imminente vere, quo tempore, propter Scytharum incursiones, oporteret regem esse in armis; atque ita hoc quidem, ut implicato bellicis curis, quibus vacare per anni rationem haud liceret, verendum esset, ne actio de nuptiis frigere, atque excidere animo crederetur. Itaque cum minime ignoraret, quanta esset fratris in se pietas, atque observantia, a quo semper cultus eximie fuisset, rogare enixe, ne induceret in animum credere, ab eo quidquam ea actione admissum, quod illi offensionem esset. Scire quidem se, a quibus haec mutatio consilii manaret; sed non ignorare simul, quae eorum ratio in ea re agenda esset: neminem enim posse fugere (minime illis improbam cupiditatem, qua flagrarent animis dissimulantibus, non eos reipublicae commoda spectare, sed privata sua, quae exercendis privatis simultatibus, et serendis inter regem, et suos discordiis, sibi comparanda statuerent: ut non solum non viderentur audiendi afferentes prava consilia, et aliena a publicis rebus, sed procul a regia arcendi (nisi) viderentur affere etiam reipublicae opportuna: eosdem enim esse, qui non ita pridem fuissent impedimento, quo minus, ut convenisset, Vratislaviae duo reges fratres congregarentur; qui quidem congressus (ne)mo posset negare quin salutaris in primis fuisset Vngariae, et Poloniae populis futurus: scilicet, quod vererentur, ne per mutuum regum colloquium, quae scelerate in rempublicam regemque adeo ipsum animo molirentur consilia, conatusque omnes infringerentur: nihil enim sibi certius esse, quam illos unum hoc ma-

chinari, quibus rationibus, deiecto de se optime merito rege, a reipublicae gubernaculis eum ipsum, liberos, et duo regna simul exteri regis fidei tutelaeque traderent. Neque illos quae sentiant dissimulare, iam Maximilianum Caesarem designantes animis; vicinum quidem regem, et religiose colentem amicitiae iura; sed, cuius potentia quanto maior esset, tanto vicinitas propinquior doceret, positum in ipso regni limine cavendum, certe non ferendum, praevalidum regnum, ac peropulentum, non suo robore, sed unius nutu, atque arbitrio stare, qui se eius appetentissimum in regni petitione ostendisset; praesertim cum non saepius homines quid debeant, quam quid possint, velint. Iam ignorare neminem, hanc machinam admoveri a sceleratis hominibus, quibus in vi aperta nulla spes esset suppetere vires ad praesentem rerum statum labefactandum; sed unum se tamen scire, adversus improborum hominum scelerata consilia satis praesidii fratrem cum in sua gravitate, et constantia, tum in suorum sapientia, et consilio positum habere. Nam, ut minime esset de Maximiliani fide dubitandum, quae raro tamen, in optimis etiam ingeniis praestaret a dominandi cupiditate invictum animum; quam illi ipsi Maximiliano licere suscipere aliena regna administranda, Caroli nepotis tutelam gerenti, in cuius ditione tot regna opulenta, et maxima essent, ut missa fieret procuratio imperii tanta, atque aliorum, quae sui iuris essent, administratio. Vt vero illius esset egregia voluntas, unde affuturas volenti tantas opes, militem, tormenta, pecuniam, ut satis posse afferre subsidii ad tuendum ungaricum regnum, adversus Turcarum arma crederetur? quem districtum gerendis bellis gravissimis saepe aeri-um deficeret, exhaustum, non solum numerosis exerci-

tibus alendis, firmandis praesidiis, urbibus, armis, telis tormentis comparandis, sed saepe minus necessariis sumptibus, a quibus natura ad dandum, et largiendum profusus cum vastus animus, atque in tanta rerum mole regenda impotens sui, nulla admitteret frena temperare haud posset? Neque tamen, quamquam undique esset otium ab externis bellis, illi facile futurum Vngaricum regnum acceptum in fidem recte administrare, nisi abiecta cura suorum, quae per longissima terrarum spatia disiunctissima, animum omnibus etiam aliis curis solutum, unius imperio regenda fatigarent. Obiectam Vngariam perpetuis bellorum incendiis, cui quidem omnium potentissimus hostis ad exitium immineret, certo praeside, et propugnatore indigere; cuius virtute et sapientia ab impendentibus undique tempestatum procellis tuta tegeretur. Grave officii pondus suscipere patrem familias, quantumvis magni usus, industrium, atque experientem, cui esset privata domus administranda: quanto gravius non unicum Vngaricum regnum, cuius tamen longe lateque fines paterent, sed multa, atque eadem regna maxima sustinere? Ac nemini iam obscurum esse, quo spectarent eorum consilia, qui haec molirentur: sperare enim impari Maximiliano, oneri sustinendo, qui tot regnorum administrandorum mole premeretur, ad eos perventuram regni procurationem, qui insigni cum gentis dedecore, auctores exstitissent regnum in provinciae formam redigendi. Ita futurum, ut vectigalia regni, portoria, metallorum fructus, quorum esset Vngaria feracissima, haberent in potestate. Eisdem hos esse homines, qui Vngariae imperio inhiantes, quo per regni exscidium modo se perventuros sperarent, domesticis viribus diffisi, et anno superiore, auctores dissoluendae actionis de Vratislaviensi con-

ventu fuissent, et nunc obstarent, fallacibus dolis utriusque regno insidiantes, quo minus incepta de regniis nuptiis actio ad exitum perduceretur, quam intelligerent Poloniae pariter et Vngariae tum salutarem, tum perhonorificam futuram: veritos enim, ne per fratrum congressum perniciose consilia, quae agerent animo disicerentur, id unum agere, ut inter eos novas discidium causas serendo, aditum sibi ad ea patefacerent, unde, manente inter eos concordia, spem suam, et vota frustrati arcerentur. Quae eorum incepta, magno cum animi dolore, eo progressa cognovisset, ut iis ipsis adniventibus, convenisset inter ordines regni, ut de iis in principum conventu ageretur, qui esset indictus ad IX. kal. Maias; quo tempore Thomas Cardinalis esset abfuturus, in cuius sapientia, et consilio maxime rex acquiesceret. Fecisse vero, pro eximia sua pietate tum in fratrem regem, tum in eius liberos, ut de imminente illis periculo primo quoque tempore eum doceret, et, si modo relinqueret, locum monendi se, id quod ut crederet, animum inducere vix posset, etiam, atque etiam oraret, ne a sceleratis hominibus se abduci in adeo praeposteram sententiam pateretur, cui locus esse, sine certa tum Vngarici regni pernicie, tum suorum, et sua, minime posset. Id quidem cum multo ante animo providisset; optimo consilio adhortanti adiungendam cum Scepusia domo affinitatem, se esse assensum. Fore enim sperasse, ut cum rege affinitate Scepusio coniuncto, improborum conspiratio debilitata, convulsaque langueret, qui Iagellonae familiae maiestatem, atque amplitudinem extinctam vellent, in cuius ditione tria regna opulentissima haberentur. Nam ne videretur parum certa afferre, eorum litteris se ea habere comperta, quibus, per interpositi iurisiurandi re-

ligionem, ultro citroque missis, de communicatis inter se consiliis cavissent. Quando vero horum scelere esset factum, ut minus Vratislaviam convenirent, et de novo conventu Brunam indicendo cogitaret, qua de re per Procekium legatum monitus esset; et obtemperatum se illius postulatis libentissime, et ad praestitutam diem affuturum: scire enim se multa inter Vngariae, et Boemiae regna intercedere, quae eadem, propter ortas controversias de Silesiae et Moraviae iure ad Polonorum regnum pertinerent, quas tolli quam primum, utriusque regni permagni interesset. Vnum rogare, ut, quod constituisset, perficere maturaret, ne, iam aestate ineunte, quo anni tempore barbarorum incursionibus obviam iri oporteret, a quibus maxime observari sua tempora non ignoraret; decedere de regni finibus magno reipublicae incommodo cogeretur. Quod ipsum tamen, ubi minus per alias regni occupationes liceret, ubicumque visum esset, se, aliis omnibus omissis consiliis, sedulo acturum: eam enim suam esse in illum observantiam, indulgentiam in liberos, ut nihil, quantumvis arduum, et magni discriminis, quod intelligeret iis commodo, ornamento, voluptati fore, eorum caussa esset deprecaturus. Atque haec quidem arcano, quae ad fratrem regem pertinentia legatus habebat in mandatis: illa palam in senatu acta; quorum erat primum caput de sacro bello: cuius cum iam spem omnem, ut iam diximus, propter regum, et pontificis discordia, abiecisset, hortabatur fratrem, ut secum aliquando, compressa Vngarorum ferocia, qui supra vires elatis animis, potentissimum hostem contemnerent, de tuendo suorum otio per longioris temporis inducias cogitaret. Nam, ut finis aliquis imponeretur intestinis bellis, quibus iam universus Christianus orbis (con)-

cussus labefactatusque (cuius rei tamen nulla certa spes ostenderetur) ita regum esse attritas vires, ut tot bellis perfunctis, una superesset reliqua cura, quibus rationibus aliqua ex parte recreari atque refici possent, spes nulla esset, ita posse recreari, ut eo tempore tuto explicari posse in Christi hostem instauratae crederentur; id quod requireret multorum spatium annorum; certe non esset eius temporis, in quo quidem barbarum hostem quiescere magni beneficii loco esset habendum. Iam quoniam plurimi interesse existimaret ad regni Vngarici securitatem, Moldavum, cuius principatus iisdem finibus a Transilvania discriminaretur, tutum agere, a Turcarum, et Tartarorum armis; rogare, ut acceptum in fidem sibi susciperet tuendum, minime dubius, quin desertus ab Vngaris, Turcis aditum patefaceret ad irrumpendum in vicinam Transilvaniam, regni provinciam nobilissimam, et peropulentam. Ita enim esse animo affectum, ut, ubi desperandum de salute esset, cum sua Vngarorum ruina coniuncta ulciscendi voluptatem esset ab eorum exitio a quibus difficillimo suo tempore esset desertus, petiturus. Nam se anno superiore, cum Tauroscytharum rege, qui Procopitae vulgo appellarentur, per suos legatos perpetuam amicitiam, et foedus postulante, ita pacem iunxisse, ut eodem foedere, multum eo repugnante, et contra tendente, Moldavum voluerit includi: id vero eo accuratius, et contentione animi maiore, quo certior a suis fieret, clam a barbaro coacto milite, copias ingentes comparari, quibus Moldavum nihil minus expectantem, a rebus omnibus imparatum adoriretur. Neque in eo satis se visum illius securitati prospicere: delectorum militum manum e Lithuania accersitam, qui, ad subitos casus, armis oppresso a

barbaris hostibus praesidio essent, in finibus constituisse: cuius sui studii, atque officii Moldavum memorem, per legatos, quos honestandarum suarum nuptiarum causa ad se misisset, sibi, ut aequum esset, gratias egisse; fassum se illi, et suam, et salutem suorum acceptam referre: cum etiam illud addidisset, comperit se habere, Tartari consilium fuisse, ut aut filio, aut Selimo genero, qui contra Baiasetis patris voluntatem, sibi eius filiam despondisset, pulso se Moldavia, principatum conciliaret. Quod cum se minime fugeret, fretum regis fratris auxiliis, cuius eadem causa ageretur, barbari conatibus ire obviam constituisse, ne destitutus Moldavus, cuius per se essent parum validae vires; potenti hosti, qui eius fortunis, et capiti immineret, praedae relinqueretur: quod si accideret, haud dubitandum censeret, quin, successu viribus auctis, ad maiora animum intenderet, quem nulla amicitiae, aut foederis religio, quam coleret, in officio contineret. Satis vero certum illum documentum huius sui consilii dedisse, quod eo anno, id quod numquam antea facere consuevisset, citra Boristhenem annum hibernasset; quo quidem in loco, magis contractis copiis, in omnem occasionem opprimendi Moldavum imminere diceretur. Atque haec quidem Moldavum, dissimulato consilio, quod alte animo reconditum haberet, speciem amici principis retinuisse; quod cum violentum esset, et propterea non posset esse diuturnum; repente rediisse ad ingenium, et, aliena posita, suam induisse personam. Hominem ingratisimum, a se receptum in fidem, summae necessitudinis officii cultum, multis insignibus amicitiae documentis, honoribus decretis honorificentissimis, non ita pridem audisse, inscio, atque inconsulto se, cum hoste paullo



ante infestissimo pacem foedusque iniisse. Id noluisse fratrem ignorare, ut statueret, de senatus sententia, qua ratione sibi esset cum homine tam barbaro, et praepostero ingenio agendum cum per se subnixo viribus non contemnendis, tum novi foederis fiducia, qua in spem rerum maiorum animum erexisset, quod quidem usque eo non dissimularet, ut vicino regi iam vix ferendus videretur. Aliud erat legationis caput de actione iniuriarum inter provinciales instituenda, quas quotidie Poloni, qui agerent in Ruthenorum finibus, sibi a vicinis Vngaris inferri querebantur. Postulabat vero Sigismundus, ut Ladislaus legatos mitteret, viros spectatae fidei, et prudentiae ad fines regni, qui cognoscerent de privatorum caussis, ac pro sua iustitia, atque aequitate, de ortis inter eos controversiis constituerent: id quod pridem pollicitus se facturum, adhuc non perfecisset, ut crederet, regni curis gravioribus distentus. Id si ageret, tum delectos e suis quoque missurum se, qui communi consilio cum illius legatis, cognita re, iurgiis, et litibus, a quibus nullius auctoritate adducti haud desisterent, imponere<sup>(n)</sup> finem; cui incommodo, ut quamprimum occurreretur, in primis ad quietem, et otium utriusque gentis crederetur pertinere. Rogabat praeterea maiorem in modum, ut, quod posse fieri commode a regionis peritis cognovisset, qua Ruthenorum fines ad Transilvaniam pertinerent, interiectae silvae ad oppidum Husthium usque, facto initio a Zidazoviensi agro, excinderentur. Id si ageretur, qui mercaturas facerent, commeantes aperto itinere ad finitimorum nundinas commercii causa, uberem proventum, et suos aequae, et Vngaros percepturos. Postremum erat caput de Iulii pontificis postulatis, quorum illud in primis in speciem honestum, et

Christi pontifice dignum, ut legati ad Maximilianum tum a Sigismundo, tum a Ladislao mitterentur, qui illum, aversum a quietioribus consiliis, ut pontifex credi volebat, ad pacem, et foedus adhortarentur; quo quidem inter Christianos reges constituto, aliquando alacrioribus animis de' suscipienda in communem hostem expeditione ageretur; qua una re speciosa maxime, et plausibili, Maximilianus tegi querebatur pontificis aliena a pace consilia, alterum haud minoris momenti, ut auctoritate sua Lateranense concilium, quod adversus Pisis indictum a Maximiliano et Ludovico rege, Romam indixisset, missis ex Vngaria et Polonia legatis, comprobarent. Quae omnia, per Staphilaecum Iulii legatum agebantur, callidum hominem, et non indisertum; quo facilius Sigismundus, et Ladislaus haud dubie sua sponte pontificis perstudiosi, accusanti Iulium Maximiliano, augustae maiestatis principi, aures minus faciles praeberent. Nam ad utrumque regem missus, facile Ladislao persuaserat, Pisanum concilium non divino, non humano iure, non ex veterum patrum sanctionibus coactum, cum eius indicendi unius esset Romani pontificis potestas. Tam perditos consilii auctores delectos e cardinalium collegio unum, aut alterum turbulento ingenio homines, et cupidos rerum novarum, quos iniecta spes maximorum honorum, et praemiorum ingentium a Ludovico rege, a recta via officii, et respectu amplissimi ordinis, in quem essent adlecti, abduxisset; scilicet ne deessent, qui Christianum orbem serendis de religione discordiis, iam tertium annum perpetua procella bellorum concussum, perturbarent. Non studio pietatis concilium indici, non finiendi inter reges bella, non movendi in Turcam hostem, regum et populorum

arma, non emendandorum morum gratia, sed deiiciendi de fastigio sacri imperii sanctissimum pontificem, qui unus regum inceptis parum laudabilibus, minime certe ex usu Christianae reipublicae obstaret; quae regum concordia, non armis; salutaribus consiliis, non turbulentis, salua retineri, atque incolumis posset. A quibus vero concilium indictum? ab hostibus pacis, atque otii, desertoribus amplissimi ordinis, qui adversus iura humana, divinaque omnia, in eius pontificis exitium conspirassent a quo insignibus commodis, atque honoribus aucti honestatique essent. Scilicet hoc esse institutum ambitiosorum hominum, ut quo malis artibus innitentes pervenire haud sperarent, quasi, per cuniculos tentata via, splendidis nominibus tegentes malam caussam pervadere conarentur. Quinque modo inventos cardinales ex omni numero, qui empti pretio, fidei et religionis suae immemores, per Christiani orbis discidium, Galli regis gratia freti, et in alia sacerdotia opima, quibus se e vitae egestate, et alieno aere, quo obruerentur, vindicarent, et in pontificatum adeo invaderent; quam sibi, Iulio deiecto, animis destinarent et quidem quamquam ceteris omnibus eiusdem ordinis improbam paucorum defectionem a Christi vicario exsecrantibus; qui quando in amplissimo ordine excellere virtute haud possent; scelere excellere in nefariorum hominum coetu, diris omnibus, atque exsecrationibus, a congressu, et communicatione bonorum amoti, maluissent. His facile impulsus Ladislaus, proficiscenti Staphilaeo in Poloniam, litteras ad fratrem dederat, quibus, quae secum Staphilaeus egisset, quaeque sua de his sententia esset significabat. Nam de ceteris Sigismundo assensus, de mittendis legatis in primis, hoc unum amplius poscebat, ut quorum essent de re-

publica Christiana iidem sensus, eorum una ratio legationis esset; ut pariter, et cum Maximiliano de componendis cum Iulio controversiis agerent, et per legatos, iussos primo quoque tempore Romam ire, pontificem consolarentur, spe facta, se ei, pro sua religione, atque in pontificem observantia in his quae de comprobando Lateranensi concilio postulasset, non studio, non auctoritate, non gratia defuturos. Interea tamen Ladislaus rogabat, ut, quando Strigoniensis Cardinalis tum Romae esset, in cuius maxime fide, et sapientia, regni Vngarici summa contineretur; per eum pontifex de iis, quae pertinerent ad indictum Romae concilium sibi omnia accurate curaret significanda. Erat vero regum consilium ita Iulio in his, quae posceret, morigerari, ut non ostenderent a Maximiliani caussa alienum animum; quod in graviorum rerum consultatione difficillimum est: naturae enim instituto hominibus plus aequo suis rebus faventibus, raro is qui medium se inter dissidentes interponit, offensionem eius effugit, cui minus favet, ut maxime etiam habeat liberum a studio, atque odio animum. Id vero numquam fere non accidit, ubi eorum sunt elatiores animi, inter quos est instituta contentio, de graviore praesertim re, et maioris momenti. Nam quantumvis exiguum sit, quo in alterius caussam propendeat, ita id alter accipit, ut quasi a se ablatum per iniuriam adversario adiudicet atque alterius commodum, etiam si sit levissimum, insignem suam iniuriam faciat. Neque enim poterant fratres reges, legatos ad pontificem mittere, quin insigni praeiudicio totam Maximiliani caussam iugularent; qui sibi ius indicendi concilii sumpsisset: quam tamen auctoritatem penes imperatores fuisse iam inde a Constantini Caesaris temporibus, multis subnixus

veterum exemplis Maximilianus contendebat: contra, tanta erat pontificis in tuenda sua caussa constantia, ut qui non ostenderet a Maximiliani rationibus alienum animum, cum non secus ac si inexpiabile scelus admisisset, diris atque execrationibus omnibus defixum a sermone, et coetu hominum amoveret, uno Romanorum pontificum ad continendos summos reges in fide, telo acerrimo. Quidquid vero a Ladislao agebatur, id in Sigismundum auctorem, et Maximilianus et pontifex pariter reiiciebat; cuius maxime consilio tum Vngarorum res administrari non ignorabat, atque adeo, quamquam magna cum Vngarorum principum offensione, qui aegre ferebant regem cum propter animo insitam tarditatem, indigeret consilio, quo tuto carere ne sapientissimi quidem reges possunt, damnata suorum fide, ad externos confugere; id quod in magnum gentis dedecus, et contumeliam vertebat. Hoc quidem initium simultatum inter Maximilianum et Sigismundum, de quibus alio loco pluribus agendum. Interea Ladislaus, cum de Sigismundi postulatis in arcano consilio retulisset; perrogatis sententiis, ad hunc modum Tomicio respondit: Quod frater rex celebrare nuptias aliquanto citius maturasset, quam conducere suis rationibus existimaret; accipere se vero eius excusationem aequissimo animo, quando plane id sciret, iustissimis de caussis fecisse: nihil enim sibi esse certius, quam fratrem, in quem eximia semper sua caritas, atque indulgentia fuisset, pro illius erga se amore, atque observantia, quae sibi, liberisque commodo, ornamento, voluptati futura intelligeret, et optare, et velle. Ita quamquam res secus esset acta, quam ipse agendam censuisset; sese tamen, quod reliquum esset, deum immortalem precari, ut

nuptiis fratri secundis suorum studiis, faustis populorum votis atque omnibus conciliatis, quando earum auctor crederetur, qui idem conditor rerum omnium esset deus, aequae felix eventus responderet: sperare enim ex hac coniunctione, Iagellonum prolem in Poloniae regno laeta fecunditate in multa saecula propagatum iri. De cedendo cuiquam regno, qua de re se admonitum voluisset, mirari, unde nam haec fama esset orta, minime illa quidem a vero, qua de re tamen unum modo se, quod responderet habere, temere rumoribus non esse fidem habendam, praesertim qui, nullo certo auctore, de rebus maximis ferrentur. Ita iubere illum plane de eo soluto animo ac sine cura esse. Neque sibi unquam venisse in mentem tantum flagitium admittere, et sperare in posterum, fretum pari constantia, non admissurum. Agnoscere se enimvero in tam ieiuna ac levi calumnia, malevolorum animos, qui ea de se curassent dissipanda, quae si iis quantum vellent, liceret; maxime quidem vellent ita evenire ut futura sperarent, nulla ratione fieri posse intelligerent. Quorum odium quo in se esset iniustius, eo detestandum sibi magis, atque execrandum. Sed ea de re, si quando daret deus, ut cum fratre congrederetur, id quod speraret brevi fore, fusius se, atque uberius acturum. Nam iam appetere diem, id quod illi per Procekium significandum curasset, in quem diem indictus conventus Boemorum, et Vngarorum esset, quo quidem ex utroque regno delecti homines essent conventuri, quibus in regis consilio dicendae sententiae de summa reipublicae ius esset; ut de minuendis controversiis agerent, quae inter utramque gentem, et multae intercederent et graves. Eo conventu peracto, in quo haud esset dubitandum, quin is rerum

eventus sequeretur, quem maxime, et Vngari, et Poloni vellent qui duorum fratrum imperio continerentur; operam daturum se ut cum fratre colloqueretur, minime dubius, quin, propter gravissimas caussas, quae hoc maxime postularent, eorum congressus, et privatim sibi, et reipublicae universae, esset magno usui, et compendio futurus. Omnia vero, dei beneficio in Vngaria esse, ut vellet. Nam et cum Scepusio sibi optime convenire, et in dies magis curae fore, ut multis officiis sibi eum devinciendo, perquam honorificam illi coniunctionem cum Iagellonum domo, et posteris adeo futuram demonstraret. Ac magnopere se dolere, Georgio Ioannis fratri, id quod illi sciret maxime esse in optatis, de Croatiae praefectura non licuisse gratificari: qua de re tamen eo minus se laborare, quo is ipse Georgii frater Ioannes, qui, cum de ea ipsa praefectura ageretur, in consilio interfuisset, suae voluntatis, et studii esse posset certior, ac locupletior testis. Haec regem fratrem noluisse praeterire; ut si qua illi suspicio in animo altius insedisset, minus sibi probari, quod esset actum, hac suae facilitatis lenitatisque significatione in Scepusios fratres perspecta, tolleretur. Haec fere Ladislaus ad ea quae Tomicius privatim egisset: quibus illud adiecit, quod uni regi arcano significari vellet: Rei iam pridem agi coeptae de Elisabetha sorore Maximiliano collocanda, qui futurus exitus esset, se adhuc ignorare; cum quidem cunctatorem illum semper suo ingenio, et tum multo magis, cum illius tempora id minus requirere viderentur, responsum procrastinaret, et diutius rem traheret, quam fratrum regum dignitati conveniret. Quae quamquam ita se haberent; non dubitare tamen, quin res ut coepta iam er(at), recte administrata, esset ex sententia

successura: quod ut accideret, esset omni ratione agendum, multis de caussis, quae fratri essent minime obscurae. Missurum se quidem quam primum ad illum legatos, qui simul de reconcilianda gratia cum pontifice agerent, simul, exploratis illius consiliis, quae illius esset de ea re sententia, ad se deferrent. Sperabat vero Ladislaus, ubi de pace Maximiliano cum Pontifice, et cum Venetis conveniret, per eius auctoritatem, Venetos de iis urbibus decessuros, quae maiorum memoria Vngarici iuris ditionisque ab iis possiderentur: sua sponte enim ill(ε), se hoc daturum veteri amicitiae pollicitus erat, ut non prius de pace transigi pateretur, quam Vngaris Veneti quae per iniuriam intercepta, ut videri volebant, in Dalmatiae ora obtinerent, restituerent: cuius rei caussa etiam mitius agendum cum Maximiliano, in controversia de concilio censebat; ne si propensiore voluntate et studio viderentur inclinare in pontificis caussam; illius iam per se saucium animum pontificis iniuriis, a se alienarent. Itaque cum proxime per oratorem suum de Lateranensi concilio egisset, ita suae sententiae moderatum esse, ut prolixo responso, atque in omnem partem tuto, id quod tanti momenti actio postularet, diceret, sumpto ad deliberandum spatio, in magis idoneum tempus rem videri differendam; quam in sententiam sciret a fratre rege etiam pontifici perscriptum. Multa vero interea posse accidere, quare, integra utriusque amicitia, et nulla cum offensione, illata mentio de concilio parum opportuno tempore, tolleretur; atque hoc quidem, tametsi pontifex nulla re deterritus a suscepto consilio, rescripsisset, misso a se ad ceteros reges litterarum suarum, et fratris exemplo, uno consensu omnes sibi respondisse, neque ulterius videri



concilii diem proferendum, et aliquando serio rem agendam, in qua una facile appareret, gentium, et populorum omnium quicumque Christi nomen colerent salutem verti; quorum afflictæ fortunæ per tot continentia bella, nisi Deus immortalis rempublicam labantem sustineret, haud procul a ruina, atque exitio abesset. Cuius pontificis studio, ut non esset magnopere obsistendum, si (c) in mittendis ad Maximilianum legatis a pontifice dissentientem, caveri oportere, ne monendi illius potius, quod indignum eius nominis maiestate (es)set, iniquo animo laturus, quam rogandi causa missa legatio videretur. Non enim dubitandum videri, quin nonnihil illius animus esset offensus, quod ad primam mentionem ab eo indicti Pisani concilii, amici reges legatos continuo, qui id sua auctoritate comprobarent, non misissent; cum eam potestatem a Constantini usque temporibus, qui principum primus initiatus Christianis sacris, Nicenum concilium indixisset, caesarum semper fuisse contenderet. Atque hæc quidem de Maximiliano: cui locum relinqui ad iustam expostulationem non placebat, amico principi, et cuius ingentes opes, quid ab eo amico sperandum; quid timendum ab illius offenso, atque alienato animo, docerent. De Moldavo, e (t) Tauroscythis, quos foedere iunctos, se inconsulto, significaret; pro sua fide et constanti in fratrem voluntate, atque amore non neglecturum respondit. Nam sua sponte iam paratos suos (ess)e in armis, atque ubi occasio postularet, ad signa conventuros. Ad hæc edicto principes ad se evocasse, quorum maxime consilio in arduis reipublicæ rebus uti consuevisset, ut de eorum sententia, quæ ratio ineunda adversus impendentia mala videretur, constitueret. Nam et ad Moldavum pariter, et ad Transilvanos legatos misisse, quibus negotium dedisset, ut de tol-

lendis controversiis agerent, et simul eorum consilia explorarent, ut si quando eorum auxiliis adversus communes hostes indigeret, quid de eorum in se studiis sibi esset sperandum non ignoraret. Neque tamen sibi obscurum esse quo barbarorum consilia spectarent; quorum fidem spes modo et metus, officii uterque fallax custos moderaretur: nihil enim sibi exploratius esse, quam ex aliorum eventu, positos ipsos procul a belli atque armorum discrimine, consuevisse aut spes suas fovere, aut quae metuerent propulsare; ab hoste socium, atque amicum, non officii ratione, quam nullam nossent, sed spe quaestus, et commodi discriminantes, quem unum finem gerendis administrandisque rebus propositum haberent. Scripturum se tamen ad Moldavum, quantumvis illum male animatum, et quae deficienti a melioribus consiliis imminerent, pericula denunciando, et quae speranda praemia, manenti in fide, daturum operam, ut eum in officio contineret; deterreret in primis a foedere cum Selimo et Tartaro iungendo; quibus, potitis iis quae per illius scelus, et perfidiam se adepturos sperarent, certa ipse praeda in medio positus relinqueretur. Rogare fratrem, ut interea accuratius cum suis ageret de belli apparatu, ut liceret constituere, qua commodius hostem aggredierentur, irrumpere tentantem in regni fines, neu fidem iis haberet, qui foederum religione, et gentium iure ad evertendos eos, quibus sancta essent foederum iura, abuterentur. In dubia amicorum fide, ne quando ea, aut plus quam aequum esset, aut minus credentibus fraudi esset, dandam esse operam, ut volentibus discedere ab officio, materia perfidiae subtraheretur; verendum enim proprium scelus, cum aliorum pernicie coniungerent; id quod accidere necesse esset, ubi temere iis

haberetur fides: religioni suae consulentibus, ne, quorum per se voluntas egregia esset, ea nimium diffidentium culpa, in animi alienationem, et iustum odium verteret: nullam enim haberi offensionem maiorem, in magnis animis, quam malam hominum de eorum fide existimationem: aliarum rerum iacturam ferri posse, quibus amissis, non ob id tamen sit ab hominum coetu exsulandum; non posse quemquam agere in hominum societate libero et soluto animo fide amissa, quae vitae agendae ex hominis dignitate, sit tamquam basis, et firmamentum. Vtrumque vero facile posse vitari, ubi inter beneficium, et iniuriam, inter superbum amicorum fastidium, et nimiam indulgentiam, aut prorsus nimium morigerando, aut adversando nimium contumacibus modus aliquis constitueretur. De controversiis provincialium finiendis paucis respondit: Iam superiore anno se ad regni fines oratores misisse, cum summa potestate, qui de his cognoscerent, ac pro sua prudentia atque aequitate, ut visum esset, constituerent: quod quidem ab his praetermissum se magnopere mirari: sed rem ulterius non dilaturum; neque hoc Polonorum caussa solum, sed suorum etiam, quibus implorantibus suam fidem, salva regii imperii maiestate, deesse haud posset: missurum enim primo quoque tempore legatos, quorum probitatem, et prudentiam cognitam haberet, qui expostulantibus, atque a se opem implorantibus, sua auctoritate, et consilio adessent, gravi, ac severa animadversione in pacis, atque otii perturbatores vindicaturi. Qua de re ob eam causam se fratrem certiore facere voluisse, ne illius legatis, si forte praeverterent, maturius advenientibus sui essent in mora. De aperienda nova ad commercium via, non eadem Vngaros, et Polonos sentire: queri enim

et superioris, et inferioris Vngariae civitates, hanc unam rationem esse excogitatam a Polonis, ad antiqua emporia tollenda, quae magno privatorum, et regii aerarii emolumento instituta, ubi alia negotiatoribus patefieret ad commercium via, pari reipublicae et populo-  
rum incommodo, propter exterorum, et indigenarum infrequentiam, brevi esset futurum, ut tollerentur. Vberes enim percipi fructus e portoriis quae tum ex peregrinis, et adventitiis mercibus omnis generis, tum ex iis, quas ex Vngaria exteri homines ad finitimas gentes importarent, exigentur. Quae quamquam ita essent; non defuturum se tamen fratris postulatis; de quibus sponderet se quam primum in senatu relaturum, minime dubius, quin, cognita eorum aequitate, non secus, atque ipse speraret, cuperet certe, sui essent pronuntiaturi. Inde exploratis suorum sententiis, enixurum se, ut nullo cum reipublicae detrimento, fratri gratificaretur, cui in omnibus rebus, quae suae potestatis essent, et a iure gentis non abhorrent, maxime indultum vellet. Cum hoc responso Ladislaus Tomicium ad Sigismundum remisit; quem sollicitum de fratris, et liberorum salute una cura torquebat, ne deditus nimium suis, aliquid de se, et de liberis statueret, quod indignum maiorum gloria revocari sine magno dedecore, et ingenti rerum motu haud posset. Nam et si Ladislaus negabat, (id quod erat ei agendum, quem inter(dum) tanti flagitii suppuderet) res ipsa evicit, haud supervacaneam Sigismundi sollicitudinem de tam foedo fratris consilio fuisse: coniiicitur enim ex his, quae Germani Scriptores tradunt, in his Cuspinianus, actionem de iungenda, inter Maximilianum et Ladislaum affinitate, de qua anno XV. est postea transactum, aliquot antea annis esse institutam,

atque hoc quidem clam, credo ob similtates, quae minime obscurae inter fratrem et Maximilianum intercedebant: satis enim sciebat, propter eas causas, quas Tomicius exposuisset, Sigismundum minime eam affinitatis coniunctionem probaturum: sic enim rex prudentissimus iudicabat, Maximiliano Ladislaum, arctiore coniunctione devinctum, non recusaturum, quin de illius sententia, duo regna, quae in sua ditione essent, administrarentur: quod ubi accideret, haud magni faciendum putabat, Maximilianum cum re vere rex esset, nomine regem non haberi, quo quidem tam splendido titulo Ladislao cederet non invitus, ita quidem insignibus titulis, et multis honestatus, ut unus esset, a quo, propter imperii ius, et maiestatem, tituli ab aliis atque illustria ad posteritatem nomina peterentur, Enimvero non nomina rerum sapientibus, sed res spectari, quibus nomina imponerentur. Neque probabile videbatur, Sigismundum tam acriter in auctores eius consilii invehi, nisi certa res illum moveret, atque adeo, unde crederet, certum exitium regno Vngariae imminere. Raro enim, quantumvis obscura, et recondita, quae agantur, non ad regum aures manant, quibus aliud etiam agentibus, exploratorum ingens manus, quos in regia ingentium praemiorum spes alit, omnium quorum habent suspectam fidem, pectora recludit; quae causa est, qua re admodum raro ex sententia succedant adversus magnos reges inita consilia, nisi eorum intolerabile regnum, morum immanitas, et multa documenta saevitiae consilia ineuntibus facilia reddant. Nam ne laetum eventum sortiantur, ut cetera absint, et eorum domestica potentia, quibus insidiae intenduntur, et lubrica hominum fides facit, ubi spe quaestus, et compendii sollicitatur. Et si vero magna

praemia proponantur commissa tegentibus, tamen qui tam levi ingenio sunt; auctionantium in morem, unde maiora sperant, fidem venalem addicunt. Interea Scopusius, ad ceteram potentiam, in qua erat satis nervorum, et roboris, ad maiora praesentibus audenda, ut dictum est, Sigismundi affinitate tumens, cum fortunam suam agnosceret, facto semel in regiam gradu, Ladislai animum neque sua spe, neque opinione multorum rem maiorem, per interiores amicos, de Annae filiae nuptiis tentavit, nondum decimum annum agentis, adiuvandam fortunam ultro faventem consilio, et magnitudine animi arbitratus. Omnia vero in uno erant, cumulate quae adspiranti ad regnum opportuna haberentur; nihil quod a spe consequendi quae concupisset, ut supra aliorum etiam spem essent, animum deterreret. Quod in viro principe maximum est, idem difficillimum, cum divitiis, copiis, clientelis, ditionis magnitudine, nobilissimae provinciae procuratione, in omnium oculos incurreret; perfecerat cum sermonis affabilitate, tum vitae elegantia, comitate, ac facilitate morum, ut invidia non obsesset, quam domesticis virtutibus superaverat, et omnium iudicio dignus haberetur, cuius, deficiente Ladislai prole, in regis comitiis ratio haberetur. Nam si Vngari moverentur, exemplo, erat recens Matthiae regis memoria, in quo quidem nihil fuit magna laude dignum, sive ab ingenio manaret, sive a parentis disciplinâ summi viri, quod quis in Ioanne desideraret; cum haud dubie Matthiam, maiorum nobilitate, et familiae splendore superaret; qui a patre Ioanne Hunyade modo Matthiae illuxit, tanto quidem maiore cum illius laude, quanto sibi ipse fuit clarior, atque illustrior suae fortunae auctor, sed obscurae originis tamen, unde virtute innixus ad summos

honores pervenit. Qua in re non erat Ioannes Matthia inferior: nam ea fuerant Stephani patris merita in republica. ut satis suffragationis in his filio regnum petenti, qui multis praesertim niteretur suis, relinqueretur, quae illum merito gratiosum apud omnes ordines redderent. Nam, ut rex maxime esset a suis rationibus aversus; non diffidebat Sigismundi auctoritate, penes quem unum summa consiliorum erat, fratrem regem, iam animo deleta offensionum memoria, posse in sententiam traduci: id quidem quo honestius, petita nuptiae ab ea domo viderentur, quam frater rex vinculo affinitatis sibi iunxisset. Ad reliquam spem propensa quaedam Sigismundi in Vngaros voluntas accedebat, iam ab eo tempore perspecta, quo Ladislaus frater cum Silesiae, atque Austriae praefecerat: qua in provincia administranda ita se gessit, ut et ipse Vngaris ingens desiderium sui reliquerit discedens, et Vngari ab eo tempore pari cum benevolentia sint domi forisque persecuti. Sed quidquid ipse suae spei faveret, ea modo animo voluendo, quae adiuverent altius sese efferentem ad regiae fastigium; quo minus tamen id Ladislaus sibi persuaderi pateretur, suspecta iam pridem nonnullis eius potentia faciebat, qui non magis regis studio, quam Ioannis odio (non enim deerant in magno numero, qui illi parum aequi domesticam gloriam inviderent) dandam operam censerent, ne quando (plus) aequo gravis reipublicae officeret, Ludovico in primis regni haeredi, quem aetas magis, ubi maturius opinione hominum, per regis patris mortem, aditus patefieret ad regnum, reddebat iniuriae opportunum. Nam et rex sua sponte hoc sibi persuaserat, auctum Sigismundi affinitate, ut minus illi etiam tanta accessio quaereretur, vix se ferre posse in se regem suos-

que incumbentem: ut si ad domesticas opes, accederet, per filiae nuptias, aucta potentia, plane desperaret, quamvis alioqui moderatum hominem, et fortunae suae potentem, posse in officio contineri. Quis vero crederet, avidum imperii, si modo eo morbo laborabat, ullo propinquitatis iure posse flecti ad pudoris, et officii respectum, cuius laude frui quam regno mallet! Neque interea deerant illi ipsi parum Scepusio aequi, qui crebro illa Ladislai auribus insusurrarent: Videret quo progredere, nimium eo fovendo, atque ornando, cuius quantae essent opes, non ignoraret; quo spectarent consilia, si quantum vellet liceret; e minime dubiis argumentis dubitare minime posset. Cognationum atque affinitatum iura facile a privatis coli, et quorum sint pertenuis opes, quibus ubi ea sibi statuunt violanda, raro ullum par sceleri praemium sperandum sit: aliam rationem esse eorum, qui aut male parta regna, malis artibus tueantur, quos ne liberorum quidem caritas, arctissimum naturae vinculum, securos a vi aperta, atque insidiis reddat; aut alienis immineant cupiditate regnandi. Inter eos, qui de regno contendunt, posse affinitatem contrahi (nihil enim facilius) non aequae facile contrahi amicitiam posse, quae tam sancto sit digna nomine; quam quidem non honesti finibus, sed suae cupiditatis definitam habeant, quae nullis certis circumscribi finibus queat. Omnia vero ad utilitatis rationem metientes, quae fallax norma, raro officii rectas regiones teneat, in foeda flagitia, saepe immania facinora transversos agi. Nam si quando accidat, ut, parvo filio relicto, pater rex, ut sunt res humanae, impleat vitae fatum: quanto laxiorem campum Scepusio genero, quam privato ad res novandas, qui tantum domestica potentia ceteris ante-



cedat, esse patefacturum? Magno totius orbis discrimine, visas olim concurrere armatas Romanorum acies inter socerum, et generum de imperio terrarum dimicantes: inter hos vero modo? Saepe inter parentes, et liberos de summa rerum armis decertatum; quo nihil arctius, in his quae a natura existant, possit excogitari: ut iam minus prodigiosum debeat videri, saepe fratres adversus fratres gravissima gessisse ad interuicem bella: a quibus, pertinaci fati vi invitum trahente, ne Ladislao quidem tuto licuerit esse, qui per omnia exempla moderati animi, pietatis iura in suos semper, sanctissime coluerit. Atque horum omnium exemplum peti e Turcarum regia licere: in qua fere per eadem tempora Selimus filius a patre magno proelio victus imperio patrem victorem primo, mox proventus sceleris successu, vita deturbarit. Neque in eo Turca mitiores Christianos reges tamen unquam fuisse, quorum scelere, saepius quam rebus hominum expediat, violatum naturae ius, monumenta illustria scriptorum litteris consignata testentur. In Gallorum fastis adversus Ludovicum Pium a Lothario, Pipino, et Ludovico liberis sumpta arma, captum patrem, atque in custodia habitum, et mox abdicare se imperio coactum: cum impiis fratribus Carolum Calvum natu minimum congressum, ultorem admissi in parentem sceleris, a fratribus expetiisse poenas, Antisiodorensi proelio, post hominum memoriam maxime memorabili, amplius centum hominum millibus interfectis. His addendam Bernardi conspiracy in avum Ludovicum et mox convicti, et damnati caedem, ut Pius rex quem probitas, et sanctitas morum (ia)m nobili auxerit ad gloriam cognomento, sui immemor in effundendo suorum sanguine sit visus. Iam illa recentioris memoriae,

et quorum Ladislaus possit meminisse: Carolum Septimum, Ludovico filio capitali odio a se dissidenti, adversus regni iura, et maiorum instituta, Pio Secundo Pontifice eum legibus solvente, adimere successionis ius haereditarium conatum: Ludovicum a Carolo fratre bello petitem, cum sociatis armis cum Carolo Burgundo, et Francisco Britanno, ad eas conditiones victum descendere coegissent, quae victo durissimae et plane indignae regio nomine impositae essent, qui eundem victorem, mox fallaci foedere deceptum, veneno de medio, ut tum creditum est, (su)stulisset. In Henricum olim Caesarem filium eodem nomine armatum; proelio victum a filio patrem; redactum in potestatem; situ, et squalore carceris finire vitam coactum. Non minus clara scelerum documenta, ex annalibus Anglorum: Isabellae reginae discidium a viro Eduardo; fugam in Galliam, arma ab uxore viro illata; regno eiectum a filio patrem, captum, coniectum in carcerem, positus regiis insignibus regno se abdicare coactum. Quid illa? Ricardi in fratris liberos scelus, oppressos a tutore pupillos, a patruo fratris filios; tot bella, tot caedes, tot clades, neque exterorum, quam suorum magis, quae legentes, propter scelerum magnitudinem, horrore perfundant. Neque tamen magnopere mirandum, ita in suos efferari hominum ingenia: ubi enim sint speranda, et maxima, et multa; cupiditatem, quam spes foveat, excitari; qua elatos ita ad ea quae expetant praecipites ferri, ut nulla satis valida ratio futura sit, quae ab exitio sustineat, suo scelere, et flagitio ruentes: quam quidem rationem obtinere suas vires, ubi vigeat cupiditas, et animi intemperantia haud saepe consuevisse. Raro vero pietatem, et fidem non requiri, ubi felix, et fortunata perfidia sit: ut enim arcem, deie-

cto praesidio, hostibus patere: sic fraudibus, dolis, insidiis, malis artibus patere animum, quem non fides, iustitiae, atque innocentiae custos, tueatur. Citius converso naturae ordine, annem rapidissimum recurrere ad fontes, quam praecipitem cupiditate animum ad officii religionem, ubi semel a recta via deflexerit, posse revocari. Nihil enim verius, quam quod sapientes ferant, NVLLAM fidam regni societatem; et qui regno potiatur, consortem non pati. Quae cum ita se habeant, haud videri eos falli, qui statuunt, maximos saepe reges in terris, nisi illos hinc summa virtus, hinc benevolentia populorum tutos reddat, qui esse credantur omnium mortalium beatissimi, mortalium infelicissimos habendos: quantam enim illam calamitatem, hinc amicorum catervas, hinc armatorum agmina post se trahentes, vix unum aut alterum, in magna hominum multitudine agnoscere, cui tuto vitam credant? vitae alimenta, aliena fide, suo periculo sumere assuetos! Haec crebro callidi homines inculcando, quae speciem officii prae se ferrent, imbecillum regis animum alienare a Scepusio conabantur, per unius invidiam crescere sperantes, cuius magnitudinem suae tenuitati officientem non ferrent. Neque haec Scepusius ignorabat, ita contumeliae insolens, ut multa sibi danda tempori, dissimulanda nulla, devorandaque adeo statueret, non ignarus quamquam spe etiam regiarum nuptiarum deiectum, iis omnium consensu se dignum haberi, quos iniustum odium a suis rationibus non alienaret. Et tulit tamen iniquo animo repulsam, et inde conceptum dolorem, imo pectore condidit; si qua se occasio daret, non dissimulaturus. Nam etiam si nullam iustam querendi quantum salva fide posset, habebat, quod filiam rex, cui visum esset negaret; quem vellet sibi

ascisceret generum, non pater solum, sed rex, qui multa sibi statuit cavenda, quae tuto negligat privatus; negatam tamen ab illo affinitatem, quam Sigismundus rex frater, eo ipso auctore, suis nuptiis honestasset; ut solent fere semper homines, iudicandis suis rebus, sibi plus aequo blandiri, in deteriorem partem accipit. Ita quidquid Ladisláus in Scepusiam familiam studii per fratris regis nuptias contulit, totum filiae negandis corrumpit, in omnium animis, nisi iis moderetur excellens virtus, tenacius iniuriae, quam beneficiis memoria haerente; quae cum tristem habeat recordationem ei obnoxii animi, a quo est beneficium acceptum facile gravis, et molesta effluit, nisi continuo, per gratiae relationem, tamquam alienum aes, quidquid eo nomine debetur, dissoluatur: cuius rei non semper voluntas; raro cum voluntate facultas adest. Cum hic rerum status in Vngaria esset; dubia primum fama, inde certi nuncii ad Ladislaum Byzantio afferuntur, Selimum imperio potitum, patre medici opera quem promissis ingentibus onerasset, veneno sublato. Nam fratrem Achomatem Baiasetis liberorum natu maximum, quem pater imperii heredem designaverat, praeteritum Ianizerorum suffragiis, penes quos, vetere instituto, deligendi regem summum ius potestasque est, facile petitione deiecerat, sibi debitum patris iudicio principatum haud dubie, ut credebatur, repetiturum armis, quem frater per summum scelus, atque iniuriam invasisset. Quae causa Selimo fuit omitendi in praesentia consilia de Vngarico bello; quod agitare animo, Sigismundus fratri regi, Baiasete adhuc vivente, significaverat, benigno nostris fato eum rapiente in Asiam, ne convulsum, eodem tempore, nobilissimum regnum domesticis discordiis, sub rege im-

perii impare; Selimo praeferoci homine ingenio apud Turcas hostes, rerum potiente externis armis, collaberetur: satis enim constat, nondum adeptum imperium, ad conciliandos sibi militum animos, male in patrem affectos, iis de inferendo bello Ladislao spem fecisse: invitos enim, et imperium detrectantes Baiasetes edixerat, se in Asiam adversus Persas educturum, avidus delendae ignominiae, quae superioribus annis, male gesta re, Turcarum nomini inusta haesisset. Qui habitus animorum cum minime Selimum fugeret, inde nactus occasionem criminandi patrem, et militarem sibi praerogativam ad capessendum imperium conciliandi, et alia multa, et magna haec cum illius invidia commemorasse ferebatur. Instauratum a patre bellum susceptum semper adversis suorum votis, populorum infaustis ominibus; numquam non infeliciter gestum, utinam non aequae semper patriae funestum futurum; scilicet ad nobilitandos Asiae campos suorum sanguine; augendos Persas perpetuos hostes gloria, optima praeda, regiis spoliis, Turcarum victores; quibus maiorum virtus totius orbis terrarum imperium destinasset. Hoc enim egisse Baiasetem, imperatorem tantum, ut partam gloriam apud nationes exteras, maximis olim rebus terra marique gestis, aeterna nota infamiae afficeret. Neque tamen Turcam hostium virtute vinci: itineris longinquitate, fame, siti, iniquitate locorum sua invictum virtute vinci; quibus quidem malis ferendis posse militem referre fortitudinis laudem, quamdiu vires adsint, quibus illa ferantur: ubi deficient vires, virtutem in recto animi studio laudandam, qui ea audeant; quae sint adversus vim, atque industriam hominum sua natura invicta; apud prudentes homines tristis maneat nota temeritatis, (ma)iora hominum viri-

bus ausos certe non sine nominis, et gloriae iactura, quam sive virtutis et fortitudinis praemium, sive fortunae, et felicitatis, sibi praeripiant victores. Locorum imperitos, fessos longinquitate, atque asperitate itinerum, squalore, illuvie, frigore, fame enectos, pugnatos adversus hostes vigentes animis, recentibus viribus, a milite, tormentis, a comœatu paratos, iuxta in campis, atque in montibus, alio armorum usu, aliis bellandi artibus pugnare assuetos, quibus impune Turcam hostem (f)rustra superbum, virium fiducia ludificantur. Periculum virium faciendum, ubi essent, quae vinci possent: adversus vim tempestatum, asperitatem locorum, inopiam rerum, quae non consilio, non ratione moderari homines possent, si quis sibi statueret pugnandum; cum non secus videri facturum, ac si quis classe in summis Alpium iugis, in mediis Aegaei fluctibus, equitatu pugnare se cum spe victoriae speraret. Non quaeri laudem viris fortibus, sed corrumpi partam; amitti, non quaeri decus; ubi sibi agenda susciperent, quae essent viribus hominum maiora. Non adducturum patrem suos fuisse ad delendam suorum ignominiam, sed ad hostium gloriam augendam, foediorum alia, atque insigniore accepta clade; quod adeo triste omen a Turcarum regia Deus propitius averteret. Adducturum se militem multo patris meliore consilio, si dignum modo se censerent, quem imperatorem, belli ducem sequerentur, ad certam victoriam, adversus Vngaros, ac finitimos Illyrios, ubi opulenta praeda, laetissimi campi, ferax regio rerum omnium copia, atque ubertate, nihil esset, quod non facilem explicatamque victoriam sponderet, inertis obtinente regnum, non equitatu, non peditum robore, non tormentis, non belli ullo apparatu, et praesidio munitum; quae etiam

cum adsint, ubi prudentia, et vis consilii desideretur id quod tum accidat, nulla habeantur. Imperatorum militi fortissimo, se ducem iam cognitae virtutis, abesset verbo arrogancia, et quidem adversus eos, quibus nullus esset rei militaris gloria clarus dux, usu, consilio, belli artibus, nullus qui maiorem virtutem, aut insigni de hostibus parta victoria, aut alio militiae decore tueretur. Nam in rege nihil esse paesidii, qui ne regio muneri succumberet, rectore ipse, et duce indigeret, iis artibus destitutus, quibus recte magna regna, atque imperia administrarentur; ut omnia exposita victoris virtuti, et felicitati benigno adspirante fortunae numine, propitia fata portenderent, cui invicta virtus, et magnitudo animi summum in terris imperium pollicitaretur. Patrem gravem annorum mole, cum corporis viribus, vigore animi senescente, impari rebus gerendis, veluti in tranquillam stationem, ad privatae vitae otium ablegandum; ubi senem satius esset supremo vitae munere defungi, rebus coelestibus intentum, quam per fortissimorum militum caedem, quorum invicta virtute staret Turcarum imperium, florentissimas copias, reipublicae nervos, et robur, una cum gentis gloria interire. Atque haec Seli-mus ad suos, ingenti quidem cum nonnullorum offensione, veteranorum praesertim, apud quos nondum Baiasetis maiestas obsoleverat; sed magno idem tamen cum multorum plausu, quos aversos ab Asiatico bello, spes uberioris militiae, novo duci conciliaverat, cuius ferociam bene sibi de illo ominantes, in magnitudinem animi, et sui fiduciam vertebant. Quarum rerum fama latius indies percrebrescens, percussos Vngarorum animos in primis terrore implebat, immanis hostis . . . . . impotenti animo formidolosae

vires perhorrescentium; quae ne obstarent, male adversus vim imminuentem, atque impetum munitis, positum in eius ipsius voluntate sciebant, quo infestissimo utebantur. Sed eam famam, ut diximus, disiecit Baiasetis subito audita mors; nutantem sedem imperii, non prius se fulcire posse Selimo existimante, quam ut patrem veneno, sic fratres, in his, Achomatem, qui inceptis unus maxime obstaret, tolleret armis. Neque in Vngaria modo constitit fama, sed egressa Germaniae finibus, quacumque pervaderet, vulgo hominibus ad ea, quae audirent, multa affingentibus, ubique ingentem ciens motum, pervenerat Romam, multo initiis progrediendo maior: nihil quidem certius credebatur, quam potitum Selimum Vngariae regno, id quod erat verendum, rationem eorum temporum aestimantibus; armis subactis, quae interiecta victoriam morarentur, infesta signa Romam illaturum. Tum primum coeptum solito aliquanto acrius, diligentiusque de indicendo Sacro bello agitari, ac de Vngaris vere auxilio iuvandis; quibus ita pontifex prospectum volebat, ut facile appareret, eius unam esse curam a tam immani hoste belli procellam erumpentem, ab Italia, atque ab urbe avertendi, quo nemo, ut diximus, dubitabat, quin barbarus, everso Vngariae regno, ut numquam antea memoria maiorum, et externis, et domesticis malis labefactato, immineret animo: una enim erat reliqua Vngaria Turcae obiecta arx, cuius neglectum praesidium, aditum superbo victori ad Italiae, et finitimarum gentium excidium aperiret. Auxerunt Romae terrorem missae a Ladislao ad pontificem litterae, per Martinum Colocensem internuncium, hominem navum, et industrium, quibus ad copias contrahendas, et conducendum externum militem, tamquam imminenti certo a Turca



bello, atque ad cetera comparanda, quae requireret belli usus, postulabat, ut potestas fieret, per tributi collationem, sacram pecuniam cogendi, quae ingens e sacerdotiorum decumis in Vngaria percipiebatur, religioso rege, quamquam suae potestatis esset, tributum sacerdotibus, sacrosanctis hominibus, nisi per pontificem liceret, minime imperare audente. Sed quo minus de regis postulatis transigeretur, Iulii pontificis mors interpellavit, Christianae reipublicae peropportuna, ubi in successore deligendo, magnam ostentatam occasionem eius liberandae a praesentibus malis, cardinales animo complexi non praeteriissent. Fessi populi per tot annos longa bellorum serie, quae diu Christianum orbem universum exagitaverant, non iam occultis votis, sed apertis studiis, dignum excelso in republ. loco pontificem poscebant, qui clarus sapientia, et sanctitate vitae sacrum imperium administraret, in primis, qui non sibi, et suis, sed Christianis populis suscipere pontificatum gerendum. Iam pridem tenuerat hic mos, magna cum Christianae reipublicae pernicie, per pontificatus honorem, obscuros saepe homines, facinorosos nonnumquam, et flagitiorum, ac scelerum magnitudine infames, ad summos honores ac maximarum civitatum imperia evehendi, cuius modi, patrum memoria, per Alexandri pontificatum, Caesarem filium est Italia experta; qui incensus immani dominandi cupiditate, per fratris mortem, cuius ambiebat locum, principum caedes, urbium incendia, populorum excidium, ad Italiae imperium adspiravit, omnium qui unquam fuerunt latronum, paricidarum, proditorum homo sceleratissimus. Hinc parti privatis nobilissimi principatus; maximorum regum quaesitae affinitates; bella gesta; insigni cum Italiae clade; neglecta Vngaria.

deserta, ac praedae relicta immani hosti; hinc Turcae imperium, vires, potentia aucta, et per nostrorum perpetuas aerumnas constabilita, liberae civitates in servitutum redactae; innumerabilia mala in Christianam republ. importata; quorum adhuc finem videmus nullum, deteriora semper praesentibus visuri, nisi illa communem temporum conditionem miseratus a suis deus propitius avertat. Iulio mortuo, cardinales de more, comitiis habitis, Leonem decimum pontificem ex Medicum familia suffecerunt; raro exemplo vicissitudinis humanarum rerum, eodem die, quo superiore anno captus in potestatem hostium venerat. Et varia quidem, ut solet, de eo hominum iudicia ferebantur, neque in Italia solum, sed apud exterarum nationes etiam, apud Ladislaum maxime, cuius permagni intererat, propter impendentem a Turca belli tempestatem, quam maxime idoneum moderandae reipublicae pontificem creari, per tot annos, quibus pontificatum Iulius administravit, perpetuis belli fluctibus iactatae. Ac nonnulli quidem capti admiratione maximarum virtutum, quae novo pontifici vulgo tribuebantur continentiae, pudoris, sanctitatis non desperabant illius pontificatum, maxime ex usu reipublicae fore. Ita quidem prudentes homines de eo praeclare sentiebant, ut mandatam olim sacrosanctam potestatem feroci ingenio homini, sperarent aliquando successoris moderatione, et sapientia, cuius fidei credita esset, futuram populis salutarem, a quibus virtutibus longe Iulius abfuisset, cuius totus pontificatus, per strepitum armorum, et continentia bella, atque ea mala, quae bella sequerentur, suis pariter, atque exteris formidolosus esset traductus. Ingentis spiritus vir, et qui eam potestatem, quam gerebat, etiamsi infinita esset, cupiditate, et elatione

animi aequaret, Italiae imperio inhians, cuius se vindicem ferebat, de medio sublatis, quae spei tantae obstarent, belli incendium excitaverat, quo, si vita productior contigisset, esset Christiana respublica conflagratura. Quae hominis immanis cupiditas, ut insignior ad infamiam esset, Veneti, praeter ceteros efficiebant, quibus semper sanctissima pontificis auctoritas fuisset; ut si esset de iis rebus disceptandum, quae in controversiam verterent, religiosa civitas non recusaret, quominus de his, omissis ferocioribus consiliis, aequo iure disceptaretur, in eius potestate, cuius res esset, quo nihil aequius excogitari poterat, futura. Neque vero ut reciperet a Venetis interversas urbes, id quod tamen ipsi negabant, satis subesse caussae credebatur, per funesta arma evertendi eius civitatis imperium, in qua una esset positum summum Italiae decus; quae a supero mari, perpetuis classibus, aditum communi hosti obstrueret, Christiano nomini infestissimo; ad quem ex Europa pellendum, si verae gloriae aestu pectus flagraret, decebat Christianum pontificem regum vires concitare; neque tanta cum hominum invidia, sacro bello tantopere a gentibus populisque omnibus expetito, praevertere iniusta arma: in eo enim uno bello, non Vngariae solum regnum, sed communis omnium etiam salus vertebat, qui eandem cum Vngaris caussam, eadem sacra religionis colebant, quorum illum unum principem, et Christiani populi moderatorem, nominis magis, quam muneris maiestate, a quo longe aberat, tot malorum auctor, agnosebant. Nam si antiquissimum quodque ius spectari oporteret, Ladislaus, ut nemo alius iustius, adversus Venetum Senatum, ius maiorum in Dalmatiae urbes armis erat repetiturus. A quo tamen tantum abfuit; ut cum iis ipsis Venetis a Baiasete vexatis

maritimo bello, superioribus annis passus esset sibi persuaderi aequis conditionibus foedus ferire, pacemque firmare, Thoma cardinali Strigoniensi eius sententiae auctore. Exstant vero apud eius temporis scriptores, quo haec gerebantur, populorum eadem de Iulio pontifice querelae, omnium illum malorum auctorem agnoscentium, quibus per omne eius pontificatus tempus erat Italia vexata. Hominem exsecrabantur impotenti ingenio, ferocem, iracundum, in primis dominandi cupiditate elatum, ut non pateretur quemquam eo progredi augendo imperio, quo avidum animum dominandi intendisset, eius personae, quam gereret oblitus; qui suis non regna, non potestates, non imperia, sed pacem, qua nihil vellet haberi in terris maius aut melius haereditate adeundam reliquisset. Hinc illa iusto dolore expressa commemorabantur: bellum perniciosissimum in Gallos comparatum, lacesciti armis nobilissimi Italiae reguli, Bononia obsessa, aliarum urbium excidium, caesi exercitus, belli duces viri fortissimi, calamitates cladesque innumerabiles populis invectae, quae superbo titulo vindicandae in libertatem Italiae a pontifice maximo obtenderentur, quem non Itali modo, quasi iis tantum creatus pontifex esset, sed Galli, Germani, Hispani, Vngari, universus Christianus orbis adeo certum custodem pacis, religionis, et sacrorum praesidem agnoscerent. Neque eum malorum finem. Nam Gallis ex Italia pulsus, novos alios quaesitos hostes, alia icta foedera, novas coitiones, perniciose alia inita consilia, et quidem adversus eos, quorum armis sua recuperasset: ut nisi deteriora animo molientem, per opportunam mortem tolleret deus, misertus tot malorum, quibus vexata respublica, iactataque esset, nullus esset eorum in Europa futurus finis. Quae om-

nia quovis tempore deploranda ut acerbiora foedioraque viderentur, faciebat praesens Vngariae status, quo quidem erecti animi in expectationem Sacri belli, inter spem, et metum, quasi ea mala praesagientes, quae inde postea essent eventura, anxii torquebantur: Adesse vicinum hostem, in quo quidem ita potentia voluntatem, voluntas potentiam aequaret, ut vix coeuntibus omnium regum viribus, et paribus animorum studiis in unius excidium gerentium arma, sperari posset debellatum iri. Odio quidem inexpiabili in nostros elatum, quod in immensum adversa religio, et barbara superstitio augeret, ita flagrare cupiditate proferendi imperii, ut per Christianorum regum ruinam crescere, quam per eorum mallet, in quos illum aliae belli caussae, eandem colentes religionem armarent. Hunc tantum hostem, quod portenti simile esset, a Christianis regibus contra pacis studium obfirmatis animis maxime formidolosum Vngaris, et vicinis, Germanis imminere, eos Iulio pontifice excitante; qui animo infestiore in Ludovicum Gallorum regem, quam in communem hostem ferretur, praepostera ambitione, per regum et civitatum discordias viribus afflictis, quibus Christianam rempublicam stari aequum esset; nam Ludovico regi maxime infestum, qui metu indicti in Etruria concilii sperasset, tamquam freno iniecto, cogere exultantem ferocia ad officium redire, a Pyrenaeis Hispanos, Anglos a Britannico Oceano, diversos Belgas, Germanos, Helvetios ad vastandam populandamque Galliam evocasse, nequicquam rege, nullo suo merito, se desereri atque oppugnari adeo per summam iniuriam querente; qui fatale Christiani orbis incendium, ubi diutius vixisset, terra marique pontificia auctoritate superbum, atque indomitum gerentem

animum, esset perpetuus hostis bello persecuturus. Atque haec quidem de Iulio, non vere minus, quam libere, metu homines per illius mortem defuncti, querebantur: neque iidem tamen, quamquam de illo secus fama ferretur, sibi multo meliora de novo pontifice spondebant. Commemorabantur, quae iam inde a Cosmo proavo, maiores in patriam admisissent: in suos cives malis artibus quaesitus principatus; maiore invidia gestus; Petri fratris superba dominatio, aequae patriae, atque familiae infelix. Tum illa invidiosa magis, quo recentiora et quae propterea maiore cum offensione, in hominum oculos incurrebant: comparatus multorum caedibus in patriam reditus; Pratensis urbis in Etruria excidium; direpta, atque incensa templa, atque adeo, inspectante pontificis legato, sacrosanctae homine potestatis, in cuius unius pietate, ac religione positum victis perfugium oporteret. Quid vero Vngaros de eo posse sibi polliceri, qui, quod regnum in libera civitate quaesisset, suorum oppressa libertate; amisisset avare, et crudeliter imperando; armis patriae illatis repetiisset; per suorum ruinam, atque exitium recuperasset? Neque verum esse, qui ita foede in suos pietatis iura violasset, infestis armis patriam invasisset, victam parere suorum imperio coegisset, eum de Vngarorum salute, exterorum hominum, de Turca hoste pellendo, de sacro indicendo bello, quod magna cum gloria olim maiores gessissent; pietatis, ac verae, et solidae gloriae studio incenso animo cogitaturum. Iam et illa ante oculos obversabantur, extorris triste exsiliium, proscriptio, belli incommoda, fuga, captivitas, multorum annorum res adversae, vita acta in castris, inter vulnera, et caedes; quae fidem facerent, ab omnibus aliis curis alienato animo, auctas

vires potestate infiniti imperii, ad bellum, atque ad arma conversurum, quibus suis crudelem atque iniustam in patriam dominationem constabiliret, non suis ipsum, quam Iulium exteris (ut in mali aemulatione homines deteriores fierent) aequiorem. Atque haec quidem quisque pro suo ingenio, atque animi studio. Interea Ladislaus initio Leonis pontificatus, cum XIV. Kal. april. honorem iniisset; honorificentissimam legationem Romam misit, qua pontificem de more veneratus, id quod iam coeptum erat agi Iulii pontificatu, tum de cogenda sacra pecunia, tum de foedere ineundo moneret, haud dubia spe, quin ubi Selimus audisset, reges, quod tot iam annos verbo magis, quam re agitatum esset, pace sancita in sacri belli expeditionem consensuros, esset a belli consiliis discessurus. Summa vero haec legationis, cuius adhuc exemplum exstat, quam quidem ob eam causam placuit litteris prodi, ut posteri intelligant, huiusmodi per ea tempora pontifices Christianae reipublicae praefuisse, ut viderentur cum Turca hoste, dum Vngaros prolixis pollicitationibus, et magnificis verbis ludificarentur, colluisse. Ladislaum enixe pontificem orare pro Christi religione sanctissima, cui moderandae pontifex praeesset, proque ea virtutis, et sapientiae opinione, quam iam inde a prima sua adolescentia, apud gentes, nationesque omnes de se concitasset, aliquando, quod superiores pontifices neglexissent, serio suscipere Vngarorum causam induceret animum, cum qua esset coniuncta communis multarum gentium, et populorum salus, atque adeo, si eorum praeclara merita, atque illustria in Christianam rempublicam multa exstarent, quorum Romanos pontifices oblivisci minime aequum esset, qui Vngaros Christianae reipublicae propugna-

tores fortissimos, praeclare de Christianae reipublicae salute meritos; quorum monumenta gloriae illustria in omnium gentium annalibus, de Turca hoste insignibus partis victoriis, consignata exstarent; saepe verbis amplissimis, ac decretis honorificentissimis appellassent. Tanto vero illum maiore cum gloria, iis affuturum, quanto maiore cum dedecore Christiani nominis, essent a nonnullis proditi, illusi, derelicti, qui cupiditatibus suis magis inservire, quam sacrosancti muneris, quo fungerentur, habere rationem maluissent. Bellum sua sponte honestissimum, et gloriosissimum, meliore reipublicae statu, et ab omni belli clade integris viribus, adversus immanem hostem susceptum, efficere rationem communium temporum necessarium; non suscipiendum illud quidem, pro Christianis imperii finibus propagandis, sed, quod ultimi discriminis esset, pro tuendis aris, et focus, dei immortalis sanctissimis delubris, coniugum, et liberorum salute, quibus servitutem indignissimam, certam pestem, atque exitium, immanis barbarus, nondum expleta dominandi cupiditate, per tot caedibus haustum suorum sanguinem, minaretur. Vnam hanc Vngaros expeditionem reliquam manere in qua aut una cum libertate victi in acie caderent, aut eam ipsam a servitutis iugo durissimo (id libere suis ominari) Leone pontifice sacram potestatem gerente, vindicarent. In eo uno consilio verti communem omnium salutem, Christiani imperii decus, populorum omnium et gentium securitatem, quibus per Vngarorum excidium, Turcarum arma imminerent, ut per contemptum mortis, servitutis metu superato, quae non ferenda liberis hominibus, minime omnium ferenda Vngaris esset, infestissimis barbarorum hostibus, statuerent sibi . . . suorum capitibus arcenda





pro patria pugnandum, pro Christi religione, quam caste colerent, cuius templis augustissimis taeterrimus hostis, quacumque longe lateque protulisset imperii fines, ad ultimas usque gentes esset funestas faces subiecturus. Longe eos falli, qui in eo crederent Vngarorum modo salutem verti, quod periculo propiores, exorienti incendio principes obiicerentur. Hoc enim esse regibus exteris statuendum, in neglecta Vngarorum salute, Christianae reipublicae universae salutem prodi, quod qui non videret, plane esse expers omnis sensus videretur. Esse enim Vngariam quasi Christiani imperii terminum finemque circumscriptum, quem si per regum discordias hosti praepotenti liceat transcendere, quin, ubi visum sit, finitimas provincias, Turcarum arma populentur, nemo sit prohibiturus. Quemadmodum vero in eadem navi, cum naufragium impenderet, non prora, non latera, non puppis, non alia ulla eius pars ita expers periculi esset, ut navi, aut fluctibus obruta, aut scopulis illisa, sperandum esset, eius unius iactura, partem ullam incolumem fore, ita in eadem Christi navi, ad cuius gubernacula Leo pontifex maximus gubernator accessisset, sive illa rectum in portum cursum teneret, sive fluctibus iactata obrueretur, quod deus omen averteret, unam omnium salutem, unum omnium discrimen agi. Peti quidem primos a Turca Vngaros, quibus non vicinitas modo obesset, unde hosti oriretur odii occasio maior, sed gloriae etiam aemulatio, atque imperii. Primos Vngaros futuros, quorum urantur agri, excindantur urbes, templa incendantur, coniuges, virgines filiae, liberi in servitutem rapiantur; primos, quorum fortunam homines deplorent, lugeant fatum, pestis, atque exitii eadem sibi ominantes mala, misereantur; quae mala necesse

esset illis eo graviora accidere, quo inexpectata magis ac minus provisa, imprudentes imparatosque opprimerent, facta illis a Christianis regibus spe auxiliorum ingentium. Nihil hoc verius: sed ita esse tamen Vngaros primos, ut continentem belli flammam, ubi prima conflagrarint, nisi proxima corripienti, summa ope occurratur, intelligant, magna cum populorum ruina, et strage, longe lateque Europam omnem depopulaturam. Per Vngarorum ruinam, si hoc modo sinerent nomini Christiano iniqua fata, petitum iri Germanum, Italum, Gallum, Hispanum, et haud meliore fato futurum Britannum; quamquam illum a ceteris alio orbe divisum; qui omnes non pro sua victoria inter se concurrerent armati, sed, quod vix verisimile esset eos non videre, pro victoria communis hostis, in omnium perniciem incumbentis; quam quidem illi victoriam, per mutuas caedes viribus fractis, multo sua spe efficerent faciliorem. Vnum postulare Ladislaum, postulareque adeo Sigismundum regem fratrem, cuius pietas, et religio par, caussa eadem esset; flagitare eodem consensu populos, gentesque omnes, quae in Christiano orbe continerentur (quo enim non pervenisse longe lateque iactati, numquam suscepti belli famam) ut, quae potestas uni mandata esset, Christi rempubl. moderandi, tuendi pacem, otium, ea ut multis populis, gentibus, nationibus salutaris esset. Id futurum, ubi Christi pontifex operam daret, finiendo bella, pacem firmando, foedera inter reges sanciendo, ut ad suscipiendum tam necessarium bellum, id quod dignum summi pontificis pietate, et sapientia esset, converterent animos. Neque vero Leoni pontifici tam honestum ad posteritatem futurum, capessere rempub. per Alexandri et Iulii pontificatum

tumultu bellorum quassatam; quam turpe, pati a Christiani imperii moderatore, fovendis tuendisque suis, in rerum omnium ultimo discrimine agentibus, pietatis officium requiri. Potuisse Iulium, depravato animo falsae gloriae titulo, reges exteros concitare ad arma, atque adeo non ad pellendos Turcas hostes, non ad tuendos reipub. fines, sed ad opprimendos Christianos populos, ad gerenda immania bella, effundendum innocentium sanguinem, Europam universam ferro ignique vastandam: desperaturum Leonem, omnium mortalium summo consensu divinam inter homines potestatem adeptum, in eum hostem convertere regum arma, qui, unus bello victus, propter immensas opes, multos simul reges maximos, ac potentissimos vera, ac solida gloria, fama, nomine, magnitudine imperii esset expleturus? Neque honeste, neque tuto inter eos bella geri, quibus unus communis hostis, aequae potens, atque infestus cavendus pariter omnibus metuendusque esset: utervis enim eorum caderet, quo in discrimine necesse esset eos versari, qui infestis signis armati concurrerent, eum suo exitio efficere communem hostem ad victorem opprimendum validiorem. Non a Iulio Venetos fractos armis Gallorum; non armis Helvetiorum, Gallos; sed auctas Turcae vires, hostis potentissimi corroboratam spem delendi Christiani imperii, cui uni agenda rei iamdiu immani cupiditate inhiaret. Si verae gloriae aemulatio incitaret Leonis animum, si cuius virtutis decus voluerit in tam specioso nomine apparere, cam sibi amplectendam animo putaret; quanto maiore cum gloria Vrbanum illum Secundum, cuius illustre nomen, per tot saecula vigeret, pontificem eundem vere maximum, optimum, sanctissimum, quam Iulium Secundum pontificem, Chris-

tianae reipub. eversorem verius (ignoscendum libera oratione de eo pontifice agentibus, qui secus de se noluerit agi) aemulaturum? Hunc simul cum pontificatu vita functum, tristem sui memoriam posteris reliquisse: illum a cuius pontificatu quingentesimus iam annus, et septuagesimus numeraretur, in omnium ore esse, praedicari, efferri laudibus, vocibus, scriptis doctorum hominum celebrari. Per hunc vere Christi pontificem, auctorem tantum, excitatos universos Europae principes, ad liberandum terarum orbem a barbarorum servitute, atque ad propagandam Christianam rempublicam coisse, cuius in praepotenti urbe sedem, et domicilium barbara gens, atque immanis armis invasisset: uno animo, eodem consensu belli duces clarissimos, fortissimum militem ex Italia, Germania, Gallia, ultima Britannia, relictis patriis sedibus, cum una esset omnibus patria, ubicumque coleretur Christi nomen, in tam longinquam expeditionem profectos. Eodem animorum ardore suscepisse grave, difficile, arduum bellum; gessisse pari cum pietatis, et fortitudinis laude; potitos clarissima victoria; in sacrosanctae urbis moenibus, atque augustissimi templi penetralibus victricia signa fixisse. Inde perfecisse arma circumferendo, ut, cuius essent sedes coelestes orbis, summo, ac celsissimo mundi vertice, is in terris ubique gentium victor Christus regnaret. Eandem esse belli causam pontifici Leoni, quae Urbano fuisset; vires quae illam tuerentur maiores: ut minime dubitari oporteret, quin esset penes eos victoria futura, in quibus pro optima causa gerentibus bellum, cum viribus, quae essent praevallidae, ubi eas in aciem eductas non attererent alter in alterius perniciem armati, esset iunctum pietatis studium par. Sive mari res esset gerenda, paratam a

Venetis instructissimam classem; qui non essent a maiorum perenni gloria discessuri, quorum semper eximium studium tuenda maiestate Christiani nominis fuisset: paratam a Ligure, Hispano, Gallo, atque eo quidem vincere magna cum gloria Christi hostes asueto, sive terra esset concurrentum, affuturum militem veteranum, multis clarum victoriis, multis duratum, et corroboratum malis; belli duces, qui rei militaris scientia, maximorum bellorum usu, clarissima virtutis insignia adepti, digni essent; qui cum veterum laude coniungerentur. Accingeret se tanto moliendo operi, cui perficiendo, unum illum vere pontificem maximum, aetate, opibus florentem, fungentem augustissimo, atque amplissimo in terris munere, dei immortalis, atque hominum consensus destinasset, pontificatus praemium nullum aut maius, aut uberius, quam inde partam gloriam apud gentes omnes, quae Christi religionem sanctissimam venerarentur, percepturum, atque adeo etiam si suis magna regna, atque imperia conciliaret, quibus potiti in altissimum dignitatis locum eveherentur. Alterum esse Ladislai postulatum, in quo uno ne longiore oratione opus esset, et qui concederet pontifex, et qui impetraret rex pietatis laude esset certaturus: ut per pontificem liceret, ex sacerdotum, et pontificum censu, lustrato regno, sacram pecuniam cogere, qua uteretur ad bellum; cum in magnis aeriarii augustiis, quae ex regiis vectigalibus perciperetur, aut nulla aut perexigua haberetur: laborari aere alieno, ubique angusta fide, et, propter impendentis belli metum, minus ab exteris Vngariae emporia frequentari; ex qua una re, aut uberius proventus, aut augustior, qui totus e mercium portoriis, et scriptura constaret, esse consuevisset. Nam, propter feracitatem soli, non solum

abunde suppeditare Vngaris necessaria vitae alimenta, sed etiam frugum magnam vim, et vini copiam ingentem, tum ad vicinos Germanos, tum ad Polonos, et septemtrionalem usque Oceanum incolentes populos asportari. Hanc summam regis postulatum esse; quae minime dubitarent, quin aequissima pontifici sapientissimo viderentur. Itaque volentes, et prudentes se illam orationis partem, missam facere, quae tota precibus atque adhortationibus constaret, quam quidem tanti pontificis tum pietas, tum sapientia minime necessariam redderet. Iam antea Leo sua sponte, inito pontificatu, ad pietatis, et religionis opinionem sibi conciliandam, Thomam Strigoniensem cardinalem legatum, cum summa potestate, Pannoniae praefecerat: ut nondum literis regiis acceptis, ultro oblatis muneris laudem promeritus multo maiorem videretur. Hinc pontifex, tamquam plane explorata regi sua voluntate, cuius illi adeo insigne documentum dedisset, ad hunc maxime modum respondisse fertur: Quam prolixo animo, et quam propenso in regem esset, quando iam satis re ostendisset, declarare longiore oratione supervacaneum duxisse. Quae rex quereretur de conditione praesentium temporum, eo sibi graviora accidere, quo magis intelligeret, ea ab illis ipsis manare, a quibus, maiore cum pietatis laude arcenda viderentur. Optime se intelligere, et quidem non minore moerore animi, quam sollicitudine, et cura, verissimum esse, quod rex commemorasset; non Vngariam solum, et finitimas Vngariae provincias, quae et multae, et maximae essent; sed Europam universam in magno rerum discrimine versari: Scire quorum culpa esset factum, ut Christiani reges, quorum, ut idem periculum, ita idem animorum consensus tuenda communi salute esse debuisset, minus laboranti rei-

publicae subsidio fuissent; minus in praesentia essent: sed illud etiam non ignorare, deum immortalem, cuius sanctissimam religionem barbari hostes impiis armis oppugnarent, pro suorum caussa vigilare, supplicibus precibus ab eo opem implorantium; neque passurum diu ab illis impune in suorum capita insultari. Daturum se quidem operam, ut quas partes sibi impositas esse, aeterno consilio intelligeret, cuius personam in terris repraesentaret, eas Christiani populi a se ne desiderarent. Acturum quidem per suos legatos cum Christianis regibus, quorum nemo sibi eximius futurus esset, quem non pietatis, et religionis fama commendaret, ut aliquando letali somno experrecti, in Turcam communia arma converterent, quae in sua viscera elati immortalibus odiis, ad eum diem intorsissent. Vt numquam alias maiorum memoria, peropportunam occasionem ostentari, pellendibarbarum ex Europae finibus. Quod quidem quin brevi esset futurum, minime esset dubitandum, ubi aeterno pacis foedere coniunctis animis, unum iustum hostem agnoscerent, quem sibi armis petendum, nihil de contento studio remittentes, debellandum communibus viribus statuerent; quibus in mutuam perniciem distractis, pertinaci studio rempublicam perderent: tamquam enim hosti barbaro stipendia facientes, non inter se gerentes bella, eas vires conficere, quae, pro Christi caussa, in communes hostes explicatae, salutem populis, regibus immortalis gloriae monumenta, atque ex victi hostis exuviis aeterna ad posteritatem erigenda trophaea po(llicerentur). Vt, magno excitato incendio, quam primum flamma adhaesisset, ii accurrerent, quorum domos ulterius serpens flamma esset continuo correptura; ita eos Vngaris ire subsidio aequum esse, atque adeo non sua minus quam eorum caussa, quos

sua ope sibi iuandos statuerent, qui ardentibus belli flammis, incendio proximi, brevi post intelligerent, nisi mature iis opem ferrent, se una cum a se desertis perituros. Quae cum se minime fugerent: nihil sibi prius fuisse in Iulii demortui locum surrogato, quam, ut ex pontificum collegio delectos viros, et spectatae prudentiae, ad reges mitteret, per quos, discordiis, et controversiis sublatis, id quod omnino brevi fore speraret, tum spe divini auxilii, tum regum virtute confisus; ad conficiendam tam taetram, atque immanem belluam, concordibus animis, adhortaretur. Id si minus ex sententia succederet (maioris enim molis rem, quam ut spes esset facile transigi posse), tum vero se per amplissimi ordinis homines, quo legationi auctoritas maior accederet, pro sua pietate in Christianam rempub. et muneris maiestate, ut inceptam rem perageret, et ad tam salutaria arma Christianos reges impelleret, omnibus viribus adnixurum. Nam de summittendis auxiliis, quibus implicati reges propriis bellis adhuc ipsi indigerent, ut maxime esset praeclara voluntas, nihil habere se, quod in praesentia responderet, cuius rei deum immortalem haberet testem: neque desperare tamen, brevi spe maiora Vngaris, atque firmiora auxilia suppeditatum iri. Ne nimium demitteret animum, neu plus aequo viribus suis diffideret, quas deus immortalis, pro cuius caussa staret, quemadmodum perenni benignitatis suae aura provexisset, fovissetque semper, ita praesens, et propitius suis, esset corroboraturus. Meminisse debere, eosdem esse Vngaros, quorum maiores vir(i) fortissim(i), insignes saepe de eodem hoste victorias, quamvis multo numero inferiores, freti constantia, et animi magnitudine retulissent. Eosdem ipsos triumphos, monumenta eadem



gloriae, statuas, imagines, honoris titulos posteris accumulandos, profligata e terris tam taetra, atque importuna barbarie, manere. Neque vero tum fuisse Vngaros alios, alios nunc esse: vigere in his eandem animi virtutem, pietatis eundem sensum, eadem pectora incensa verae gloriae studio; ut nihil causae esset, quare maioribus partam militiae gloriam inviderent: neque fuisse tum alium deum; nunc esse alium, pro cuius gloria, et suorum salute pugnarent. Vt semper fuisset, fore eundem semper aeternum, immortalem, praepotentem, vindicem suorum hostium acerrimum; cuius forti dextra fidentes Vngari, contra hostem superbum hinc maximarum virium fiducia, hinc Christiani orbis discidio, saepe steterint invicti. Cur vero dubitaret Ladislaus rex conferre cum eo hoste signa, quem cum alii saepe, tum Ioannes Huniades, patrum memoria, militem hinc Capistrano in acie adhortante, hinc Ioanne Carvaiali pontificis legato, vicerint, fuderint, castris exuerint? Et quidem Mahemetem hostem tum in acie stetisse, cum multis aliis victoriis clarum ducem, tum superbo titulo tumentem maximae captae urbis, in qua sedes imperii, et domicilium per tot saecula fuisset. Nihil autem verius, quam uno eo proelio, una cum domesticis viribus, quas imminens in Europae excidium ostentaret, eius animum fractum, quo esset universum terrarum orbem complexus. Idem coelum, eadem esse hominum ingenia, vitae eundem cultum, instituta, leges: ut nisi eadem virtus atque ardor animorum in iis spectaretur, quorum maiores tanti fuissent, haud prodigiosius monstrum videretur, quam ex aquila, avis imbellis, aut ex leone cervus, hinulusve natus. Iam pridem Vngarorum annales, quae monumenta rerum in omni posterorum memoria essent du-

ratura maiorum virtutem testari. Namque et apud omnes alias gentes, et Romae maxime, evolui doctorum hominum commentarios, Vngarorum victoriis, et triumphis refertos: plures certe iam festos dies in pontificum fastis eorum memoriae consecratos haberi, quam toto anno profestos numerari. Nam de pecunia transmittenda, nihil se habere aequè in optatis: sed multo infra optata positam agendi spem, volentis quidem praeclara molientisque adeo, sed ita, ut volentem vires deficerent: sui enim muneris esse, hoc est Christi pontificis, et vero sui etiam ingenii, omnibus quicumque in Christiana repub. censerentur, ut voluntate, et studio, sic beneficio, atque subsidio adesse, eos in primis, quorum perpetuis custodiis, et vigiliis Christiana respub. adversus hostem potentissimum inniteretur; sed quominus efficeret, quod vellet, rationem paesentium temporum obstare: quem enim sperare a Christianis regibus aut auxiliis exteros, aut pecunia in belli sumpsum posse iuvari, qui quererentur, ea ipsa sibi ad belli usum deesse, quae a se poscerentur? Ali ab his iam tot annos numerosos exercitus, tum quibus sua tuerentur, tum quibus ultro hostem lacerarent quiescentem, corruptis animis, falsis gloriae titulis; quasi dedecus esset, cum Christiani reges funestum inter se gererent bellum, ex his priorem ponere arma, et non instar insignis victoriae esset, pro Christi causa integrum ab omni belli clade, superbo, et contumaci hosti arma inferre. Inde factum esse, ut neque quibus rationibus sumpsum tolerarent, neque quibus exercitus hostium intra fines vagantes alerentur, illis amplius superesset. Exhaustos populos tributis conferendis: non percipere ex agris fructus, privatos, deustis, et vastatis per tot annos perpetuis hostium incendiis, ac

populationibus. Iam, ne qua pars reipub. vacua esset praesentibus malis, magnam opificum manum, qui armorum licentiam praeferrent diurno labori; tabernis oclclis, atque opificiis relictis, castra, et bellum sequi: quo quidem perfuncti, iam liberioris vitae dulcedine imbutis animis, se ad latrocinia conferrent; ut quorum industria esse usui patriae consuevisset; scelus et audacia, pesti, atque exitio esset. Nam, quo uno populi maxime ditari, et liberae civitates consuevisent, sublaturum exterorum commercium: ut omnia armis obtinentibus, neque privatim, neque publice hominum industria, ut maxime se ad pristina vitae instituta converterent, suis quaestiosa haberetur. Itaque neque qui conducerent publica vectigalia, neque redemptores publicorum munerum, in civitatibus inveniri (si qui essent modo, qui accedere ad hastam auderent) ut quam minimo etiam licitantibus addicerentur, cum tot fracti malis, imprimis crebris tributis pendendis non essent soluendo. Iam, sua sponte ad primos belli motus, Thomam Cardinalem Strigoniensem designasse in Vngariam legatum, qui apud regem, cui maxime esset hominis fides, et prudentia probata, suo nomine ageret; ut quibuscumque in rebus, suo consilio auctoritateque indigeret, de iis aut ipse statueret, quid magis ex usu reipub. esse existimaret, aut, si mallet, se de iis faceret certiore: ex eo quam egregia voluntate, et flagranti esset in Vngarorum gentem, facile intellecturum. Amplissimum sibi munus in terris, dei immortalis consilio, et providentia delatum, id quod se credere iuaret, daturum operam, ut aequi, atque iniqui intelligerent vere divino consilio, et providentia administrari. Id sperare se effecturum, ubi in tam saeva, ac turbulenta tempestate iactatam tot malis

rempub. iis artibus, quae dignae Christi pontifice essent, pro sua pietate, et religione sibi temperandam, moderandamque statueret. Ita quidem se constitutum cum animo habere, pro Christi caussa vita defungenti, nullam maioris honoris accessionem, si ulla modo maior esset speranda, summum pontificatum gerenti, nullam apud posteros potioem laudem, gloriae titulum nullum clariorem additum iri. In hanc sententiam scriptae litterae, quae adhuc in Leonis monumentis leguntur, neque regi gratae acciderunt, et querelas Vngarorum auxerunt, quorum afflictas res per tot annos, quot regnabat Ladislaus, ut praesentem exposebant opem, sic prolixis pollicitationibus ostentatam, quam desponsam verius, quo praeter spem elusis acerbior frustratio esset, reiciebant, multa addentes, quae iustus animi dolor, et longa patientia malorum suggerebat, quibus sanandis, praeter magnificam verborum pompam, nihil sibi subsidii positum in Romanorum pontificum auctoritate querebantur. Non grandibus, et phaleratis verbis duci viros fortes, quibus inter urbanas delicias diffloerent Romani sacerdotes, sed quae gerendo bello, et hosti potentissimo propulsando essent, armis, telis, tormentis, exercitibus, classibus, in primis quibus sumptum tolerarent, pro communi salute Christianae reipublicae Vngari arma gerentes. Et erat quidem Leo pontifex, ut tegendorum consiliorum, quae alte condidisset animo egregius artifex, ita eorum a quibus abesset, ostentator idem, et simulator acerrimus. Cuius rei, quamdiu vixit, et alia dedit documenta, et illud unum maximum, quod quidem illius litterae, et diplomata ad reges multa, eo vita functo edita in lucem declararunt. Ita enim se gessit per omne pontificatus sui tempus inter Carolum His

nae, Franciscum Galliae Regem, duos acerrimos Romani imperii aemulos, ut variis artibus se utrique venditando, a Gallo per affinitatem regii sanguinis luculenta munera, peramplas ditiones, atque opima sacerdotia referret, quibus suos augetet, spe iniecta (quod regiae munificentiae praemium esset) sua suffragatione se petenti imperium affuturum; ita pacisceretur cum altero, ut si opulentum principatum fratris filio armis conciliaret, eum legibus solueret; cum veterum pontificum sanctionibus Neapolitani reges ab imperii petitione excluderentur, quibus Carolus tenebatur, non multo ante Neapolitano regno potitus per Ferdinandi avi materni mortem, a quo illi nullis virilis sexus liberis superstitionibus relictis, hereditate obveniebat. Accessit vero ad pontificis augendam invidiam fama eorum, quae Romae acta per idem tempus ferebantur, quae neque alios, et minime omnium Vngaros fallebant, quorum maxime intererat non falli: quo enim die, de more, ad Laterani, pontificatus insignia accepit, tantum dicebatur pecuniae profudisse, ut sive liberalitatis, et magnificentiae famam captaret, ea urbis annonam per annum tueri; sive sacrum bellum vere spectaret, quod unum omnium maxime credi volebat animo agitare; alere commode per annum ingentem manum militum posset. Nam si quis apparatus magnificentiam intueretur, ludos, pompam sacrorum, facta signa ex aere, et marmore antiquo opere, quibus ornatum forum Romanum, sacrae aedes, et viae publicae visebantur, nullum unquam diem laetiores Romae illuxisse existimaret, et quidem cum vere Roma, imperium in populos, et gentes omnes obtineret: idem si haberet rationem eorum temporum, quibus ea agerentur, fateri id, quod res erat cogere, neque foedius, neque

maiore cum invidia distrahi pecuniam publicam a novo pontifice potuisse: ita enim erat magna cum invidia a Iulio coacervata, ut tamen et belli, et pacis tempore ad necessarios usus aequae esse compendio reipub. posset: certe, ut quis mitius de eo statueret, minime dignam rem pontifice maximo censeret, Italiae afflictis rebus exhaustis populis per bellorum perpetuas clades, privatis, et publicis fortunis, Romae in totius quasi terrarum orbis teatro, uno die tantum, in ostentationem inanis potentiae effundi, quantum unius infinita cupiditas, per multos annos, universum Christianum orbem bellorum incendiis miscendo conflasset, quasi esset hoc unum benignitatis, et munificentiae munus, quoquo modo exhaurire refertum sacrum reipub. aera-rium, quod quidem ad tristia tempora et graviores reipub. casus aequum esset reserari. Haec omnia Vngari non vehementer magis, quam vere, inde futura mala horrentes animis palam ferebant. Neque vero poterant sperare, se diu tutos fore a Turcarum armis, manente foedere superioribus annis cum Baiasete icto; cuius subita, ac violenta mors, et Selimi barbara perfidia, icta foedera, quaecumque de causa, aut cum Vngaris, aut cum Polonis rescidisset. Namque uni omnia inhiant, nihil praeter vim, atque arma, non religio, non fides erant futura impedimento, quo minus, occasione oblata perveniendi quo intenderet animum, ab iniuria, et maleficio in quenquam temperaret. Vna quidem erat illi religio, eodem loco tum exterorum, tum suorum sacra habenti, ut ex ratione suorum temporum, rerum gerendarum momenta captaret, sive quid fraude, fallaciis, dolis, sive quid aperta vi moliretur, quae cupidius averet, foederis, iurisiurandi, fidei, omnium quaecumque sceleratis inceptis obsistere(n)t, superbus

centemptor. Ergo cum solliciti Vngari de patriae salute vehementius angerentur; aequiora illis fata omnium spe, atque exspectatione, Selimum ab Vngarici belli consiliis, cuius gerendi suis spem fecerat, restitantes, et tergiversantes, nunciis acceptis de patris morte, averterunt. Ad longinquum bellum profecturus, quo gerendo maturato opus erat, ne frater nactus tempus ad contrahendas copias, regni successionem dubiam faceret moram trahenti; nihil a tergo relinquere volebat, quod intentum gerendis rebus in Europam avocaret; quae gravior cura, quam ut dissimulari posset, ne vehementius torqueret animum, et cum Vngaris, et cum Venetis induciarum foedus, ut mox dicemus, percussit. Quod barbari consilium, sive fama in Vngariam perlatum, sive, quod probabilius est, praeceptum coniectura prudentium hominum, qui rationem temporum, et rerum gerendarum secuti, eo illum descensurum credebant, cum aliorum omnium animos in Vngaria, tum Ladislai maxime, cura ingenti levavit, dei immortalis providentiae acceptum referentis, quod nullo hominum consilio explicandum malum, praeter omnium opinionem disiecisset: dilatum magis in praesentia, quam sublatum, ea, quae aliquot postea annis evenerunt, non insigniore Vngarorum clade, quam Christianorum regum, et pontificum infamia docuere. Selimus igitur per Baiasetis patris mortem, et cruentam regiam suorum sanguine Turcarum imperio potitus, Byzantii regni insignia accepit; eius fines per ingentem populorum, et gentium stragem, et maxima excissa, atque eversa imperia, longe lateque propagaturus. Inde, compositis domi rebus, milite donativo, populo congionario delinito, quem, propter admissum in patrem scelus, paricida crudelissimus, plurimum a suis rationi-

bus alienaverat, magnis instructus copiis, expeditionem in Asiam parabat, Achomati fratrum uni maxime infestus, qui gravis imperii aemulus supererat cum liberis de medio tollendus. Et Achomates quidem, cum imparatus á rebus omnibus fratrem irrumpentem in Asiam, sua, et omnium spe celerius, vix se posse sustinere speraret: sese in minorem Armeniam, quam appellant, atque Amasianos montes receperat: quo, propter locorum asperitatem, Selimo minime facilem accessum futurum rebatur. Hinc finitimarum gentium fidem implorando, cum, in magno rerum discrimine, adire quemque supplex, tanto infra maiestatem regii nominis, cogeretur; intentiore cura copias cogere, militem mercede conducere, auxilia accersere, arma, tela, tormenta ceteraque comparare, quae adversus fratris ingentes opes rem gerenti explicatum, et facile efficerent bellum. Quibus cognitis Selimus, cum, anni tempore exclusus a rebus gerendis, desperaret intentum fratrem adornando bello de summa rerum in certamen descensurum; et ipse in magis idoneum tempus expeditione reiecta, retro conversis signis redire, atque hiemare in Bithinia constituit: iam enim, exacta aestate, late campi longe patentes, atque altissima montium iuga nive, geluque obriguerant, magno futurae impedimento ducenti exercitum gravem impedimentis, intra Taurum, et Caucasum montem, praegelidis locis, atque obiectis saevo, atque inclementi coelo; ut haud facilem fore receptum in Europam, ulterius moranti intelligeret. Ac ne districtus cura Asiatici belli, parum tutam a tergo Thraciam, et Moesiam relinqueret, quibus terra infesti Vngari perpetuis excursionibus, mari Veneti classe imminebant, cum Ladislao, et Sigismundo, et mox cum Venetis foedus renovavit, quibus iam pridem pater cum



Baiasetes inducias erat pactus. Qua quidem re administranda, quamquam invitus, et suo maxime necessario tempore eo erat confugere coactus, haud tamen ab insita ingenio superbia, et animi contumacia recessit: ita enim prior legatos misit ad duos fratres reges, ut in edendis postulatis, legati imperantium magis, quam postulata edentium speciem prae se ferrent, certe, ut facile appareret, nihil Selimum de animi ferocia remisisse. Hoc vero argumento erant scriptae litterae, quas legati afferebant: Mittere se ad illos internuncios, fidos sibi homines, per quos iis optionem daret, utrum inire secum pacem, an gerere bellum mallent. Vtrum horum sibi agendum statuerent, et constantem se illis amicum, et hostem acerrimum fore. Inter haec medium nihil esse. Agnoscerent, quamdiu liceret, laetam suis rebus aspirantem fortunam; quae raro diu sereno vultu respiceret hominum res: non eandem illis occasionem, hac neglecta, ultro poscentibus datum iri. Ne attollerent animos, nec nimios sibi spiritus sumerent, quod domestico bello implicatum diu se abfuturum existimarent. Grave quidem sibi bellum gerendum non negare, cuius laetus exitus victori maximum in toto orbe terrarum imperium spondeat; tristis, certam ruinam victo, atque excidium importet; sed affuturas dei immortalis beneficio, et vires, et iis animum, et virtutem adeo bello gerendo parem, quae ardua, et difficilia multis, explicatissima atque factu facillima redderet. His auditis Ladislaus, quo minus de pace transigeretur, haud fuit in mora, iis de caussis, quae iam sunt a nobis commemoratae. Iam ne Veneti quidem abhorrebant a pacis consiliis, cum per tot annos ingentes clades perpassi, quarum iam finem respiciebant, tum pacis magis, quam belli artibus, ubi per finitimos hostes liceret, tueri fines

imperii assueti: neque erat ab eorum sententia, Sigismundus alienus: qui domestico bello propulsando, quod a Moschis imminebat, ita intenderat animum; ut vix credendum esset, bellum suum proprium facturum, quod susceptum communibus regum viribus, vix esset cum spe victoriae gerendum. Stetit enim hoc semper Sigismundo, quod illi postea in magnam sapientiae opinionem vertit, ut tametsi eum Romanus pontifex monendo, hortando, castigando nonnumquam liberius, ad arma (com)pelleret: sponderet Christianorum regum auxilia, voluntarium militem ex Italia, Gallia, Germania; quod foedus, melioribus suis rebus, cum Turca icisset, nostrorum parum laetis, pari gravitate, et constantia tueretur, optimo ille quidem consilio, cum certus hostis tantus Turca urgeret; certa auxilia Christianis regibus ne volentibus quidem subministrare liceret, magna cum invidia, atque insigni totius reipublicae incommodo, aeterna inter se gerentibus bella, cuius hostes impune, quam visum erat, arma circumferendo, a suis proditam impune lacerabant. Nihil quidem verius erat, qua et Polonorum, et Vngarorum gentem vere eadem velle, quae Pontifices Romani velle videri volebant, ut laboranti reipublicae qua maxime quassata, et convulsa erat fulcienda, vera, non simulata ad tempus religione tacti opitularentur. Nam toto fere Leonis pontificatu unum verbo visum est agi, qua ratione, pace inter reges constabilita, hostes barbari ex Europae possessione pellerentur; unum vere est actum, ut pontificiis opibus aucta Medicum familia, domi foris opulenta, regna, principatusque iure, iniuria Iuliano, fratri, Laurentio fratris filio quaererentur; quae praepostera ambitio universo Christiano orbi, sed imprimis Italiae, infinitas aerumnas, cladesque invexit. Quae

res cum minime Sigismundum fugeret, in eo quidem suam religionem constantiam que retinuit, ut idem crebro pontifici urgenti, nunc unam, nunc aliam caussam afferendo, quare diceret sibi minus, quod vellet, licere, haud contumaciter, superbeque repugnaret: certo consilio absisteret ab armis, quae cum necessaria etiam efficeret, ultro bello illato, praepotens hostis; per tolerabiles conditiones, et, cum sui iuris etiam iactura aliqua, essent ponenda. Laccessere enim ultro hostem quiescentem, terra marique succinctum maximis viribus, infestum, acrem, eius est, qui validior bello gerendo, spe certa vincendi nitatur. Nam qui potentio-rem aggredditur, eum certo periculo, dubia spe, belli aleam subire, in qua raro inconsultam temeritatem laetus sequitur eventus. Iam qui spem victoriae faciebant belli capessendi auctores, Rom. pontificem, Gallum, Hispanum, reges alios, quorum nomina, et illustres tituli, quasi hoc permagni fieret, magna bella gerentibus, quae firmas vires, nervosque requirerent, apparebat longe ab eorum malorum metu abfuturos; quae quidem, si quid durius accideret, id quod erat verendum, Turcarum vires, et nostrorum spectanti, victos Vngaros, et Polonos, qui haerent in finibus, manebant. Laccessitum enim armis Turcam verisimile erat primum in eos belli impetum effusurum, non in externos reges, aut in Romanum pontificem, qui ingenti maris, et terrarum tractu ab eius armis tuti agerent. Hae Sigismundum caussae, aliae praeterea Ladislaum movebant, quae maximae et gravissimae haud Selimum fugiebant: meminerat enim barbarus inertem regem, et suo ingenio, pacis, atque otii amantem, meliore suo tempore, cum patre implicato Persico bello, illi tum esset armorum ratio explicatissima, acbietetis ferocioribus consiliis,

pacem fecisse: ut haud quaquam videretur, multo deterioribus suis rebus, petenti ultro pacem, se difficilem praebiturus. Sed, quaecumque barbari sententia fuerit de nostrorum rebus, quae de illius rebus nostrorum; intuitu animo statum eorum temporum, nulla unquam videtur nostris ostentata occasio maior, nulla opportunior, ac certior ratio sacri belli suscipiendi: quae enim hostibus reliqua salutis spes, quantumvis magnas copias viresque Selimus hostis ostentaret, ubi terra marique hinc Ferdinandus Hispanorum, Franciscus Gallorum rex, hinc Venetus Senatus, ceteri Italiae populi, a Sarmatia Sigismundus, Ladislaus ab Vngariae finibus, eodem tempore divisim partibus, longissime ab Europae finibus gravi, ac difficili bello distentum, terra marique essent adorti? Nam Vngari, tametsi corrupta maiorum disciplina, aut regis aut temporum vitio, a patria virtute nonnihil degenerassent, in omnium tamen conspiratione tanta, quo propiores periculo, hostem in finibus haberent, regno excidium, populis servitutem, atque exitium minantem, eo minus videbantur quieturi, nondum plane in ferocibus animis maiorum virtutis memoria exstincta, quae, insigni semper cum gentis gloria subsidio Christianae reipub. terrori hosti barbaro exstitisset.

VNGARORVM MORES. Ac quando ad hunc locum ventum est, non erit alienum a suscepto scribendi munere, pauca de Vngarorum moribus, atque institutis commemorare, quorum res gestas suscepimus litteris consignandas. Namque et narratio erit legentibus iucunda, et plurimum conducet cognoscendis rebus, de quibus deinceps nobis agendum est, quae quidem huiusmodi fuerunt, ut, nisi nos amor fallit, ex earum rerum admiratione, in nobilissimam gentem sus-

ceptus, aequae eius virtutis faciant fidem, unde manarunt, ac virtus fidem facit roboris ac virium, quae in bene excultis ingeniiis virorum fortium animos ad rei militaris laudem, atque ad res tantas gerendas, quarum fama implevit terrarum orbem, excitare consueverunt. Sunt Vngari, ut non ita instituti ad hanc vitae molliam, cui fere populi exteri student, Galli, Itali, Hispani, quos molles nonnumquam, et effeminatos libere et salse dictis salibusque perstringunt, ita eo ingenio, ut et nosse videantur, quae apud alios habeant elegantiae laudem, et, quod summae laudi est dandum, iudicio eadem videantur aspernari: horum enim intentione cura, fluere delinitos animos, atque a rei militaris studiis avocari existimant, cui uni maxime a pueris assuescunt. Ab his enim sibi credunt suppeditari tum corporis vires, tum animorum robor, quo maxime indigent, cogente eos non solum ferocia insita animis, cuius haud facile potentes sunt, sed infesto etiam semper Turca hoste, belli artes praeferre pacis artibus, quas tamen magno in honore habent. Humanitatis, atque hospitalitatis iura, ita sancta habent, ut non patiantur ab exteris ultro citroque commeantibus, ulla apud se officia, quibus constat hominum vita desiderari: quod quidem eo dignum maiore admiratione est, quo magis barbaris undique gentibus circumfusi, in colluvione rerum omnium, quae feros mores, ritusque invehunt, ius, fas, officii religionem, et optime norint, et caste, ac religiose colant. Cetera quae adventitia, atque aliunde importata sibi alii parant ingentibus sumptibus, ita non aspernantur, ut modice utentes, et se posse aequo animo carere ostendant, et contemnant nostros, et merito quidem, qui ea putent vitae usum necessarium habere. His se exercent plurimum, quae

alendis viribus, et augendo robori conducere credantur, venatione, cursu, lucta, equorum agitatione in primis, quos immani sumptu paratos, impenso studio alunt. Non illis temere mollis stratus, non intertexta vestis auro, non picta phrygio opere; vix apud principes Belgica aulaea, Syriaca, et Memphitica tapetia, alia pretiosa supellex, pictae tabulae, signa ex aere, ex marmore: quarum rerum usque eo nostri cupidi sunt, ut vita citius, quam his posse carere credantur. Summa hieme, cum usus requirit, sub dio pernoctare, strato nivibus solo, pluvio aequae, et sereno coelo, ita adversus omnia incommoda obduratis patientia animis, ut etiamsi propinquus sit receptus in tecta, eos qui iis utantur, nisi id adversa valetudo extorqueat, tamquam fractos, mollesque aversentur. Iidem explere sitim aqua, ubi non sit vini facultas, cuius tamen sunt avidissimi, quo maior laus constantiae sit, in expeditione, et bello praesertim, et quidem ita in eo sibi imperantes, ut, quod non semel agere gregarios milites, et ex plebe homines vidimus, e scrobibus in quibus restagnare aquas pluvias videmus, et cum corruptae adeo coeno putrescunt, summa aviditate hauriant. Nam si qui sunt, qui in Germania, Gallia, in primis in Italia versati, peregrinos mores adamare in vitae cultu animadvertantur; cavillis, iocis, acerbe dictis nonnumquam, et contumeliosis verbis tamquam mulieres e virorum caetu abiecti contemptique exploduntur. Itaque ne sint ludibrio suis, nimis exactam victus curam, tamquam minime virilem, et mastula Vngarorum virtute parum dignam, aversantur, atque adeo ut cogantur saepe redimere populi convicia, abiectioe eorum, quae maxime probant, quaeque usu meliora esse noverunt, haud raro insigni valetudinis iactura, cuius ne tum

quidem ullam habent rationem, cum ventum est in vitae discrimen: assuescere enim vitam contemnere, virorum fortium existimant, ut qui militiam colant; quibus sit crebro in castris, et in acie agendum, unde aditus ad decus, atque ad veram gloriam patet, usque eo humana omnia contemnant, ut maiore capitis parte abrasa, etiam cum vehementissima frigora tenent, et quae vix in hypocaustis vitantur, tecti levissimo pileo, nudo saepe capite incedant. Vnum illis praecipuum armorum studium, quae culta, ac perpolita cura acerima, fortitudinis laudem habent; probro, ac dedecori neglecta ducuntur. Nam qui in ceteris delicias contemnant, certe magni haud faciunt, curandis ornandisque equis, numquam sibi faciunt satis; usque eo, ut auro saepe, torquibus, ac gemmis et lapillis tecti conspiciantur, haud mollius, et delicatius, quam quae apud nos magno in honore habentur. Itaque passim multos invenias, quibus pluris stet equus, quam domus, aut fundus: cum sit eorum haud exiguus census: quod quidem eo est admirabilius, quo regio tota, et aliarum rerum omnium, et equorum feracior habetur, quos optimos gignit, et ad bellicos usus, atque itinerum laborem pernicitate, et viribus insignes; quae caussa est, cur ab exteris cupide expetantur. Neque ob id tamen suis contenti, minore studio e peregrino orbe quaerunt: petunt ubicumque fama sit, e generoso pecore, aptiores ad belli usum ali: in his, quorum prima apud illos laus est, e vicinae Thraciae armentis; quos idoneos nacti, quo minus potiantur, numquam magnitudine pretii deterrentur, atque adeo etiamsi vendendus ager, aut fundus sit, unum illud vitae subsidium reliquum habenti: neque hoc illi tamen sine certa caussa, militares homines, crebris excursionibus ita cum hoste

Turca proeliari assueti, ut virtuti semper, ubi bene res gesta sit; saepe minus gesta ex sententia salutem uni equo referant acceptam. Litteris se minus dedunt, sed ut magno eos honore prosequantur, qui sive ex suis, sive ex exteris, atque hoc quidem ne videantur facere contempione, studiis ingenuarum artium excellant: Matthiae regis tempore certe, id quod testantur exterorum hominum monumenta multa, quae illi inscripta leguntur, nulla in toto Christiano orbe regia frequentior doctis hominibus fuit, nullius regis nomen maiore cum gloria, et apud suos, et apud exteros est pervagatum. Incensus quidem huius laudis studio, bibliothecam luculentam in primis construxisse fertur, accitis undique, e Graecia praesertim, qui magnis illecti praemiis veterum scripta ad se afferrent; quae studio acerrimo asservanda in urbe regia curavit. Quod vero Vngari minus cupidi huius laudis, quam ceteri videantur, facit, ut alibi diximus, Turca hostis in vestigiis haerens, qui non patitur, quo animi propendent, in aliarum ingenuarum artium studiis, quae sunt pacis atque otii versari anxios metu mali imminentis, qui ad rei militaris gloriam, et bellicas artes capessendas, aliis neglectis omnibus, volentes nolentesque impellit; posse aequae (vi)ros tum subnixos ingenio, tum studio gloriae incensos pervenire, quo ex aliis nationibus multi, eorum scripta docent, qui, rege potiente rerum perstudioso doctorum hominum, et favente ingeniis, in pacato, et tranquillo regni statu, frui securo otio, et vacuo omni cura animo scribere potuerunt. Languent vero inter arma mitiora studia, et, ubi ab hoste datum pugnae signum auditur, obstrepitur in scholis sapientiam docentibus, quae non campum, solem, aciem, pulverem, sed Lycaeam, Academiam, Porticum requirit,



quae praeclara nomina immani Turcarum barbarie e terris sublata, in scriptorum vix monumentis exstant, quae lues teterrima ne ulterius serpens inficiat universum Christianum orbem, una Vngarorum virtus, et fortitudo efficit, quae tamquam arx munitissima praepotenti hosti obiecta, non multum spatii excolendis ingenuis artibus maxime etiam volentibus relinquit. Atque eadem haec illis caussa, cur minus laute, et luculenter habitent, minusve studeant aedificiorum elegantiae, sacrarum aedium, thermarum, aliarumque substructionum pompae, quae tanto studio hoc tempore ab exteris gentibus expetitur, ut huius aevi homines inter se, ambitiosa aemulatione certantes ingenii, atque industriae laude, veterum gloriam aequare credantur. A qua ne Vngari quidem abhorrerent, et animi magnitudine, et copia atque affluentia rerum omnium exteris pares, ni, praeter bellica munera, quibus administrandis ab omni alia procuratione publicae, et privatae rei animi avocantur, certa ratione, quo minus in eo sibi indulgerent, adducerentur, ita proclives suoapte ingenio, ad magnificentiae laudem, ut in eorum contentione, quae insignem virtutem, atque altitudinem animi requirant, pares non ita multos, ferant superiorem neminem. Male credunt Vngaros ab aedificando sumptus magnitudine deterreri, qui hoc existimant, planeque videntur praesentem rerum Vngaricarum statum ignorare: eo enim in discrimine Vngaria versatur, ut iis, qui aedificent (tam triste omen propitius deus in hostium capita avertat) verendum sit, ne magis in eo hosti barbaro, quo nihil magis in terris invisum habent, quam sibi, et posteris videantur prospexisse, quod ultimum malorum omnium maxime detestantur: abesse a tam foedo animi morbo, docent perpetuis motibus bellorum eorum af-

flictæ, atque eversæ fortunæ: quarum iactura (ut certare in his constantia, et fortitudo cum fortuna videatur) potius illis auxit, quam imminuit animos: donando enim, largiendo, munificentia, et liberalitati studendo, nulla ex parte maiorum gloriæ, laudique concedunt. Plebem habent servorum loco, eos præcipue qui agros colunt, quibus cum ita severe agunt, ut apud eos, quibus minus gentis mores, atque instituta perspecta sint, et multitudinis ingenia non noverunt, raro a crudelitatis invidia absint, præsertim cum insita barbaries multitudini, agrestium animos efferavit. Ita enim a natura vim rationis habet, ut nulla educatione, ac disciplina severiore exulta, neque ad ea quæ sunt digna homine erigat animos, et ad pravum usum detorta, ad feritatem, et vim maiores sumat vires, minus obfutura si rationis usu careret, qua una re a bestiis differt. Inde fit, ut cum habeat neminem, quem in vivendo ducem sequatur, nullosque norit officii fines, quos intra sua commoda habet definitos, aegre, nisi coacta mali metu, quod proprium servorum est, ius fasve agnoscat. Nam si quando videtur fidem colere, et humanitatis iura; id ab invitis extorquet subeunda mox sceleris poena, quæ animo terribilis observatur; quo freno uti nobiles homines consueverunt, non secus, ac si iis sit cum feris bestiis agendum; quorum causam multa sunt, quæ tueantur: si qui enim sunt qui credant plebem, ut officium colat, religione magnopere moveri, longe falluntur, vix rudes homines acri, et severa legum censura in officio continente: non enim deum, quem vere nullum norunt, sed carcerem, et tormentum horrentes animis, ab iis abstinent, quæ avidius expetunt, deterriti, ut dictum est, poenæ metu, quæ intelligunt male admissa expianda. Potest *agere* religio

in mitioribus ingeniis; quibus a primis annis ad pietatem, et vitae elegantiam excultis, neque magnopere magistratu opus est, neque lege, quae iubeat, aut vetet; cuius metu improbi inviti fidei, atque officii iura, et agnoscere, et colere adeo coguntur. Ferunt quidem, patrum memoria, Leonem pontificem, cum audisset apud Germanos in sontes immania supplicia decerni, adhortatum principes, et liberas civitates, ut iuberent aliquanto mitius cum iis agi (verendum enim ne defunctos corporis poena animorum iactura sequeretur) hoc responsum retulisse: facinorosos homines apud se non morte, sed mortis genere a male agendo retardari. Accedunt ad cetera incommoda, varia hominum ingenia, quibus ad servitia Vngari utuntur, in agris praesertim, qui, ut origine, sic diversi ingenio praeter odium iis a natura insitum, qui serviunt, in eos qui imperant, (nemo enim, ubi utrumvis liceat, ei facile parere inducat animum, cui se natura meminit parem) afferunt varios mores, aequae tamen barbaros: ut mirum non sit, eos dissidere animis, qui lingua, moribus, studiisque diversi dissideant. Misti homines ex colluvione barbararum gentium, quibus undique Vngaria ambitur, praeter domestica mala, habent quae inter se mutuentur, quaeque contagione, atque usu fiant deteriora, ut improbi sint, et domestico suo, atque intestino malo, et ab aliis invecto; hinc Illyrii montani homines, et procul a maritima ora, fines Vngariae accolentes; ut nullo fiant commercio exterarum gentium mitiores, quo plurimum homines perpoliri solent, id quod accidere videmus maritimam oram incolentibus; illinc Getae detestandae barbariae homines, in quos nisi domini obtineant suum ius, cum iis aspere, et duriter agendo, nulla spes sit sua sponte ad meliora vitae instituta flecti, multis nominibus miseri, sed uno maxime,

quod neque habent cognitum, quid sibi fugiendum, quid expetendum sit, neque expetunt, quod vere sibi agnoscendum, cognitum comparandum putent. Viget in primis apud Vngaros, cum in vulgo aliis, tum in claris feminis in primis, matronale decus pudoris fama tuenda: cuius sunt adeo severi vindices, ut in stupri compertas, quamquam insignes nobilitate, id quod raro quidem, sed nonnumquam tamen accidit, capite animadvertant; e plebe mulieres vivas defossas, humo certatim vulgo aggesta obruant. Eadem capitis poena in viros comprehensos, constituta: neque enim severe minus a viris castum genialem torum, quam ab uxoribus requirunt, quibus cum imbecillior virtus culpam minuat, non tamen minuit poenam: sive enim vir sit, sive uxor, admissum dedecus, nullo sexus discrimine censent sanguine, et morte, cum nominis perpetua infamia luendum. Vereor, ne quod sum dicturus, in magna eorum omnium licentia, quae aetas, et libido suadet, exteris videatur minus fide dignum. Tantus est apud Vngaros pudoris cultus, neque in molli solum, atque imbecillo, sed in virili etiam sexu, quae maior laus ut videri debeat, efficiunt iis vivendi permissae laxiores habenae, ut feminam prius nosse, quam quis sibi legitimam desponderit, in turpibus, ac probrosis rebus habeatur; quod ipsum tamen homini diu inter illos versanti, neque novum, neque dignum adeo magna admiratione unquam potuit videri; adeo expetitur omnibus haec promiscua laus. Ad excitandam inventutem, ad rei militaris gloriam virtutis aemulatione, laudes maiorum fidibus canunt, rebus ab illis gloriose gestis in carmina per certam temporum seriem, tamquam in annales redactis, quae a pueris memoriae tradita, ita haerent, ut nulla certiora monumenta rerum habeantur, nunc apud Vngaros, quo-

rum magna pars, cum Vngariae regia conflagravit, quam quae his carminibus consignata exstat. Neque illud silentio praetereundum: cum in gerenda in hostem re, nemini militaris rei laude, atque animi magnitudine concedant; in sermone, et mutua consuetudine, nihil illis mitius, atque humanius haberi. Nulli clamores, nulla verborum iactantia, dissimulata animorum ferocia, quae in campo, atque in acie adversus hostem armatum subito effusa, quo minus exspectatur, terret, ac percellit hostem magis: sedatus sermo, atque aequa bilis, et compositi, ac moderati animi index; ut inter eos qui militiae student, et qui urbanas artes atque agros colunt nullum fiducia animorum ostentata, faciat discrimen.

Sed ut ad institutum revertamur, pactas cum Selimo inducias varie, pro cuiusque ingenio, Vngari acceperere. Prudentes quidem homines, et Sigismundi consilium laudabant, qui auctor fratri quietis, atque otii fuisset, et censebant deo immortalis gratias agendas, cuius providentia factum credebant, ut ferox hostis, difficillimis Vngarorum rebus, et quae facile bellum explicatum efficerent, alio arma converteret; minime dubii, quin, ut tum res erant, barbaro inferente bello, fuerit magna accipienda clades: contra alii, unius modo praesentis temporis memores, et implicati hostis longinquo bello, difficili certe, et numquam fere non maioribus infausto, et funesto, quo Selimi potentia terribilior, ex propinquo loco imminebat, ubi cum fratre debellasset, eo gravius praereptam sibi occasionem querebantur, per fallacem religionem foederis, se a perpetuo belli metu vindicandi, quae non tolleret, sed differret in vestigiis urgens malum. Omnium unam vocem exaudiri bellum atque arma poscentium, neque hominum modo, sed eorum etiam, quae muta atque inanima sensu omni carerent. Occasi . . .

si quis se ultro dantem agnosceret, ea etiam quae timidis eodem modo semper formidolosa essent, quantumvis dura, atque aspera molliri. Contra quae in praesentia facillima temporis ratio efficeret, ubi bene gerendi rem occasionem sibi effluere paterentur, cum nulla spes esset amissam revocandi, poenam certam, atque animi moerorem, quem nulla poenitentia levaret, subiectura. Vix satis acriter, pro eorum stupore, et tarditate, eos posse reprehendi, qui religione foederis a belli consiliis regis animum deterrerent, quasi cum eo hoste res esset, cui sanctum esset gentium ius, fas, religio; cuius imperium tam longe, lateque patens, non armis prius, quam perfidia, fraude, fallaciis, dolis, perque iis datam, et proditam fidem, quos in amicitiam receptos defendendos sibi susciperet, esset partum. His permulti incensi, quorum erant ferociora ingenia, quique per armorum occasionem in spem rerum novarum erexerant animos, quidvis potius, quam ut quiescerent passuri, videbantur, ubi per se inclinatis ad seditionem animis, dux multitudini concitatae non deesset. Augebat regis invidiam per eos dies bene gesta res, certis nunciis allatis, ex Croatiae praefectura (quem Banatum vocant) Vesprimiensis episcopi ductu rei militaris peritia clari hominis, insigni clade affectos Turcas, atque e finibus eiectos: certe digna victoria visa, quam rex frater Ladislao, misso Budam Tomicio legato, gratularetur. Inde maior nobilitatis pars, in primis Thomas cardinalis, qui proxime Roma redierat (verisimile est, quod per hanc rationem speraret se Leoni pontifici gratificaturum) auctor regi erat, ut potitus de hostibus victoria, territis instaret, certa spe, ex finitimis provinciis pulsus barbaris, reliqua quae Turca insidiatus Vngarorum temporibus in finibus occu-

passet, quae haud contemnenda erant, receptum iri. Sed haec nequidquam apud regem agebantur, qui totus fratri addictus, auctori pertinacissimo servandi foederis, aures belli consiliis oclusisset, cuius non initia modo, quantumvis ea laeta fortuna ostentaret, sed exitum etiam sibi esse spectandum censebat: quem enim posse dubitare, quin Selimus ex bello Asiatico reversus, eo esset vehementius in Vngaros exarsurus, quo difficiliore suo tempore, captata belli occasione, finitimas sui imperii provincias armis essent aggressi? Scilicet sperandum, petitis bello Vngaris ab hoste acerimo, affuturos auxilio Christianos reges, qui querebantur se vires deficere, non quas in Turcam intenderent, Christiani orbis liberatores, sed, quibus inter se mutua odia exercentes, cum sua coniungerent reipublicae ruinam, quam nullae hominum vires eundem etiam in locum contractae, essent facile imminentem propulsaturae. Quod fratris consilium tamen, optimum, ut postea dies declaravit, haud facilè rex multis probabat, qui, ut diximus, raro causas intuentes, unde tuto iudicare prudentes homines de rerum eventu noverunt, de iis quae inconsulte, et temere sibi suscipiunt agenda, aequè temere atque inconsulte laetum sibi finem, aut tristem spondent. Ita iam populus numquam non maledicendo disertus, regis tarditatem, et cunctationem, effusus in immanem verborum licentiam carpebat, neque in privatis locis modo, sed in foro etiam, atque in magna adeo hominum frequentia; quorum licentia clausas regis aures, quae iam pridem suorum maledictis occaluerant, nequidquam fatigabat, ita adversus furentes, animo obfirmati, ut quidquid aculei inesset, id non ad eum e suscepta sententia removendum, sed ad confirmandum in eo consilio valeret, quod, ut optimum

censeret, unum certum argumentum credebat, multitudini non probari. Itaque omissis praesentibus, ad veteres querelas, per occasionem rerum praesentium, recurrerant, unde maiorem in regem conflari invidiam arbitrabantur. Eo ventum in Vngaria longa patientia malorum, ut quae caussa primis hominibus fuisset, submittendi colla unius imperio; eadem, unius socordia, atque inertia, cui in se vitae, et mortis potestatem permisissent, Vngaris esset, se ab unius imperio vindicandi. Delectum olim unum e multis, quos eodem rationis munere, dignitate pari, natura honestasset, qui iusto, atque aequabili imperio populos civitatesque temperaret; neque eum delectum, qui aut corporis, aut animi robore, sed qui virtute, constantia, sapientiaque inter multos emineret, ut esset, cuius consilio, et auctoritate, multitudini tuta libertas, salusque constaret: nunc, male uni creditam, qui aequae negligeret et aliorum salutem, et suam, plurimum consilio videri permitendam, eo de custodia deiecto, qui procurandae reipublicae parum idoneus, aequae parum dignus regio imperio haberetur. Apud Ladislaum nullum esse aut temporum, aut rerum discrimen; nullum belli aut pacis; ut norit, quo tempore sit salutaris pax, perniciosum bellum; perniciose pax, bellum salutare; tempore efficiente, et natura rerum, ut nihil in terris perpetuum, et stabile sit, quare idem sit semper ratum, firmumque habendum. Otium praeclaram quandam rem esse, et populis aequae, et maximis regibus expetendam, quorum salus sit cum salute reipublicae coniuncta: sed ita si honestum otium sit, si tutum, si cuius operae pretium exstet a rerum gerendarum studio quiescentibus; cuius ratio propterea habeatur, ut securi homines a metu belli, ea meditentur pacis tempore, quae



conducant ad arma redeuntibus, id quod accidat, ubi mens, quae alatur honestis studiis, vigeat suo robore, semperque agat, aut moliatur aliquid, quod suis civibus ornamento, et compendio sit. Vere enim illud de summis viris dici, et quos insignis virtus in excelso gradu honoris collocarit, numquam minus, quam cum plane vacui esse credantur, otiosos esse: aequae eos in agro, in venatione, in silva, in abditis, et remotis locis, atque in foro, et in curia agere semper eodem modo praeclare consuevisse, ac, ne sua quidem causa adeo magis, quam suorum; memores, se ea lege natos, ut quantum ingenio, usu sapientia valeant, totum id patriae se debere intelligant, sibi partem sui minimam debere existimantes. Quid vero aliud videri cessare, Ladislai more, quem nemo umquam, ne in summo quidem reipublicae discrimine, letali somno experrectum viderit, quam migrare e vita adhuc lucis usura fruentem? in homine vivente imaginem mortis circumferre? Ita oportere magnis viris esse tempora divisa, ut laetis suis rebus, (quae esset temporum vicissitudo) se animo ad subeundas adversas compararent: pacis tempore meditar(entur) quae conducerent gerendo bello: ne cum usus requireret, et virtutis esset periculum faciendum, tamquam subito procellae impetu percussi, quod accideret imparatis, everterentur, eo minore cum hominum misericordia, quo magis licuisset adversus subitos casus pectus fortitudine ac constantia munitibus, minime hominum misericordia indigere. Non esse dissimilem eorum rationem, qui summa imperia gererent, atque eorum, qui navi gubernandae praeesent, quorum certum munus haberetur, superatis navigationis incommodis, quibus multis, et variis essent perfuncti, in portu saluam navim, atque incolumem si-

stere: ut enim illi, cessante adversa tempestate, non propterea cessarent, memores eorum, quae essent passi, sed in maris tranquillitate reficerent, quae adversa tempestas corrupisset: ita cum bellum praeclare gestum consequeretur certa pax, animum debere intendere populorum moderatorem, instaurandis reficiendisque iis, quae belli vis affecisset, legibus et iudiciis in primis, quae inter armorum strepitum, militum clamorem, clangorem tubarum conticuissent. Vnius vero, atque eiusdem munus esse, et belli tempore severe exercendo militari imperio, et tempore pacis, domi aequabile in omnes iure retinendo, suos in officio continere; quorum neutrum praestaret, qui, nullo temporis discrimine, inertia, somno, et languore animi perditus, quasi veterno, infami otio conficeretur. Facile vero eos, et magistratibus domi, et in castris ducibus obedientes esse, qui vigilant regi, acri, sui muneris memori parere assuevissent. Turpe otium esse, cum esset honestum bellum: perniciosam pacem, cum salutaria arma haberentur. Quid autem aliud esse inertem regem, quam ferculum in pompa inani specie ornatuque spectandum? Enim vero dignum illum potius, qui in scena tragicum Thyestem, Atreum, Agamemnonem ageret, quam qui regiam potestatem inter homines administraret. Vngaros viros fortissimos, haud prius agnoscere regem ex sceptro, id quod a fortuna saepius, quam a virtute manaret; quam a sapientia, iustitia, animi magnitudine, quae verae regiae virtutes efficerent, ut qua quisque fortuna esset, sive in privata domo, sive in regia natus, is dux, imperator, et rex esset habendus. Nam aequae lapidem, et truncum posse purpura, et regni insignibus ornatum, tanquam sacram rem pompae, et spectaculi caussa populo ostendi. Vt procero corpori

adnexum pusillum caput, prodigii atque ostenti simile repraesentaret; ita imparem regem magno gerendo imperio, efficere turpe, atque immane monstrum. Nul- lum vero haberi portentum, aut prodigium maius, quam fortissimae genti socordem, atque effeminatum regem imperare. Eum dignum regio munere, qui nosset, non se sua caussa, sed aliorum regnare; qui meminisset, ita sibi administrandam regiam potestatem, ut regni commodis populi fruerentur, ubertate, copia rerum, otio, securitate: ea quibus haec pararentur, vigili- as, curas, labores, belli incommoda rex princeps subiret: quibus perfungendis ne animo deficeret, sciret mag- num sibi propositum praemium, gloriam, nomen, con- sistentem omnium famam, numquam apud posteros interituram laudem; quae, natura mortales homines, vita functos immortalitate quo intenderent animum impertirent. Cum vero illa omnia tum unum maxime regem decere, ita in otio esset paratus, ut tamquam ex altissimo vertice, quae mala impenderent providen- do, iis consilio, et ratione occurreret: in primis, si qui male affecti in rempublicam haberentur, iis ultro obvi- am eundo nihil integri relinqueret ad iniuriam, hostis ipse metuendus improbis; amicus omnibus expetendus exoptandusque: quorum caussa, sua sponte . . . . .

. . . . . non leges conditae essent. Vngaris rem esse cum hoste potentissimo, a primis annis versato in ma- ximis bellis, ingenio acerrimo, vigilantissimo, cuius cum essent immanes vires, exercitus, classes, copiae innumerabiles, et quid vellet neminem praeteriret, et quid posset ipse intelligeret, cum sua sponte Christi- anis populis infestus, tum domesticis viribus, et Chri- stianorum regum discordiis invictus. Odium quidem inexpiabile in nostros ita maiores posteris reliquisse;

ita semper hereditate adiisse posteros, ut multis partibus auctum, in longam nepotum seriem, transmiserint suis hereditate adeundum. Quieturum vero illum quamdiu expediret, et foederis religionem ex suo, non ex aliorum tempore ratam habiturum: ubi vires extenuatas Asiatico bello, haud diuturno otio instaurasset; in eos ipsos, per quorum turpem dissimulationem affectas reficere licuisset, non foederis, non religionis, non famae, non nominis memorem, terra marique belli impetum conversurum. Ita Vngaros partim regis secordia, partim fato quodam inexorabili, cui obsistere nulla virtus, nulla vis consilii posset, elapsam e manibus magnam opportunitatem conficiendi tam truculentam belluam, deploraturos. Quam diversam vero Ladislai regis, et barbari hostis gerendo bello rationem fore, si id accideret, quod usu venire posse nemo non videret, qui quidem quis esset rerum status in Vngaria eo tempore non ignoraret? Veteranum ab altero militem eductum iri ad bellum, longo militiae usu exercitatum, duratum omnibus belli incommodis, frigore, aestu, inedia, itinerum labore, diuturna patientia malorum omnium, unde materia viris fortibus ad gloriam suppeditaret: Vngaros militem obiecturos feroci hosti, qui incisis longa inertia industriae nervis, insuetus bellicis laboribus ferendis, non rei militaris peritia, non usu ad rem gerendam in hostem paratus, nomine modo maiorum virtutem tueretur, quam quidem, ante Ladislaum regem, incorruptam per tot secula a labe infamiae, et quasi traditam per manus, a maioribus accepissent, nullo suo vitio exolescentem, sed unius regis culpa, cuius constantia, et magnitudine animi, ubi altius sopita langueret, fuerit excitanda: ut etiam si nulla alia causa ostenderetur ad bellum tam necessarium susci-

piendum, una deberet videri gravissima, eluendi sempiternam maculam, quae Vngarorum nomini, magna cum regis infamia haesisset: a quo uno tamquam a capite in subiectas partes, tam dira, ac tetra pestis, in Vngaros sui, et maiorum immemores, manasset: tamquam enim cum Mathia mortuo rege fortissimo, exuisent maiorum ingenia, Ladislai induissent; sic aversos a maiorum virtute ad nequitiam; a recto cursu gloriae, a virili ac militari cultu, ad mollem, et languidum; a labore, duritia, tolerantia ad turpe otium, ad vinum, ad crapulam defluxisse: ut nisi contrariis studiis exorienti famae Vngari obviam irent, verendum esset, ne, magno cum gentis dedecore, cuius clarissima monumenta gloriae, apud gentes omnes litteris prodita exstarent, ad posteritatem transmitteretur. Nihil tum haberi contemptius milite Vngaro, cuius fortitudine propagata olim rerum gestarum fama ad ultimas gentes, nihil fuerit illustre, aut celebre magis. Vbi gerenda res esset, in campum, atque in aciem eductum iri novum militem, indole virtutis, et nativo robore, sub inertis rege emollito; non graviore ulla disciplina ad rem militarem, non ad civilia iura, non ad leges, et mores maiorum conformatum: neque tamen, ut eorum esset egregia voluntas, ullam esse spem, tyronem, veterani aemulatione excitatum ad conserendam cum hoste manum, allaturum animum alacriorem. Inane modo veterani nomen iactari; virtutem, et militare robur frustra in ganea, ubi consenesceret, atque inter pocula quaeri. Huius militis virtute patriam ab hostium armis vindicandam, quorum invictae vires, tum militum ferocia, tum ducis fortitudine, constantia, magnitudine animi adversus vim omnem haberentur. Nihil verius esse, quam quod a sapientibus usurpatum est,

ad regum exemplar, eos qui parent regum imperio, conformari. Quasi cum regni insignibus reges sumerent eas virtutes, quos summus in terris honor requiret; simulatque quis iniret regnum, multitudinem credere, eum, ut honoris maiestate, sic sapientia excellere, iustitia, fortitudine; ut nihil ab illo, aut dici, aut agi posset, quod non dignum aemulatione putaret. Ita Vngaros a maiorum virtute descivisse, regem aemulatos, in sui et suorum oblivione, perpetuo languore et somno sepultum: cum quisque ad ea, quae e regia hauriret inertiae, et mollitiae ex(empla), de suo multa adderent, quae non magis regis ingenium sua sponte ad probitatem propensum, quam desidem, atque inertem vitam referrent; quae in illo quidem ne officeret, casti mores, et severa a parentibus suscepta disciplina praestaret; in suis a quibus haec abessent, et privatis aequae, et reipublicae capitalis esset. Crapula enim et vino enervatis viribus, iuxta dies noctesque in popinis et gurgustiiis delitescere, ut neque orientem, neque occidentem solem aspicerent, obliti quibus orti maioribus essent, atque a quanta virtute, constantia, magnitudine animi ferendis belli incommodis, voluptatibus contemnendis degenerarent. Quem vero ex his posse negare, non genus se, non partam gentis gloriam magnis gerendis rebus adversus exteras nationes, pessum dare? proculcare leges, mores, instituta, quibus per tot saecula invictum mansisset Vngaricum nomen? Quid enim Vngaro contrarium magis, quam desidem vitam, inertem, mollem, otium, somnum? Iam pridem obsolevisse perennem illam Vngarorum virtutem, quae, patrum memoria, ad summum decus laudis pervenisset, ut vere dici posset, cum fortissimo rege, quasi esset Vngarorum Mathias ultimus, in quo attolleretur in coelum pa-

tria virtus, simul gentis gloriam interiisse; iuventutis praclaram subolem, quae gloriae aemulatione, cum nationibus exteris in omni genere laudis de principi loco certaret, exstinctam; cuius exemplo posterorum animi ad virtutis studium excitarentur. Exolevisse Martium illud robur, quod non fortuna, non belli ulla vis, non tela, non tormenta, non metus mortis, non rerum humanarum ulla vicissitudo minuisset? Atratos milites, institutam illam militiam ad veterum disciplinam, laudatores multos; aemulatorem habere neminem. Tum militi Vngaro hiemare sub tectis probro fuisse; discriminata habere anni tempora; non pro rerum necessario usu, aut pro aestus, et frigoris magnitudine, sed pro animi mollitia, aut ad vaporarium, aut sub dio pernoctare, apricari; umbras quaerere, dies noctesque perpotare, ac ventris gravem semper virtuti, atque industriae ingluviem referre, pravo usu vincente insitam fortitudinem animis. Hoc militiae genere, Ladislao rege, Vngariam stare; ut non uno nomine Vngaris esset de praesenti rerum statu conquerendum: nam et rem indignam videri, iuventutem, per armorum desuetudinem, otio emolli, quod in magnum privatorum incommodum verteret; et patriae esset perniciosum, in suorum virtute, nihil praesidii haberi, quo validissimo ad communem salutem adversus praepotentem hostem tuendam indigeret. Adeo vero hac infamiae labe apud exteris gentes laborare, ut nisi aliquando resipiscentes colligerent ab errore animos, et ad tantam delendam infamiam, eodem consensu conspirarent, non solum perditae patriae suorum ignavia, sed pertinaciae etiam in scelere, et flagitio tuendo, essent rei posteris futuri, merito illi quidem, qui volentes, et prudentes pergerent ultro patriam perditum ire, aviti ge-

neris, praeter linguae sonum, et corporis ornatum, eodem sub coelo, sedes easdem et terras incolentes homines, nihil retinentes. Magno Christiani orbis incommodo, a contemnendis . . . . ndisque initiis Turcarum gentem emersam, cum, successu auctis animis, sibi ad maiora aditum patefecisset, per Asiae regiones omnes, qua sibi viam ferro aperiret, eodem impetu vastando, et populando omnia, in vicina Thracia sedem fixisse; sed ut aequae magnum aditum Vngaris patefaceret ad veterum gloriam nobilitandam, qui, armis domitis ferocissimis gentibus, atque accipere imperii iugum coactis, regnum posteris optimis legibus constabilitum reliquissent, aut ultro ipsi barbaris bellum inferre, patriae infestis, aut non minore animo, quam intulissent, defendere illatum assueti. Hoc tantum malum in multitudinem a capite derivare, quae ferme eo esset ingenio, ut cum auctoritate semper in agendo, raro ratione moveretur, et perderetur eadem, et servaretur exemplo, in quamcumque partem principes flecterent animos, sive ad nequitiam et libidinem proni, sive ad honesta studia erecti. Hanc pestem populatam terrarum orbem universum, maxima regna, populos, gentesque nobilissimas; in his Romanam civitatem, principum prava aemulatione corruptis populorum moribus, terrarum omnium imperio deiecisse, barbararum gentium quibus imperaverat, futuram praedam: ita enim populos principibus viam praeaeuntibus, et ad nequitiam et ad decus, parere, ut quam illi viam capesserent, eam rectam esse existimarent. Quae cum ita essent, regem decere iustitiam colere, religionem, dignas alias artes summo in terris honore; contra a nequitia, et scelere, mentem, animum, abstinere; non suorum minus, quibus se certum exemplar, et ad virtutem, et ad



improbitatem praeberet, quam sua caussa. Non enim sibi uni regem sapientem, iustum, fortem, temperantem; non uni esse desidem ignavum, sed populis, et gentibus multis, quibus unius auctoritas, norma, et vitae lex esset. Atque in rege quidem, cum ad alia vitae instituta capessenda, quae praeclara haberentur; tum ad militiae gloriam insigne suis incitamentum esse debere: quorum virtute, et magnitudine animi, ubi reipublicae durior incideret casus, ab imminente discrimine tutum regnum redderetur. Nam si quando aberraret a recto vitae cursu, intelligere debere, se non re solum offendere, quod quidem esset per se malum, sed flagitii, atque improbitatis documento: magno enim reipublicae infortunio eum labi, qui multos secum lapsus in exitium traheret. Hanc tantam hominum in dicendo impunitatem rex cum vindicare palam non auderet; quod accidere necesse erat, dissimulando negligendoque alebat, veritus multorum consensum, qui tam perturbatum rerum statum in magna fori frequentia, et populi corona impune perstringebant, quod incommodum, si se agnosceret, et quam personam sustineret, paucos ad supplicium poscendo, haud aegre disii cere potuisset. Nam multitudo ita paret quamdiu metuit; ut simulatque metu solvatur, facile excutiat imperii iugum, quod subiit invita: ut non ita immane dictum debeat videri tuenti imperii ius, oderint dum metuunt, cum de legitima etiam potestate feratur, quae est a persona tyranni separata, qui regnat sua, non populi caussa. Eo enim saepe recurrere regem necesse esse, qui totum regium munus habet in procuranda suorum salute constitutum, ut quando minus nimia facilitas suis usui sit, ne magno reipublicae malo contempta iaceat regia auctoritas, a suis timeri, cum pro-

ventu, quam diligi cum multorum exitio malit. Paret enim multitudo magistratui vindicandis hominum malefactis imminenti, . . . ne timore . . . . extor(quen)te, atque eundem quoniam metuit, odit, naturae instituto, sequente odio metum; quo (mag)istratus et legislator non movetur; modo salutare odium sit iis ipsis, qui oderunt, et a legum, et iudiciorum metu proficiscatur. Nam assecutus quod intendit, ut magistratui maneat integra in multitudinem imperii postestas, sive inviti pareant, sive volentes, in quos imperium obtinet, non laborat: nihil enim est illi certius, quam probos, et iustos, ut nulla legum praescriptio, nulla magistratus auctoritas intercedat, sua sponte qui esse debeant futuros; improbos, ubi per imperantis dissimulationem liceat; non secus ac feras bestias, perruptis claustris, quo sensu praecipites ferantur, in omnia scelera, et facinora ituros. Amare plebs, quos timet haud novit, numquam non improba, contumax, ferox, atque adeo, ubi etiam in iis qui regnant facile, ac mite imperium experiatur: horret enim imperii potestatem, quae cogit homines, etiam cum nulla caussa timoris sit, cogitare non quid eum statuere aequum sit, in cuius est potestate, sed quid possit, ubi secus quam officii ratio postulat, lubeat pronunciare. Nam si est certa caussa timoris ex conscientia scelerum, multo odit vehementius malefactorum vindicem, atque adeo, ut maxime etiam propinquitate, et interiore necessitudine coniunctum: iustitia enim custos severa legitimae potestatis, imperantem cogit, unius suae fidei, et constantiae memorem, omnium oblivisci, quae recte iudicantis animum a functione suscepti muneris avertat. Ita vero is in sceleris animadversione severitatem habet ab immanitate distinctam, ut in animi mollitiam, falsus ficto clementiae

nomine non incurrat, existimans dissolutum aequae et crudelem odio dignum, atque adeo certa ratione, cum aequae nimiae lenitas, et plus aequo durior animadversio populis capitalis sit. Neque tamen ita statuendum est, eos qui per turpem dissimulationem conniveant in suorum malefactorum, meliore conditione apud multitudinem, quam acres, severosque esse: tamdiu enim sibi indulgenti favet quamdiu viget, qua alitur aut commodi spes, aut impunitas peccandi; simulatque spes abiit; cum ea ipsa spe, numquam futura solida studia tam levi fulta subsidio abeunt; quae ita benignitate, et munificentia comparantur, ut quibus benigne fit commodo fruuntur, parum eorum meminerint quorum munera, et largitiones, non voluntatem atque animi studium spectant. Atque hoc quidem multo ante quam gererentur, facta coniectura tum de Ladislai ingenio, quod optime exploratum habebat, tum de Sigismundi consilio, a quo regi Ladislaum sciebat, novus pontifex futura divinaverat. Iam, et multorum litteris certior factus, et fama, quae multo ante praecurrerat, Selimum distentum cura Asiatici belli, cum nostris de foedere agere cognoverat, cum Ladislao maxime, quem quidem in aliorum positum potestate parum sperabat ex sua sententia de suscipienda in Turcam expeditione constituturum; minime dubius, quin simulatque Selimus spem pacis ostentaret, praesentibus viribus diffusus, tuta consilia esset speciosis praelaturus. Etsi vero speciosa haec pietatis simulatio, erat peritis rerum non obscura, qui non ignorabant, sub plausible religionis nomine concoqui privata consilia; non aegre tamen multitudini probabatur, quae non saepius solida, atque expressa vi, quam specie, atque umbra rerum tenetur; id quod ambitioso pontifici satis erat, non minora ea potestate, quam ge-

rebat, animo molienti. Itaque idoneum tempus arbitratus per insigne pietatis officium, ut credi volebat, optimi pontificis laudem sibi conciliandi, intentiore cura de suscipiendo adornandoque bello agere instituit: simul ad alios Christianos reges, et ad Ladislaum litteras in hanc sententiam dedit; quarum exemplum apud nos exstat: Gratulari se in primis amico regi, quem audierit perfunctum metu Thracii belli in praesentia otium agere: sed multo illi vehementius fuisse gratulaturum, si, quamdiu illi per hostem liceret implicatum intestino bello, praeclaram oblatam occasionem complexus animo, arma hostibus nihil tale expectantibus, ut dignum summo rege esset, inferret. Decere quidem reges, tanto in terris munere dignos, pacis studiosos esse, sed ita decere, ut si urgeat vicinus hostis, potens, infesto animo, immani odio, qui sit a pacis consiliis aversus; sit confugiendum ad arma, quibus populi ab hostis impetusecui, pace optata fruantur. Tempore effici, ut ferus hostis, quamquam ille quidem non sua solum, sed omnium etiam opinione invictus, ut maxime eius sit implacabile odium in populos, gentesque omnes, qui Christi nomen venerentur, pacem spectet, certe horreat animo ab Vngaris imminens bellum, ubi et sui, et hostis, et temporis sint adeo memores, quo quidem tempore, et gerendis rebus procul ab Europae finibus adversus fratrem, et propulsando bello, ubi Vngarus moveat, diversa orbis terrarum parte, sit impar futurus. Sed eam tamen pacem spectare, quae tamdiu sit duratura, quamdiu illam necessariam sua tempora efficiant, quae illius consilia moderentur; ut eam dare possenti, tam regi contumeliosum, quam Vngarorum nomini foedum sit. Quem enim non videre id ab illo agi eo consilio, ut nihil a tergo relinquens, quod gerentem

longinquum bellum, sollicitum habeat, securo animo a belli Vngarici metu, in Asiam adversus fratrem expediat arma? Raro tam opportunam occasionem oblatam, tetrum atque immane monstrum a Christianorum populorum cervicibus deiiciendi. Quamdiu intestina bella, animi impot(entis) distraherent vires, externam vim addendam, quae labefactaret, atque everteret distractas: cuius rei suppeditaret idem ipse hostis illustre exemplum, qui, per Christianorum regum discidia, in eam magnitudinem crevisset, quam vix posse everti spes esset, concordibus populorum animis, qui Christianis sacris initiati nomina darent, in tam salutarem expeditionem consentientibus. Ausos superiores Vngariae reges, elatos verae gloriae cupiditate, non solum occurrere inferenti bellum, sed ultro etiam quiescenti inferre, et quidem securo tum a civilibus, tum ab externis armis, cum quidem numquam magis ab hostis tempore, quam a vera pietate, atque animi magnitudine opportunitatem gerendi rem captarent: virtute enim fieri expedita, ac pervia, quae ardua, atque aspera essent; quae infesta, atque iniqua, plana; viro forti, nihil quo terreatur, praeter nequitiae et inertiae labem agnoscente. Neque vero Vngaris foris exempla petenda, ipsi se modo aemularentur; qui si semper ultro quaerenda materia ad gloriam per honesta arma, atque ea ipsa quaerenda ab hoste Turca, numquam fere non superiores exstitissent: cur non fortitudini, laudem constantiae adderent, vetus institutum retinendo! Qui rem gerere non auderet, dum occasio, et tempus adiuveret, quomodo eum sperare posse, fortem futurum, ubi vigerent corroboratae tempore hostium vires? Foedus cum hoste ferire, cui nulla foederis religio esset, quid aliud esse, quam sibi infidum, pacis, ac belli arbitrum constituere, cuius, ubi visum esset, intelligeret se praedam

futurum. Non illum quidem paci, non otio studere; praeferocem hominem, et per multarum gentium, et populorum excidium, ad ea quae parta haberet, novis coacervandis cumulandisque imperiis intentum; sed avertere a suorum iugulis per simulatum pacis studium, Vngarorum arma, parum opportuna gerenti difficile, arduum et longinquum bellum. Nam usque eo habere animum in potestate, ut, repressa ferocia ad tempus, et prospiceret animo, qua se peti posse intelligeret, et ne id obsesset, multis dolis, fallaciis nosset obviam ire. Neque vero eius obscurum esse consilium, cuius voluntas, et animus esset exploratus: quem enim ignorare, Vngariam, praemii loco, militi desponsam, adversus fratrem bello Asiatico perfecto? quid porro celebre magis, quam quae a Selimo filio ante oppressum patrem, gesta in Thracia essent? Quid certius, quam re praestaturum quod verbo ostentasset; cum militem ita in sententiam traduxisset, educturus ad longinquum bellum, ut non posset illos, fratre debellato, spe Vngariae expeditionis frustrari? Nequidquam sperari, Selimum aequiorem exteris futurum, cura intestini belli perfunctum, qui elatus improba cupiditate regnandi, pollutas ac contaminatas adhuc manus suorum caede, et sanguine ostentaret. Quid vero turpius, quam qui suo posset, alieno arbitrio pace frui; sumere et ponere arma? Numquam cum barbaro hoste solidam pacem fore, quam fallax religio foederis, potius quam vis, atque arma tuerentur: ita enim natura comparatum esse, ut qui inferior viribus, foedere cum potentiore iungeretur, is, quod in hominum vita miserrimum esset, precariam salutem agnoscere ab eo cogeretur, qui plus posset; eius imperio et voluntate aut futurus incolumis, aut periturus. Audire se Vngarorum animos, ut viros fortes deceret,

propensos ad fortiora consilia, ad foederis, et pacis mentionem reclamare, arma poscere, campum, aciem, castra spectare: quorum studia, atque alacritatem debilitare, et frangere non eius regis esse, qui per multa fortia facta, ingens sibi nomen, et gloriam apud exterarum gentes omnes comparasset. Revocaret a metu intempestivo animum, ne, quod indignum summo rege haberetur, animum sui immemor metu videretur abiicisse; abiiceret mollia consilia, ut fides esset, illum eundem Ladislaum esse, quem ingens opinio virtutis adolescentem ad Boemorum primum, mox ad Vngarorum regnum evexisset. Capessenti praesenti animo bellum adeo opportunum, deum immortalem affuturum, numquam suorum immemorem, pugnantium pro iustissima causa, pro Christi religione, pro patriae salute, quae hoc a suis pietatis munus postularet. Nam ne falsus vates dubitare de belli eventu videretur, facere Vngarorum animis insitam virtutem, quae pro Christianorum salute, et Christi gloria in Turcam hostem explicatis viribus, haud dubitandum esset, quin praeclaris initiis consentientem expeditionis exitum, esset habitura. Auxit his litteris Leonis testatum animum, Thomas Cardinalis, qui ad augendum legationis honorem, satis per se illustrem, plurimum conducere arbitrabatur, ubi hoc percresceret, per eum unum auctorem, et suasorem belli, adversus Turcas expeditionem, Leone Decimo pontifice, susceptam: iam enim cognoverat, ex suorum litteris, qui nihil eorum quae in regia fierent, eum ignorare patiebantur, adversis populorum studiis, Ladislaum ad foedus inclinare, atque inde exorta querela, prope ventum ad seditionem esse: ut minime videretur dubitandum, quin, accedente pontificis auctoritate, regis animus, victa constantia, in eorum sententiam, qui bellum suaderent, traduceretur.

Quae dum Romae ita administrantur, iam in Vngaria perniciosissimi belli semina iaciebantur, quod omnium, maxime memorabile patrum memoria, inter nobilitatem, et rusticam plebem, prope ad interneccionem est gestum: cum enim plerique, ex regis dissimulatione fiducia sumpta, omni iniuriarum genere miseros vexarent: (dom)esticorum malorum impotentes, liberis querelis, et iustis adeo, ut credebant, in sui oppressores inter se mutuo incitati invehabantur; quae eo vehementius animos accendebant, quo illi minus praesidii, ad propulsandas potentiorum iniurias, in Regis auctoritate positum habebant, vetere instituto, publicis malis indormientis. Itaque cum miserando communem fortunam, levationem malorum nullam referrent; unum efficiebant, ut maiorem indies invidiam in nobilitatem conflarent, sed nullo cum proventu, crescente inde potentium hominum audacia, qui nihil gravius ab oppressis, quam liberae linguae convicia, quibus parum movebantur, rege et suae aequae, et publicae caussae immemore, vererentur. Quae tanta mali vis, eo latius indies serpebat, quo maior erat quies ab externis armis, parum opportuna, ad continendos in officio feroces populos, quos, nisi belli labores, atque incommoda fatigent, raro leges et magistratum auctoritas, ab infirmorum, et tenuiorum iniuria coercent: assueti enim augeri militiae gloria, cum Turca gerentes bellum; quae materia, per ictum foedus, tum deerat ab externo hoste; a suis per summam iniuriam petebant; frustra dei atque hominum fidem, ut ulciscerentur domestica mala, implorantibus: eo quidem provecta audacia impunitate ferebatur, ut non solum privatorum domus parum tutae a suorum maleficio essent, sed etiam vici diriperentur, vastarentur agri, qua libido praedandi



suadebat, longe lateque circumiecti pagi populationibus, atque incendiis deformarentur. Accedebat ad ceteras causas, nonnullorum e principibus ambitio non ferenda, maximarum civitatum, et regnorum communis pestis: infesti enim miserorum fortunis quae per se tenues, tributis collationibus exinanitae erant, iis tueri militiae splendorem, victus opulentiam, tum generosos equos, numerosas familias alere, domi, foris, ubi minus sufficerent domesticae copiae, magna cum ordinis invidia cogebantur.\*) Manet ad hunc usque diem hic in Vngaria mos, et in vicina Polonia, ut alibi diximus, quem necessarium hominum ingenia efficiunt, ut ex infima plebe homines a potentioribus servorum loco habeantur, in his maxime, qui habitant in pagis, et agrorum cultura victum quaerunt, perexiguo quaestu laboris, a quo nulla miseris remissio datur, numquam dominos materia, qua in illos saeviant deficiente. Et eorum quidem tam acerba conditio, ut in frugum partitione, saepe ne eius quidem partis, quae illis pars, operis pretium cedit, penes illos ius ullum potestasve sit: quidquid enim in horreo conditum habent, quidquid in cella, generosa vina, et melioris notae, obsignata omnia eius signo, qui dominus fundi est, non prius distrahere, aut sumere ad domesticum usum audent, quam sit facta a dominis divendendi potestas, quam tamen nemo e nobilitate negat, cui quaestu sit potior existimatio, et nomen. Id ipsi aliquando observavimus in quodam Transilvaniae pago, cum, de gentis more, a domino institutum colonis oenopolium esset, iis interdictum externo vino, atque aliunde importato; ut aut plane vino abstinere, aut emere cuiuscumque notae

\*) Innen kezdve mi a könyv végéig van, a Pray-codexben, (talán a szerző keze által,) ki van törölve.

esset, e domini cella cogrentur. Id excogitatum, ut esset, unde vina distraherentur, quibus tempestate, calamitateve aliqua insita vis deperisset, ut domini cum ubere quaestu, ita insigni colonorum incommodo, atque detrimento. Eadem in aliis ratio, quae a dominis, iure, iniuria exiguntur: dare operas, quo lubet, et quamdiu visum sit; vecturas, equos, iumenta; quibus imperandis, an exigendis cum miseris durius agatur difficile dictu est. Etsi vero minime apud omnes tanta saevitia, apud viros principes praesertim, quorum dignitas non temere aspergitur tam infami avaritiae labe; non desunt tamen in magno numero, quibus miserorum calamitas lacrymaeque quaestui sint, qui aliunde non suppeditatur. Itaque sive aquatione est opus, sive lignatione, sive sint reconcinnandae aedes, exstruendus agger, murus, fossa ducenda, nisi praesto sint ad nutum imperanti, vincti pedibus in ergastulis, tamquam rei maiestatis, aut fraudem capitalem ausi, caussam dicere coguntur: ut ad hastam empta mancipia, haud deteriore conditione habeantur. Atque ad hunc modum ferme vulgo iactantur, ita nonnullis rationem suae humanitatis habentibus, ut, quod semper accidit, in paucorum aequitate, sit parum adversus multorum iniurias subsidii ac levamenti.

---

IOANNIS MICHAELIS BRVTI  
VNGARICARVM RERVM  
LIBER TERTIVS.



## LIBER TERTIVS.

---

Cum ita incensis ad seditionem animis, inde exoriens flamma in apertum bellum brevi crederetur exarsura, fama atque multorum litteris affertur, indictum Romae, vetere patrum instituto, Sacrum bellum rem perdiu in magna expectatione positam, Thoma Cardinali apud Leonem pontificem maxime procurante; qua, tamquam arida materia, flammae iniecta, ingens repente coortum incendium, Vngariam universam, atque illi adiacentes provincias omnes paene adduxit in ultimum rerum discrimen. Qua de re antequam dicere aggrediamur, quaedam nobis a principio repetenda, paucis quidem, sed aliquanto altius, quorum iam supra mentionem fecimus. Erat pridem Romam profectus, sub Iulii pontificis mortem, Thomas Cardinalis, non sine spe adipiscendi summi honoris, sive Ladislai gratia fretus, apud quem principem auctoritatis locum obtinebat, sive magnitudine divitiarum, quibus maxime pollere credebatur, permultos annos peramplo, atque opulento sacerdotio functus. Neque vero apud suos modo, sed apud exteros etiam, propter sapientiae atque integritatis opinionem, erat eius illustre nomen, quae, innitenti tot fortunae atque animi bonis, in primis suffragari in petitione pontificatus crederetur. Quae tamen omnia cum animi cupiditate haud maiora essent, ut sunt hominum ingenia, quorum vota raro benigna fortuna explet, minus in praesenti fortuna acquiescebat, elatus futuri spe, quae non contento in

Vngaria summo gradu honoris, quo ex infima plebe, subnixus honestis artibus, et regum gratia pervenerat, sibi augustissimam in terris dignitatem spondebat. Maxime vero accendebant sua sponte in tantam spem erectum, fallax assentatorum turba, commune potentium in regia malum, qui eadem saepe inculcando facile effecerant, ut ad summum in terris imperium evectum, tanto gerendo honori crederet se minime imparem animum allaturum. Igitur pontificiis comitiis Leone pontifice renunciato, quidquid sibi officeret pontificis maiestas, id totum detractum iri de domestico splendore arbitratus, redire in Vngariam primo quoque tempore constituit, inter suos, secundum regem, princeps dignitate auctoritateque futurus, quando Romae in sacri imperii sede conspici haud licuisset. Alii reditus caussam alio referunt, cum vi immani pecuniae exhausta, ne ita quidem posse ferre Romanae aulae sumptus, aut explere sacerdotum cupiditatem speraret, quorum suffragationem sibi ingentibus largitionibus comparaverat, protectionis consilium sibi necessarium statuisset. Quaecumque illi caussa reditus fuerit, etiamsi iam fama obtinuisset, cum Selimo ab Vngaris antiquum foedus renovatum; a Leone, ut diximus, ad sacram militiam adornandam, legationis honore impetrato, in Vngariam contendit, ignarus quantam secum perniciem, et pestem pietatis nomine, sensim se insinuans in patriam inveheret, cui maxime vir optimus, et religiosissimus consultum vellet. Iam, et ante Thomae adventum, Ladislaus, quamquam diu in contrariam sententiam, salutari fratris consilio, animo obfirmato, cupidus hominibus rerum novarum, turbulentis vocibus reclamantibus, de inferendo Turcae bello passus erat in consilio agi, dandas manus arbitratus, quando regni administrationem, arbitrii eorum, qui plus possent, suae im-

becillitatis conscius fecisset. Nam quo facilius pateretur se a suscepto consilio deduci, qui belli erant auctores, occasionem eandem iactabant, quae tum erat in omnium ore, Europam a Turcarum armis liberandi, quo nihil in speciem magnificentius, si magna bella inani ostentatione verborum gererentur, poterat excogitari. Selimi quidem esse ingentes vires: sed non esse invictas, iam pridem Vngaros docuisse, et sua, et maiorum memoria clarissimis de his victoriis potitos. Quot nominibus vero suscipiendum bellum, sive quis rationem temporis, sive quis spem victoriae, ex temporis opportunitate, sive quis pietatis desponsam laudem spectaret ex bene gesta re? Vllumne opportunius Vngaris ad nominis famam, ad gloriam, ad immortalitatem; ullum non Vngaris solum, sed Christianis populis etiam, gentibusque omnibus salutare magis posse geri? Quem vero posse dubitare, quin gerendum bellum Christi imperatoris auspiciis, pro patriae salute, gentis gloria, Christiani imperii propagatione esset laetus finis consecuturas? Eo vero fiducia maiore ad arma eundum, quo magis constaret, Selimum, quidquid roboris, et virium haberet, in Asiam adversus fratrem eduxisse. Accedere praesentem rerum Vngaricarum statum: quae quidem eo essent redactae, ut, nisi per externi belli occasionem nobilitatis parte ablegata, quae otii impotens belli materiam a suis quaereret, quam externus hostis non suppeditaret; levaretur plebs praesentibus malis; minime dubium esset, quin agrestes victi diuturnitate malorum, pagis relictis, ac divendito villae instrumento, excitarent civile bellum, cuius exitus, sive vincerent, sive vincerentur, aequae esset patriae tristis, et funestus futurus, quae in victis, eodem modo, per nobilitatis, et plebis victoriam, plecteretur? Cui vero du-

bium esse, quin, ubi hoc accideret, continuo hostis viribus integer, in orbam patriam alterutra parte sui, esset victricis arma conversurus? Interea cum in regis consilio de re tanta patrum, et principum sententiae variarent: haec fere in medium afferebant qui ex pontificis sententia bellum suadebant: longe eos falli, qui agi in praesentia potius de suscipiendo externo bello, quam de intestino malo propulsando existimarent. Quod maxime in omni consultatione spectari oporteret, ut quod bellum necessario suscipiendum esset, honestum idem, atque opportunum suscipientibus esset, id ab eorum sententia stare, qui arma suaderent. Nam quod bellum necessarium efficeret praesens rerum status, oppressis populis mole malorum ingentium, idem opportunum temporis rationem efficere, cum Selimum fratri illata arma avocarent ab Europae rebus, haud dubie adversus universas Asiae vires difficile pariter ac diuturnum bellum gesturum. Accedere Leonis pontificis eximiam voluntatem, quam verbo modo ostentatam passi essent superiores pontifices, magno reipublicae incommodo, suo ingenti dedecore, a se desiderari: cui quidem nihil longius videretur, quam inter Christianos reges sublatis discordiis, arma barbaro inferre. Florentem aetate, gratia; auctoritate apud omnes tanta, quantam in eo esse deceret, qui sacrosanctam in terris gereret potestatem; adnixurum viribus omnibus, ut eorum votis responderet, sapienter rempublicam administrando, a quibus magno consensu illi pontificatus esset delatus. Iam quod bellum adeo opportunum occasio efficeret, idem genere caussae, pro qua susciperetur effici et gloriosum, et honestum, pro communi salute Christianae reipublicae adversus teterrimum hostem gerendum: quibus enim viribus Vngaros, ubi hanc sibi occasionem



effluere e manibus paterentur, aut illaturos ipsos in posterum Turcae arma, aut illata propulsaturos? Etsi vero tum plurimum attenuatae civilibus dissensionibus viderentur, sperare tamen brevi futurum, ut per ordinum concordiam sublatis intestinis odiis, instauratae resumerent antiquum robur. Hoc quidem Vngaris agendum universis, patriae caussa, cui vitam deberent, et si qua sunt vita cariora; singulis privatim sua; ut aliquando ostenderent, Vngaros non posse nisi suis viribus vinci, invictos externo bello. A patria, quando sese tempus daret, avertendam immanem pestem; quae quidem vexata, atque afflicta, ne per exiguum quidem temporis spatium intermissionem malorum a suis posset impetrare; dum, letalibus odiis inflammatis animis, in mutuas caedes exardescerent. Serpere indies latius ortum incendium, cui nisi rex per principum conspirationem, obviam iret, a quibus vulgo crederetur ali; brevi fore esset necesse, ut eius continenti flamma Vngariae regnum, et finitimae regni provinciae, desperato omni externo auxilio, conflagrarent. Quod adeo triste omen si vere execrarentur animis, ut vultu gestuque indicarent; cur non vere aliquando expergefacti efficerent, ut verteret in eorum capita, qui Vngaris speratam gloriam, a rei militaris studiis eos deterrendo, salutemque, tum iis ipsis, tum Christianis populis universis, inviderent? In otio aliis agere licere, quorum industriae fructum aliae ab his excultae artes, et pacis aequae, et belli tempore subministrarent: Vngaros, hoc instituto a maioribus accepto, unam rem militarem colere, a qua cum discederent, otium non ferentibus necesse esset, et corporis, et animi vires flaccescere: ut si nulla alia caussa ostenderetur gerendi belli, haec una in primis gravis videri posset, milita-

res homines ad armorum decus revocandi, quo quidem per multa illustria facinora, sperarent se maiorum virtutis aemulos perventuros. In hanc pietatis laudem, aliis omnibus damnatis consiliis, animos erigendos, ut salutaribus armis hosti illatis, cum suis pacem colere inducerent animum, eodem coelo, iisdem sibi legibus, atque institutis devinctis. Ita fore quo excedens tam dira, atque importuna lues, quae diu haesisset in patriae sinu, pestem, atque exitium hosti importaret, quam in partem illam bacchari aequius esset. Vngarorum armis fortissimorum hominum, veros hostes Turcas petendos, quibus formidolosa semper merito fuissent: iis saluti esse debere, quibus perniciosa esse, sine magna eorum invidia haud possent, qui intulissent, secum mutuis vitae officiis, naturae, et gentium iure, patria, caritate, et sanguine coniunctis. Frustra eniti, qui per miserorum clades, atque infortunia, pervenire ad summos honores sperarent; qui quidem quanti faciendi essent, cum esse seiuncti ab insigni sceleris infamia parti haud possent? Certe qui hoc sibi persuaderent, eos eodem loco honorem, et decus, infamiam, et dedecus habere. Vni Vngaris conficiendi barbari hostis destinatam laudem, quorum maiores, viri fortissimi semper in Christi militia primos ordines duxissent, ad quorum exemplum posterius conformati, aeternis virtutis, et fortitudinis constitutis monumentis, semper cum maiorum gloria certassent, a quorum virtute, posterius eorum vera, et germana proles numquam degenerassent. Speciosum hoc vero Vngaris in omni posterorum memoria, unos delectos, qui in Christi militia antesignani, tam tetram barbariem, ab hominum coetu, quibus aeternum bellum indixissent, exterminarent. Nam, si qui essent, quos iurisiurandi re-

ligio a belli consiliis avocaret, quo obstricti Selimo essent, iis ita statuendum esse; cum hoste religionum omnium, paricidia sceleratissimo, monstro in hominum vita, post hominum memoriam, teterrimo, nullum iustum foedus, potuisse iniri: nisi hoc forte crederent, quem a violanda in patrem pietate nullae divinae, aut humanae leges, non hominum existimatio, non fama deterrisset, maiore fide, et constantia foedus cum Vngaris percussum servaturum. Illam potiore esse Vngaris religionem debere, ut a suis abstinentes manus, cum pietatis certa laude, et patriae memores, et Christianae reipublicae universae, cuius propugnatores fortissimi semper exstitissent, immani ac truculento hosti arma inferrent. Viris fortibus turpe, ubi usus posceret, vitae parcere, pro eorum salute, quibuscum haberent communem patriam: quanto iis turpius, qui in suos scelerata arma intentarent, quae tum modo haberentur honesta, cum pro suis sumpta, adversus iustos hostes gererentur? Quae Vngaris, praesentis hostis vires difficilia efficerent, multis partibus belli opibus, et nervis superioris, ea ipsos, hostis tempore pro occasione utentes, sua sibi virtute, et animi magnitudine facillima reddituros. Praecipere quasi victoriae praerogativam, qui ipse praevergens, non pateretur se opprimi bello imparatum. Raro vero hoc consilium eventu frustrari: qui enim princeps inferret arma, eum suis fiduciam, trepidationem et metum hosti, iniicere; qui saepe fallax interpret alienae audaciae, quae fiducia posita in consilio esset, eam manare a domesticarum virium conscientia censeret. Eodem errore subiectos iis populos falli, quibuscum gereretur bellum; qui in eum inclinarent, quem timerent armatum, ab eo aversi, quem contemnerent cunctantem propulsare illata arma.

Ita enim animis affici consuevisse, ut se a belli incommodis, quae vitari alia ratione minus posse crederent, per defectionem ab iis redimerent, quos impares suis tuendis existimarent. Hinc civitatum nova consilia nutantium in fide: quae quidem mala eos manerent qui sua cunctatione hostem redderent alacriorem. Si, ut dignum esset maiorum virtute, iusta sumpta in hostem arma turpi otio, et paci infidae, sibi praeferendum staterent necessarium bellum; utrumque assecuturos, ut et plebi consulere, quae frustra in otio, suis invisae, cessationem malorum quaereret, et iis simul, qui ad bellum proficiscerentur, unde fortitudinis laudem, atque opimam praedam, bene gesta re, nulla cum suorum iniuria, essent deportaturi. Satius quidem fuisse eam animi moderationem in nonnullis fuisse, ut ultra ius humanitatis, in miseros saeviendo ne progredierentur: eam in plebe aequitatem, ut dissimulando, obsequendo, nonnulla moderatius ferendo, meliorem suam causam, deteriore adversariorum efficerent: sed quando, secus quam vellent accidisset; quemadmodum in fluminum alluvionibus, aquarum impetus violentior, per derivationem in novos alveos reprimeretur, esse ferocibus animis aditum ad externa bella aperiendum; quorum unum iustissimum Vngaris convulsa, ac labefactata respublica ostentaret. Quam vero causam Vngaris refugiendi ab armis, post hominum memoriam, gentium omnium consensu re militari excolenda, pro gentis gloria pugnando, patriae iura, Christi nomen, imperii fines tuendo, fortitudinis insignem laudem promeritis, quibus, ut hereditarium cum Turca bellum, ita virtutem gerendo bello parem, maiores reliquissent? Bellum quidem instare gravissimum adversus hostem aequae terra marique potentem: nihil hoc ve-

rius: sed ut certam spem faceret Vngaris, eorum tum virtus, tum pietas, quam semper deus immortalis, cuius caussa ageretur, praesenti ope fovisset, munisset sua invicta dextra, adversus vim omnem tutatus esset, laeto eventu cum eo ipso tam potenti hoste debellandi. Quod quidem tum futurum sperari oporteret, cum inter se complexi animo, et unam communem salutem respicientes, privata odia, inimicitias, simultates, unde caussa tot malorum exsisteret, sibi quasi a stirpibus evellendas animis, atque excindendas statuerent. Id patriam postulare, cui omnia deberent, ut quisque de suo iure decedendo, controversias omnes, quae salutis communi officerent, patriae omnium parenti condonarent, qua una re, per iuris amabilem aequabilitatem, civitates maximae, ac regna opulentissima ad summam imperii gloriam magna incrementa, et progressus fecissent. Adnitendum omnibus viribus, ut tum gererent bellum, cum domi constabilita pax, per civium concordiam coalescentibus animis, laetum rerum eventum polliceretur: ut enim tuta corpora adversus vim omnem tempestatum essent, quae aequabile temperamentum, e contrariis principiis constituta moderaretur, sic optimum haberi civitatis statum, in quo, lex una rerum humanarum moderatrix, varios civium ordines, in unum ceu corpus conformando efficeret, ut neque plebs nobilitati, neque plebi nobilitas, altera in alterius perniciem nimia licentia saeviendo exitio esset. Quam vero hanc immanitatem, Vngaricam plebem, non Scytharum, non Turcarum, armis, non ultimae barbariae hominum, sed Vngarorum plecti, cuius caussa si contra hostes in acie caderent, esset vita functis summa speranda laus? Quo morbo vexari, quo agitari furore, amentia nobiles homines, ut iis armis suos peterent sempiterno

cum dedecore, quae cum spe gloriae, et praedae luculentae, essent in Turcam hostem intentaturi? ut aequiore animo parcerent suis, superesse hostium urendos, ac populandos agros, diripiendas atque evertendas urbes; arces, pagos incendendos, qua longe lateque pate-ret eorum imperium, cuius essent immensi fines. Inde neque materiam defuturam praedae avidis, ad cupiditatem explendam; neque avidis gloriae ad immortalem sibi comparandam laudem. Licere, ubi a suis abstine-rent, locupletari hostium spoliis, ornari manubiis, locu-pletari divitiis, quae ex totius orientis exscidio eodem congestae coacervataeque in immensum crevissent. Pa-cis tempore has clades omnes non a barbaro hoste, sed a suis miseram plebem perpressam, atque adeo unam ob caussam perpressam, quod diuturna tolerantia malorum, suos alacres in sui perniciem reddidisset. Gerendum foris bellum, ut domi coleretur pax: quaerendum exter-num hostem, ut esset in quem saevirent parcentes suis; sitientibus humanum sanguinem, non e suorum, sed ex hostium iugulis hauriendum; hostium ruina, non suo-rum, restinguenda odiorum incendia, quibus nobilissi-mum regnum conflagraret; odia, quibus nisi primo quo-que tempore re ad concordiam redacta, occurrerent, es-sent brevi omnia eodem casu ruitura. Neque hoc unum tamen patriae impositum vulnus; simul enim domi exor-tum gliscere civilem furorem, atque adeo ut propediem, ni deus propitius suorum animos alio averteret, eruptu-rus esset in apertum bellum; simul percrebrescere apud exterarum gentes adversam famam, inter se Vngaros ho-stilibus odiis certare; quos quidem minime verisimile esset, in partes diversas distractis viribus per civilia arma, bello gerendo adversus hostem Selimum suffec-turos; ut deo immortali grates agenda viderentur,

cuius aeterno consilio esset factum, ut immanis hostis necessario bello implicatus, minus soluto animo cogitare de rebus Vngaricis posset, quibus certius a suis, quam ab hostibus exitium impenderet. Vtrumque vero effici suscipiendo sacro bello. Nam et materiam non defuturam ad gloriam, defendentibus patriam ab hostilibus armis; et improborum ferociam, audaciamque fractum iri, ut quibus lex minus posset, belli vis iniiceret frenos. Hoc commento olim in Romana civitate principes saepe populum elusisse, tribunitiis actionibus concitatum; optimo quidem consilio, ne civibus nimio otio luxuriantibus, materiam fovendis odiis, quies ab armis suppeditaret. Non posse umquam hominem vacare ab agendo, vegetum animal, et impatiens otii, ut, cum minus nosset agere praeclare, ne quando cessaret, cogereetur male agere, ad id natura impellente, quae segne animal, hominem praesertim, unum maxime animantium omnium ad industriam, et solertiam natum, minime pateretur ignavia torpere. Ita autem usu venire, ut quemadmodum frumentariae molae, quamdiu externa vi, aut ventorum aut amnium agerentur, nisi aliunde materia, quam attererent, iniiceretur, se conficerent. mutuo attritu; necesse esset intestina peste laborantem civitatem, sua mole obrutam everti, nisi suscepta expeditio belli, a civilibus contentionibus, unde intestina mala omnia orirentur, curas avocaret. Quid autem eos sequi, qui otium suaderent; deterrent ab armis? Dulce esse pacis, dulce otii, atque amabile nomen: nihil verius. Sed quid, si pax ab externo hoste, domi funestum pararet bellum? Pax vero? quae quamdiu esset futura? cum quidem Vngarorum discordiae ita hosti Turcae opportunum bellum efficerent, ut eum tum quiescere, portenti simile esset. Quem vero

posse ignorare (idem saepe repetendum, inculcandumque esse) quemadmodum male affecti, et longo morbo tabescentes, quantumvis levi impulsu, icti collaberentur: sic civitatem, quamdiu eam intestinae discordiae exagitarent, a quantumvis imbecillo hoste, qui eam peteret infestis armis, eversum iri? Quid enim, si Selinus, cuius paullo ante nomen, metum ultimi discriminis Christianis populis iniecisset, omnibus aliis curis exsolutus, domesticis cladibus regnum affectum, totis viribus, contempta vana religione foederis, adoriretur? ullamne reliquam spem superesse Vngaris vires bello, gerendo, qui pace, infestioribus suis, quam hostibus bello, uterentur? Hominum, ut varia ingenia, ita varia studia esse; litteris alios, alios fingendi, pingendi, caelandi arte delectari, mercaturae faciendae aptiores alios, magis alios colendo agro, idoneos: Vngaros militares homines, bellicae rei gloriam adamare, ignorare ceteras artes pacis, atque otii, quibus animos crederent effeminari; in his litteras, nisi quatenus requireret necessarius usus, studia liberalium artium, tum quaecumque alia ad vitae cultum exquisitiorem, atque elegantiozem spectarent; quibus in militaribus ingeniis masculam virtutem, quae insita Vngarorum genti a natura esset, enervari, et praecidi industriae nervos contenderent, quo genere qui oblectarentur, molles, et delicatos, ipsi deliciarum omnium contemptores, atque ex aliorum mollitia, admiratores sui, neque forte iniuria, abesset verbo arrogantia, appellerent. In his conspici, quae virtutis argumentum haberent, non fortunae, pulcherrimum ducere: antiquo opere caelatam aurum, numismata, vasa priscae elegantiae, pictas tabulas, signa ex aere, et marmore, neque requirere si non adessent, neque si hereditate adiissent,



relicta a maioribus, magnopere existimarent sibi ab iis, qui carerent invidenda. Quo virorum fortium animi propenderent, Vngaros arma, aciem, campum spectare, neque vitam illam credere, quam domi fluentem, et liquescentem deliciis, non agerent in castris: odisse pacem, qui vigerent belli artibus; iners, et segne otium impigri atque acres; quo languerent vires, hebescerent animi, torperent dextrae, feroci ingenio homines, et quibus vita esset invisae, quae materiam ad gloriam viris fortibus per bellicas artes non subministraret. Quae cum ita essent, etiamsi nulla praeterea armorum occasio offerretur, e praesenti Vngariae statu oblatam videri capessendam; ut qui ius fasque omne, in vi, atque armis positum haberent, ii in castris forum, in castris leges, in castris iudicem agnoscerent, atque eum ipsum septum armis, ne aditus ad iniuriam sceleratorum hominum audaciae pateret. Hanc unam rationem tutissimam haberi eorum impotentiae coercendae, qui in eadem cum ceteris aequabilitate colere communis societatis iura recusarent; ut eo se volentes prudentesque conferrent, ubi discerent vereri tortorem, vincula, secures scelerum ultrices, quibus, feroces homines se submittere cogerentur.

Nemo adeo erat rerum imperitus, quin cum haec audiret, vere dici, atque e republica fateretur: magna enim cum nobilitatis invidia quotidie multa, atque insignia exempla ferebantur superbiae, crudelitatis, atque avaritiae, quae in miseram plebem plerique e nobilitate edebant: quae quidem iam omnem modum supergressa apparebat, haud diutius quam necesse esset populos passuros: Vnum modo obstabat (cum adhuc certi seditionis duces nulli exsisterent, qui civilis motus initium facerent) quominus ubi irent ad arma, spe-

rarent, audacibus inceptis, finem quem vellent imposituros, agrestes homines, et quos caussa modo, et susceptus dolor, ex nobilitatis iniuriis, non peritia rei militaris, non arma, non exterorum auxilia armarent. Neque erat tamen nobilitas paratior ab armis, quibus maiorum ius adversus tantam hominum conspirationem, ubi in apertam vim erumperet, tuerentur; quae quidem res eorum auctoritatem elevabat, qui in regis consilio bellum suadebant. Nam neque suis viribus Vngari confidebant, ita discordiis civilibus agitati; neque habebant quo confugerent destituti suis, propter eas caussas, quas supra commemoravimus; ut ne tum quidem, cum Asiatica arma barbarum hostem implicatum haberent, satis roboris affuturum ad rem gerendam arbitrarentur: nihil enim Selimus prius videbatur tentaturus, Vngaris ab inito induciarum foedere discedentibus; quam ut per oblatam occasionem iusti in speciem belli, armis Vngaros persequeretur, iuris gentium, et foederum ruptores, quo fidei vinculo, iurisiurandi religione, sancito, aequo bello, pace res hominum starent. Nondum vero animis obsoleverat funesta illa clades, quae patrum memoria omnium maxima erat ab Amurathe Turcarum rege ad Varnam accepta: cum Vladislaus Vngarorum, et Polonorum rex, adhortante Eugenio IV. pontifice, qui nutantem atque haerentem animo, ne foederis religione impediretur, legibus soluerat, bellum rupto foedere, non sine magna hominum invidia, nihil minus barbaro opinanti intulisset: quo quidem infeliciter gesto, facile intellectum est, ne in Turca quidem hoste violari datam fidem per sacrorum interpositam religionem deo immortalis placere. Personis rebusque adeo potest variari perfidiae scelus, ut in altero admissum gravius; non aequo grave admissum in altero sit: sed eadem est perfidia

semper, cum non prius hominem per datam fidem fallat, quisquis ille sit, quam sit sceleratus in deum cuius numinis augustissimi sanctimonia, et maiestate abutitur, ad hominem fallendum. Neque vero erat dubitandum, quin Selimus, ad tempus simulato pacis studio. . . ubi expediret, discordiarum, et bellorum sator, quorum volenti nusquam erant honesti in speciem obtentus defuturi, animo agitare Vngaricum bellum; non ignarus praesertim qui tum rerum status apud Vngaros esset; quod bellum non prius tamen erat gesturus, quam, fratre oppresso, qui unus incepto obstabat, Europae rebus, omnibus aliis solutum curis, intenderet animum; quem quidem ad omnia sua sponte erectum, quae aliis ardua et maioris molis viderentur, non solum insita animo audacia, et domesticae vires, sed nostrorum regum tempora etiam ferocem reddebant, iis de causis, quae non semel sunt a nobis commemoratae. Neque erat dubium, quin incepto eventus responderet, ni tamquam arx obiecta eius conatibus Vngaria imminentem ad exitium Christianis populis remoraretur. Illud etiam subibat, quod sollicitis de populorum salute erat verendum, ne, in Turcam bello suscepto, in magno rerum motu male in principes animata plebs, per discessum nobilitatis vacua metu, excitaret interea civile bellum, cuius sibi aequae foedum, et tristem exitum victi pariter, victoresque ominabantur: ut in taetra ac deformi malorum facie, quae ob oculos obversabatur, ineundi consilii difficillima ratio; explicandi nulla plane haberetur: iam enim animos viribus deficientibus, cum per rerum omnium patientiam a quibus abhorret hominis natura, nobilium hominum aucta impunitate, iis quae per se gravia perferrent, graviora Indies, acerbioraque vererentur; populi non obscure defectionem mo-

liri, agitare animis caedes, populationes, incendia, per haec malorum solatium quaerentes in pagis, in com-pitis vulgo ferebantur; temere adhuc, et ut magno cum hominum consensu, ita nulla certa hominum coi-tione, nulla militum firma manu, qui volentibus, quod non audebant, et minus quid possent agnoscentibus ostenderet suas vires. Neque aberat suspicio tamen apud regem, cuius nimia dissimulatione, haec accide-bant, plebis urbanae, atque agrestium caussam ponti-fices tuéri, magnae potentiae in regia homines, de quo-rum sententia, hoc accepto instituto a maioribus, rex summam reipublicae administrabat; cuius rei caussa eos opimis sacerdotiis, et sacris honoribus, magna qui-dem cum invidia, et offensione nobilitatis auxerat, qui sanguinis sui praemia, vulnerum, caedium, quae in cam-po, atque in acie armatis necessario pro communi pa-tria essent perferenda, inertibus hominibus, quasi de republica praeclare meritis, mandari querebantur. Ex infimo genere plerique orti, cum, a prima pueritia, victui ostiatim quaerendo assueti (quod illis saepe probro dare nobiles homines consueverant), littera-rum ludum olim frequentassent, tacito naturae in-stinctu impellente, tueri sui ordinis homines et conso-ciare consilia insimulab(ant). Hinc legem latam non-nulli tradunt, ne cui in posterum liceret, pontificatum in Vngaria inire, qui non adlectus ex corpore nobilitatis, in sacerdotum collegium, et sacris initiatus esset: qui-bus ne temere assentiar, diuturnus usus, qui instar le-gum omnium est, refragatur: multi enim semper ex plebe ad hunc usque diem pontificatus honore insignes, in regum consilio de summis rebus rogati sententiam dicunt; multi qui amplissimas legationes apud exteros reges obeunt, et magno adhuc in honore habentur.

Ergo cum caussa anceps sollicitos animos expectatione eventus in contrarias sententias distraheret: nonnulli sive, quod contra, atque alii sentirent, certam rationem secuti, vere erant ab armis animo averso: sive, quod ita se regi gratificaturos putabant, et suo ingenio, et Sigismundi fratris consilio a tam temerario incepto abhorrenti, contra eos qui bellum suadebant, ad hunc modum verba fecisse dicebantur: Qui sperarent se posse occurrere civili bello, per occasionem sacri belli gerendi, eos probare magis erga patriam suam pietatem, et fidem, quam certam rationem sui consilii sive rei, sive orationis vitio explicare suadentes id quod male reipublicae conducere existimarent: neque enim solum, quam necessario esset id agendum, de quo consultatio esset, sed quam recte etiam, facile, tuto id posse agi crederetur, considerari oportere. In eo rerum discrimine Vngarorum res verti, ut neque soli essent pares sustinendo bello, quod ultro inferendum alii suaderent; neque spes esset ulla reliqua, per Christianorum regum consensionem, quorum vires tot annorum continentia bella fregissent, Selimum hostem magna fortuna, et felicitate suo imperio adiunctis orientis opibus, praesentibus viribus debellandi. Qui, ut etiam, male gesta re, ex Asia rediret, quemnam dubitare posse, cum nullae Vngarorum copiae essent, quibus obsisterent Selimi viribus affectis, ad quas vellet illos condiciones securum de belli exitu, perducturum? cuius quidem male gesti invidiam, quae semper miseros, ubi suo merito perirent, sequeretur, qua ratione se deprecaturus sperarent, qui principes sua sponte quiescentem essent bello adorti, quemadmodum nulla provocati iniuria, sic violato gentium iure, quod, foederum, et religionum omnium contemptores, negare

haud possent? Non Vngaros adversus Selimum, barbarum hostem, crudelem, immanem, (adderet, si placeret, eundem hominum in vita prodigium, et portentum) suscepturos bellum, sed adversus dei immortalis religionem, per quam iure iurando, et summa cum caeremonia sancitam, ictum cum eo foedus esset, quod quidem bellum patriae infelix, atque inauspicatum (averteret a suis deus tam triste omen) omnium maxime memorabili exemplo, quod patrum aetas (pos)teris exsecrandum detestandumque (re)liquisset, essent gesturi; cuius recordatione aequum esset, Vngaros a tam foedo consilio deterreri; cum minime dubitari oporteret, quin in simili re violati foederis deus ultor vindexque Vngaris immineret. Refricabant vero hoc loco grandes natu homines, tristi commemoratione et minacibus verbis rem per se foedam gravemque augentes, Vngaris, acceptum vulnus Vladislai tempore, qui Vngarorum idem, idem Polonorum rex, Iuliano Caesarino Eugenii pontificis legato suadente, Amurathi Turcarum imperatori arma intulisset, rupto foedere, quod summa religione cum eo percussisset; cum vanis pollicitationibus inflatus iuvenis, et maioris animi quam virium, affuturas gerenti rem universas Europae vires, de victoria minime dubitaret: quam illius spem, irato numine pro meliore caussa stante, similis auspiciiis eventus frustratus esset, ad Varnam rege fortissimo, suae aetatis flore, cum maiore exercitus parte caeso: qua plaga nusquam Christiana respublica graviores accepisset. Nam quo maiore invidia victi laborarent, quorum afflictas res, sequi hominum misericordia consuevisset, commisso proelio, iussisse tum barbarum regem, in confertos signa inferri, Christi in crucem sublatis imagine in vexillo praelata, qui adversus divini iuris

violatores, pro iis staret in acie, a quibus ius, fas, religio staret, et proditae fidei a sceleratis exigeret poenas. Ac Selimi quidem vires, quantumvis attritae bello, et debilitate dicerentur, nullo negotio instauratum iri, subito delectu, e iuventutis flore, in supplementum milite scripto; ut quidquid detrimenti Parthico bello esset acceptum, sarciri facillime posset. Bellum autem, ut cetera abessent, sua sponte Vngaris grave, hostis dirum, atque inexorabile odium in sacrosanctum Christi nomen, et religionem, formidolosum efficere. Nihil enim verius, quam quod belli suasores audirentur usurpare: adducturum illum exercitatum militem per longinquam militiam, multa emeritum stipendia, duratum adversus omnia belli incommoda, multis perfunctum in Asia, atque Europa bellis, quem esset excepturus Vngarus miles conscriptus tumultuario delectu, et qui nomine tantum gentis gloriam, atque inanibus nobilitatis titulis tueretur. Non eandem fore rationem (. . . r) infinitam licentiam insectantium suos, paganos homines, rusticam, atque imbellem turbam, ac descendantium cum Turca hoste in proelium; qui ita de summa rerum esset dimicaturus, ut non arrogantibus verbis, et inanibus minis, quibus inertes homines se vulgo venditarent, sed fortitudine, et vero animi robore, inter suos aequae, et inter hostes insignis pugnaret: ut si male audirent Vngari apud nationes exteras, ita de suis meriti, eo illis aequiore animo ferendum videretur, quo ipsi magis, ne praeclarius audirent (a)uctores essent. Duplici vero nomine plectendos, et quod sibi privatim, et quod patriae dedecori essent, cuius salus bonorum consensu (non enim omnem nobilitatem, cum sceleratis hominibus, in regni excidium conspirasse) frustra niteretur. Emollitum quasi pestilenti, et dira tabe, longo iner-

tiae malo, nativum illud, atque invictum maiorum robur, quorum pectora semper firmissimae arcis loco, Christianae reipublicae hostibus opposita stetissent, quae ita uno hoc praesidio fulta, et munita inniteretur, ut quem belli exitum Vngari haberent, cum communi hoste gerentes bellum, cum quominus sibi communem censerent ceteri Christiani populi, non possent recusare. Namque ad eum diem, nullam spem ostendi, quod saepe Romae peramplis ac magnificis verbis ostentatum, et in regis consilio iactatum esset, e Gallia, Italia, vicina Germania auxilia affutura, foventibus inexpiabilibus odiis regum discordias, quae lassarent vires citius, quam animos, quam longissime a pacis studiis abhorrentes: ita enim nonnunquam videri pacem quaerere, ut eius rei minime dubiam causam praeseferrent, non quiescendi ab armis, sed sumendi spatium ad instaurandas vires, eundem spectantes armorum finem, qui odii esset; quod quidem inexorabile, atque implacabile, nulla certa excogitata ratio posset sedare. Deflagrasse iam per tot saecula illum regum animis pietatis ardorem, quo certatim incensi, propriis relictis regnis, arma in Christi hostes expediebant. Potuisse olim maiorum memoria pontifices, sed vere illos pontifices quidem, et maximos et sanctissimos, secum trahere regum cattervas, quos vera pietas ab ultimis terrarum finibus ad tam gloriosam expeditionem exciret; potentissimos populos; maximas civitates; exercitibus terram; mare classibus sternere; descensuros in aciem fratres, et ferro de regni possessione certaturos in concordiam redigere. Hoc vero modo? Immo potuisse eo adducere aemulatione verae laudis, ut in spem certae gloriae erecti, iidem laborum gerendo bello, praemiorum iidem consortes, quae sibi maxima, parta de hostibus victo-



ria, sponderent, discerent regna aspernari, multo amplio- rem gloriae titulum, liberatae sacrae urbis, ab impia barbarorum dominatione, quod praemium summae virtutis, et pietatis esset, consecuturi. Neque alienos ab hac laude fore praesentes reges, si eius sententiae auctor Christi pontifex praesto esset, qui exemplo magis, quam verbis reges adhortando, monendo, privatis consiliis publica potiora habendo, sibi ad posteritatem monumenta clariora pietatis, religionis, fortitudinis, constituenda censeret. Quae vero auxilia Vngaros, ab iis posse expectare, quibus cum non sufficerent animis vires, ad sese mutuo conficiendos, cum eo ipso hoste infestissimo Christiani nominis, tantum non pacis foedera inirent, ut esset quicum consociatis armis, Christianam rempublicam perditum irent? Pasci modo Vngaros inanibus titulis, decretis, in speciem magnificentissimis, crebris litteris, pietatis, et religionis illustribus nominibus refertis; verum robur, et solidas vires, iis suppeditari, quorum armis futurum esset (obrueret enim vero deus tam execrandum omen) ut aliquando Christianus orbis, qua longe lateque pateret, subderetur Othomanorum imperio. Si vera pietas, si religio insideret animis; serio aliquando cogitatu- ros Christianos reges de Turca debellando, atque adeo, ut id vere illos velle, non ostenderent grandia verba, et inani vento ambitionis tumentia, sed, per sublatas discordias, conciliati animi, et, quo proxime hostis barbarus immensis circumseptus viribus incumberet, conversa arma. Minime certe dignos Vngaros, qui ita ludibrio haberentur, si eorum in Christianam rempublicam merita, posita in excelso loco reipublicae ne quemquam possent fugere, spectarentur. Quot vero iniuriae, quam insignes in tam fallaci ratione in Vngaros in-

esse? Ex his, cum multa essent, vix constitui posse, quae indignior, gravior, maior habenda videretur. Destitui fortissimam gentem, verbo arrogantia abesset, defendenda Christiana religione, finibus propagandis, barbaris hostibus igni, ferro persecutendis, iam pridem habitos principes, et quidem ab iis destitui, a quibus maxime eos sublevari aequum esset. Prodi a Christianis regibus Christianam rempublicam impiis hostibus, tot populos, nationes, tot gentes, quibus esset in terris sanctissimum Christi nomen: ut miserorum aerumnae, quamquam ingentes, non moverent magis, quam earum auctores, a quibus essent propulsandae illatae ab aliis: quae mala enim sua sponte dura, atque acerba hominibus contingerent, etiamsi eodem modo semper laederent, effici tamen ab eo, a quo manarent graviora. Non Vngarorum mala a Selimo hoste invehì, non a Scythia immani, non a Persa religione, institutis, legibus, moribus ab iis diverso, sed a Christianae reipublicae moderatoribus, quorum principes partes essent, in Selimum communem hostem invehendi. Laedere vero non minus, qui cum posset, iacentem non sublevaret, quam qui e summo ad infimum deiecisset, hoc natura homini praescribente, cuius proprium esset, iuvare, fovere, opem implorantibus esse subsidio, ut crederet in neglecto officio insignem iniuriam in universum humanum genus, contineri. Quae cum ita se haberent, abiectis belli consiliis, quae Vngarorum praesentia tempora non ferrent, non videri committendum, ut suscipientes parum opportunum bellum, impares viribus, certo suo exitio, nullo levamento malorum, Christianorum regum, qua flagrant, invidiam augerent; cum hoc percrebresceret, per illos factum esse, ut populi exteri, qui possent, et velent Vngaris adesse, implorantibus opem adversus ho-

stem barbarum, viderentur defuisse, magno quidem eorum dedecore, qui receptum pietatis munus, quo die inaugurati, regni honorem iniissent, minus praestitisse convincerentur. Nam Venetos vix esse sperandum ad bellum consensuros, saepe infelicibus auspiciis terra, marique cum Baiasete congressos. Accedere ad haec recentis in illos beneficii memoriam, cum ingenti belli mole oppressis, ne succumberent victi, hostis unius suae fidei, et constantiae memor, ultro auxilia pollicitus esset. Et si vero beneficii genus praeposterum videretur, in eum quem liceret evertere, iniuria abstinere; in barbaro tamen, foederum ac religionum omnium hoste, qui beneficium, et iniuriam, non ex alterius. sed ex suo sensu commodoque metiretur, insignis beneficii loco habendum; praesertim cum e victi, et prostrati ruina, augere magnis accessionibus ditionem, atque imperium posset. Cuius beneficii quamdiu non obliviscerentur, quem posse sperare, Venetos hanc mortuo gratiam relatuos, ut cuius constantia, et fide, adversus terrarum orbis consensum, imperium invicti retinuissent, eius posteros ultro oppugnatum irent. Reliquum esse Sigismundum Ladislai fratrem; ad quem grave bellum gerentem, qui confugiendum censerent, eos sedulitatem magis suam in fungendo pietatis munere, quam prudentiae partes in dando consilio praestare. Agnoscere Polonum suas vires, quas ita attereret Moscus perpetuus hostis, ut esset existimaturus secum bene agi, si abhorrentem sua sponte ab armis Selinus quiescere pateretur. Ita, quod accideré necesse esset, Vngaros hosti crudelissimo obiectos (averteret hoc a suis propitius deus) perditum iri, exterorum quidem regum magna infamia, qui per Christianorum, et populorum ruinam crescere, quam per Turcarum eversionem mallent; sed sua tamen non levi cul-

pa, quae multo magis auget domesticam mala, non a Selimo prius hoste, quam a suorum temerario consilio inuenta. Neque illud solatii miseris reliquum futurum, quod nemo unquam in suo gravi, et adverso casu desiderasset, ut cum aliorum misericordia perirent; nemine non existimante Vngarum dignum eo malo, quod sibi ipse sciens, et volens conscivisset. Nam si quid durius accideret, de victoris misericordia multo magis esse desperandum; qui quidem eo vehementius esset in victos saeviturus (id quod alii etiam vidissent) quo iustius quereretur, ad se opprimendum, difficili suo tempore, per apertam defectionem Vngaros foederis religione abusos. Et tamen, quod in praesentia urgeret, non defuturam regi opportuniorem rationem quiescenti a bello, qua intestinum malum per nobilitatis, et plebis discidium ortum tolleretur. Secessisse olim in maximis civitatibus plebem a nobilitate, exagitatam principum iniuriis, quae tamen sapientium hominum consilio, et virtute se iis reconciliari, per aequas condiciones, et reipublicae salutare leges passa esset. Neque vero ita male agi cum Vngarorum gente, ut non esset sperandum, quemadmodum olim Romae aliquando reipublicae amantes homines excitatum iri, quorum sapientia, iniuriis omnibus oblitteratis, agrestis, et urbana plebs, per pacis aeternum foedus, cum nobilitate coirent, hoc statuentes, quorum esset unum corpus, una communis patria, omnium parens; unam atque eandem communem salutem omnibus procurandam, quam pari consensu, concordibus animis, sarctam tectam adversus omnes impendentes calamitates domi forisque tuerentur. Hoc tutius consilium, certe, ut in fluxis rebus, honestius, eo debere existimari, quo minus, qui dissentirent, certum consilium haberent, quod sequerentur: neminem enim

posse dubitare, quin bellum neque legitime per foederis religionem, neque tuto per praesentem rerum statum, atque hostis potentiam, a foederis violatoribus susceptum, tristem, ac funestum exitum esset habiturum: non enim, id quod vere ab aliis usurpatum esset, cui obstricta fides, sed a quo esset obstricta, neque in quem, sed a quo violata esset, oportere spectari: ut si quis, pro ratione suorum temporum statueret fidem sibi, aut servandam, aut frangendam, quod eam hosti perfido obstrinxisset, is intelligere deberet, se ita agendo, meliorem hostis caussam, cuius, in admittendo facinore, aemulator esset, suam facere deteriore; ut enim virtutem, etiamsi in hoste eniteat aemulandam, ita flagitium, et scelus non in hoste solum, sed in parente quoque detestandum. Incidit in hunc modum de bello consultantibus Thomas Cardinalis, quemadmodum diximus, Roma profectus, sed, ut fama eorum, quae Romae acta essent, multo ante illius adventum ad regem perveniret. Inde magis in dies percrebrescens, ex Vngaria ad finitima Turcarum praesidia, et prostremo ad Selimum etiam Prussiae hibernantem manavit. Quae omnia maiora vero, pro suo quisque sensu veris falsa addendo, afferebat: Eductum Romae e sacris penetralibus crucis vexillum a pontifice maximo, immortalibus praemiis propositis iis, qui in sacram militiam, crucis insigni sumpto, nomina profiterentur. Tantum eorum fieri concursum, qui nomina darent, ut non sufficerent undique confluentium studiis, qui iis auctorandis, et militiae sacramento adigendis, praeficerentur. Ergo Cardinalis legatus, per eorum factionem, quibus geri bellum placebat, frustra melioribus dissentientibus, qui certam inde pestem, et ruinam Vngaris portendebant, pontificis edictum promulgare constituit, optimo ille quidem animo, sed mi-

nime ex Vngarorum tempore, qui, saeviente intestina peste, haud satis liberis animis possent externo bello vacare: In eo quidem satis a se regi cautum credebat, si non, tamquam unus e regiis ministris bellum suaderet, ne violata foederis religio, regi apud hostem fraudi esset, sed tamquam pontificis legatus, cui liberum ius in Vngariae regno, atque orbe Christiano universo incendi sacrum bellum, auctorandi milites, et cruce signandi Leo pontifex permisisset. Iam enim undique magnus numerus voluntariorum confluebat; quorum studia legatus, quamquam satis per se (ve)rae gloriae aestu flammantium, adhortando ultro, atque excitando ad virtutem pietatemque capessendam animis, confirmabat, nulla adhuc certa exorta fama civilis motus, qui inter sacrum bellum promulgandum est excitatus. Hoc quidem Leo, sibi finxerat animo, et sua sponte studio gloriae incensus, et assentatorum vocibus inflatus, quorum greges alebat; florenti aetate pontificatum adepto speciosissimum ad hominum existimationem futurum arbitratus, quos in magnam sui expectationem erexisset, ubi ostenderet, eadem fuisse sui imperii auspicia, et tanti hostis ab Europae finibus pellendi; cuius gloriae superiores pontifices videri cupidi magis, quam vere esse voluissent. Iam Thomas Cardinalis, non audente rege pontificis auctoritati obviam ire, antiquo ritu operatus, Romae compositum edictum, populorum laetis ominibus promulgaveret: atque inde egressa fama urbe regia, et latius ad finitimas gentes, ut diximus, pervagata, non superiorem solum inferioremque Vngariam, Illyrios, Triballos, Dardanos, Moesos, sed gentes etiam populosque omnes, qui Danubium ad Pontum usque Euxinum accolunt, ingenti ubique concitato motu, conciverat ad bellum: cuius gerendi principes partes, Vngaris con-

sensu omnium deferebantur, et peritis cum Turca bel-  
landi, et quorum maxime intererat bellum ex sententia  
geri. Atque in principio quidem, edicti fama gliscente,  
suscepta animis pietas, et religio, hominum studia ac-  
cendebat, sibi per adeo gloriosa arma, celebre viventi-  
bus nomen; quibus contingeret in acie cadere, beatam  
vitam, atque aeternam felicitatem spondentium. Quam  
tantam animorum conspiracy, brevi seditiosorum  
hominum furor, atque amentia disiecit. Per eos spes  
primum multitudini iniecta, quae, ubi esset ad arma  
eundem, belli duces sui ordinis homines, et nobilitati  
infestos quaerebat, iisdem armis, quibus essent rem  
gesturi adversus Turcam, se a principum iniuriis vin-  
dicandi: quae vires enim antea distractae, latebant;  
per oppida passim, et circumiectos pagos, hinc colendis  
agris, illinc exercendis urbanis opificiis occupatis, per  
hanc coitionem, parum aequa fortuna sub unum aspec-  
tum posuisse videbatur, minus ad eum diem, quantae  
essent suae vires agnoscentibus. Laeti vero audiebant  
nefarios, et sceleratos homines, qui se ferrent seces-  
sionis auctores, non illos quidem plebis sublevandae  
studio, cuius incommodis parum movebantur, sed iudi-  
ciorum, et legum metu, ob insignium maleficiorum  
conscientiam novis rebus studentes, cum seditiosis vo-  
cibus in principum causam invecti, erigerent afflic-  
tos in spem recuperandae libertatis, quo nihil facilius  
erat, et veterum et recentiorum iniuriarum memoria  
miserorum sauciis animis. Eo vero vehementius ab iis  
obiectum libertatis nomen expetebatur, quo magis eius  
essent dulcedinis expertes: ut iam sibi inter se blan-  
dientes, meliorem de suis rebus spem susciperent, qua-  
rum statum deploratum habebant, neque solum de suis  
vindicandis in libertatem, sed de ulciscendis etiam li-

bertatis oppressoribus cogitarent: quam voluptatem saepe multi magnitudine iniuriarum victi, iactura carissimarum rerum atque vitae adeo redemerunt. A tam foedo initio, in dies magis in apertum erumpente sceleratorum hominum audacia, sensim inter se serere sermones, communicare consilia, excitare languentes, si qui essent segniore, incendere, atque inflammare. Sero quidem, sed aliquando tamen respexisse miseros fortunam, a quorum salute diu fuisset aversa, occasione oblata, non expectantibus quamdiu optatam nequidquam quaesissent, agnoscendi domesticas vires, quas ad eum diem ignorassent. Sed non esse iis satis in fortuna subsidii, qui cum fortuna non coniungerent virtutem parem. Obtulisse fortunam occasionem modo gerendae rei, quam saepe inertes, mora corrumpere: reliquas esse eorum partes, quibus occasio oblata esset, ut cum opportunitas, et facultas agendi adesset, unam voluntatem de suo adderent, quae a fortuna inchoatum perficeret opus. Primum vero facere ad virtutem gradum, qui praeclare vellent; altius conscendere, qui quae vellent praeclare, freti animorum fiducia auderent; summum tenere, qui, quo spem intenderent duce usi acri, atque impigro, pervenirent. Conspirarent modo inflammati mutuo ardore animorum adversus reipublicae oppressores: ut caussa superiores essent, sic virium robore superiores futuros, praesenti numine pro iis stante, quibus nihil subsidii aliunde ad salutem esset reliquum, nobilibus hominibus ad iniuriam obiectis, quos in dies in se experirentur taetriores. Omnia adesse volentibus, quae terrorem inferrent adversariis; fiduciam suis; ingentes copias, e sui corporis hominibus, novum quidem militem, sed ex delecta iuventute, non corruptam urbano otio, atque inertia, sed



colendo agro, iuxta frigore, aestu, labore, vigiliis ad omnia belli incommoda subeunda, a primis annis exercitatum: ut non solum esse usui reipublicae ad imperii fines tuendos, propagandosque, sed terrori etiam hominibus crudelissimis esse possent, quibuscum multo funestius miseris esset gerendum, quam cum Turca bellum, quem, omni genere crudelitatis vexandis suis, longe superassent. Voluerent modo animis quae quisque domi per vim, et per contumeliam passus esset, quae edita in se, atque in suos exempla libidinis, avaritiae, crudelitatis: hoc satis illis ad spem certam victoriae futurum. Ac quamdiu necessitas quaedam rerum hoc tulisset, ut sua, maiorumque virtute indigna perferrent; tolerantiam eorum, atque aequitatem fuisse laudandam (quibus enim viribus adversus fatale malum pugnarent!) at eam ipsam laudem in secordiae, atque inertiae dedecus verti, ubi dei immortalis beneficio oblatam occasionem sui liberandi, ut viros fortes deceret, non agnoscerent. Nullam iam rationem reliquam miseris superesse, se adversus vim superbissimorum hominum tuendi: quocumque enim perfugissent, opem in malis quaerentes, nequidquam omnia expertis irrita cessisse: non suorum aerumnis tantis, non egestate, non fame, non sordibus, non vita omni morte taetriore, moveri crudeles animos, et deliniri posse: cum enim eo licentiae proveherentur, ut a nullo genere iniuriae in suos abstinerent (quibus maxime illos indulgere, si pietas ulla pectora tangeret, aequum esset) ex eorum praedicatione, quae in illos crudeliter, et nefarie admitterent, laudem quaerere: quasi haud satis de suis male mererentur, nisi veteres iniurias, et maleficia, novis iniuriis, et maleficiis cumularent, novo contumeliae genere iis domesticum luctum, atque acerbitatem augentes: neque enim illos

conceptum in miseros odium ullis finibus circumscriptum habere; quos quidem novis quotidie calamitatibus, atque aerumnis inferendis quibus saevirent in tot malis fessos, deficerent vires. Vnum olim fuisse reliquum miseris solatium tot perditis malis, ut cum iis afficerentur, intelligerent hominum conscientiam fugere, veriti, ne ubi ea emanarent, fuisse parum strenui iis vindicandis crederentur: eo se tum solatio privari, quorum calamitates, atque infortunia, quo ea ferrent iniquiore animo, nobiles homines, qui eorum essent auctores, vulgo in foro linguae intemperantia iactarent. Eandem suam fortunam domi, et militiae esse: in bello enim unum semper, atque eundem rerum exitum omnes manere, ut pararetur victoria per miserorum vulnera, sanguinem, caedem: victoriae fructus ad beatos homines perveniret, cum miseri, sive vincerent, suis civibus multo in se infestioribus uterentur; sive vincerentur, praedae hostibus externis essent. Agi de bello Turcae inferendo, qui quiesceret suae religionis, et fidei memor; non solum vero temerarium facinus, sed impium etiam atque execrandum, lacescere bello, qui fretus religione foederis, a belli consiliis haberet alienum animum. Neque posse dubitari quin proditus hostis per violatum ius gentium, perfecto asiatico bello, poenas armis a sceleratis esset expetiturus, cum ad cetera mala, non possent recusare quin aeterna labe infamiae, tanto admissio scelere, in omni posteritate notarentur. Non Turcas hostes petendos armis, qui longe abessent a belli consiliis, sed qui in oculis haerent, quorum crudelitatem nullae possent explere miserorum clades, cum suis, nullo intermisso tempore, perpetuum bellum gerentium. Haud opus esse hostes quaerere foris, qui domi haberent: domesticum ante

conficiendum bellum, in sinu, et visceribus haerens, quam Turcae inferendum. Nullos esse acriores morbos, quam qui in vitales partes penetrarent; iis obsistendum viribus omnibus, igni, ferro, telis, tormentis, ut inde instauratis animis, ad arcenda foris impendentia mala essent pares. Haec atque alia huius generis multa, sensim in apertum erumpente vi intestini mali a principio inter paucos serebantur, caussa periclitandi leviora ingenia, in quibus inerat acrior malorum sensus, quam consilium, et audacia ad ea quae perpetiebantur, vindicanda: mox ex iis, qui apud plebem gratiosi magis, et promptiores lingua habebantur, sumpta fiducia a multitudine hominum, quorum in dies maior numerus ad signa confluebat, aut ea ipsa, aut horum similia palam concionabundi iactabant. Etsi vero adhuc in multis vigeat pietatis studium, una res alte insidens proborum animis, non poterant tamen facile domesticorum malorum oblivisci, quorum aculeus altius in animum descendebat, quam ut retundi facile, aut tolli posset. Itaque, ut maxime moveret altero quoque verbo usurpata pontificis maiestas; plausibile sacri belli nomen; amplissimorum praemiorum spes, honorum, militiae munerum, una iniecta viris fortibus illecebra ad rem strenue gerendam; eminebat in his tamen recrudescens odium recordatione malorum, quae erant perpessi; quo elati, dulcedinem ulciscendi inimicos, nulla etiam gloriae, aut commodi spe, ubi eius daretur facultas, erant cupidissime expetituri. Iam in magna hominum colluvione undique convenientium, quod vix poterat vitari, multi improbi habebantur, facinorosi, impuri, egentes; multi qui aut insedissent publica itinera, piraticam fecissent, aut per dedecus, atque ignominiam, facto patrimonii naufragio, decoxissent,

aptissima hominum manus ad perturbandum, per occasionem rerum novarum reipublicae statum. Vt vero non omnes iisdem de causis moverentur, sic finem eundem fere spectabant, per speciem expiandi scelera, quibus vitam contaminassent, spe praedae incitati, quam uberem sibi, et luculentam, ex sententia bello confecto, pollicebantur. Magna haec, atque in primis gerendo civili bello apta manus, quos positos in summa egestate, per immanium scelerum et flagitiorum infamiam amissa honestate, victus malis artibus quae-situs alebat: quae res semper, ubi classicum cecinit, uberem annonam, militiam profitentium fecit. Frequens horum concursus ad signa, per se ingenti coorto incendio faces subdebat, ne qua spes esset, nisi regni insigni motu per bonorum consensum posse restingui. Quae quamquam ita erant, non ulterius tamen improborum coniuratio progrediebatur, quam ut quid velent appareret; quid possent efficere subnixi praesentibus viribus, ubi dux accederet temeritate, atque audacia par, prudentes homines, et periti rerum, sibi spectandum censerent. Interea coquentes animis perniciosi belli consilia, inter se certatim monendo, atque incitando occulte odia fovebant, quae mox in nobilitatem, et, per principum fractas opes, in regni universi perniciem essent effusuri; quominus in apertam defectionem res traheretur, nemine adhuc prodeunte in medium, qui se temere inconditae multitudini ducem ferret. Quantumvis vesana libido inflammaret furentium animos, nihil prius tamen agi placebat, quam ducem nacti, in spe certa essent, incepta maturantibus ex sententia successurâ: quae una res non solum audacia, sed, ne ea in temeritatem verteret, succincta armis, consilio videbatur expedienda. Non ulterius ta-

men vulgo provehebantur, quam ut inter se libere agerent de iis quae a seditiosis hominibus ferebantur; cum quidem gratias deo immortalis agerent, qui aliquando miserorum caussam suscepisset, confirmantibus iis ipsis sceleratis hominibus, qui capita coniurationis habebantur, piis suorum votis deum inimicorum ultorem, propitium affuturum. Iam cum in unam essent curam intenti, ut in dies vires maiores praesentibus adderentur, in eo maxime vigilabant, ne, quod erat in multorum conscientia timendum, foras consilia emanarent, ita sperantes imparatos adversarios a rebus omnibus, ubi perficiendi facultas adesset, sese oppressuros.

In hoc rerum discrimine tanto quamquam vehementer Vngaria laboraret; in dies tamen magis hominum studia flagrabant in sacram militiam coeuntium, eadem conspiciebatur animorum alacritas; in omnium ore religio; Christi nomen; liberandus terrarum orbis ab impotenti Turcarum dominatione; recuperanda urbs, quae per diu sedes fuisset maximi imperii; victoriae laeta, ac fausta omnia, propagatio finium, opulenta praeda, militiae decora, fama, nomen; ut non proficisci ad bellum, sed patriam repetere hinc onusti hostium spoliis, hinc partis magnificis victoriae titulis, omnium hominum beatissimi viderentur. Quae dum diversis in regni partibus geruntur, Cardinalis legatus ne ita incensis hominum studiis in tam gloriosam expeditionem videretur, defuisse; frequenti populi conventu, qui ad eius rei famam in regiam urbem conveniant, dicitur in hunc modum verba fecisse: Bene sane vobis, Vngari, atque feliciter evenit, quorum praeclaris studiis, Leo Decimus pontifex favens, divino suo beneficio effecit, ut, quod vobis bellum erat

necessario suscipiendum reipublicae caussa, difficile idem vobis, vestro minime opportuno tempore, adversus hostem potentissimum gerendum, melioribus vestra spe auspiciis, tanto auctore pontifice susceptum, laetum vobis exitum sponderet. Et vos quidem, quae vestrae partes erant, praestitistis, ut damnata fallaci foederis superstitione, qua vos irretitos callidus hostis tenebat, eodem consensu, bellum vobis decernendum censeretis: et pontifex partes praestitit suas, atque adeo vestra spe cumulatus, ut praeclara vestra studia, quibuscumque posset rationibus, foveret. Cuius quidem adhortationibus, quo alacrioribus animis parendum vobis censeatis, cum vos alia multa, tum hoc unum maxime movere debet; quae vestra ad hunc diem causa fuit, iam Christi caussam haberi, communem illam quidem gentibus omnibus, quaecumque eius nomen sanctissimum profitentur, sed praecipuam vobis tamen et propriam vestram, quorum iugulis e propinquiore loco imminent immanissimi hostis infesta tela. Magnum exortum in Asia incendium, omnium post natos homines tyrannus taeterrimus, insita animo ferocia alit, uti subita belli procella fratre extincto, inde adhuc incensas belli faces, vestris aedibus, urbium tectis, sanctissimis Christi delubris subiciat: quod adeo dirum omen deus a suis avertat, uni infestus, qui idem suorum hostis acerrimus, paricida sceleratissimus, diris, atque immanibus auspiciis est summum in terris imperium adeptus. Itaque quamquam iustissimam vestram caussam, quae eadem Christi est, vestra pietas religioque efficiat, multo illam tamen facit hostium genus, qui cum bellum est gerendum, iustiozem. Nam quod Turca sit, quod Scythia; quod ex ultima barbarie sit in Christianum no-

men universum odio inexorabili; iusta quidem vobis caussa est, ut vobis illum execrandum animo persequendumque armis censeatis: sed aliae sunt vobis in illum odii caussae iustiores, si vestrae pietatis memores, et illius sceleris estis: non enim hominum ille hostis prius, quam naturae parentis omnium, cuius esse debent homini sanctissima iura, quam dei immortalis, per quem vivimus, alimur, movemur, sumus. Patrem sustulit veneno, ab eo in lucem susceptus, fratres ferro minimus natu, quos gentium iura praeferrent adeundo patrio regno; ab iis susceptos liberos, qui in spem tanti adipiscendi imperii alerentur; ut per caesorum tumulum, madens, et redundans innocentium sanguine, sibi in regiam aditum patefaceret. Cum hoc vobis hoste Vngari, est gerendum bellum, cum crudelissimo paricida, e recenti suorum coede, cruento ore vestrae libertati inhiante; cum eo, cui non prius licuit pervenire ad summum imperium, quam obstantia divina omnia, atque humana iura temerario ausu transcenderet; cum hoste gentium, populorumque omnium; quem vobis non vestra arma prius, quam conscientia ingentium scelerum constrictum tradet. Neque vero est, cur vos a praeclaro incepto terreat tam sceleratus animus. Non augent, sed adimunt vires sceleratis, quae impie agunt: extorquet enim facinorum conscientia ab invictis poenas, ut maxime iudicem, tortorem, carcerem fugiant, quas pro iis debitas, quae nefarie admittunt, dies noctesque ab infesto numine verentur. Quidquid domi, foris, pacis, belli tempore, mari, terra moliantur, prospicientes animo imminentem fati vim, domi insidias, apertam vim foris, in acie hostium gladios, in mari naufragium, terra latrocinia, sicas, venena, et quae divinitus impendent, alia omnia, morbos, adver-

sas tempestates, contractis formidine animis, in eorum scelerum expiationem, quibus se contaminarunt, perhorrescunt. Vobis, viri fortissimi, haec est destinata gloria, haec vobis desponsa laus: vobis, inquam, quorum maxime virtute Christiana respublica stat, Leo Decimus pontifex maximus tradit adeo immane monstrum conficiendum, vobis vindicanda tot illata vulnera Christianis populis, quae magno cum nostro dedecore, sempiterna regum infamia, hostis barbarus iis late victricia signa circumferendo, infixit. Haerentia adhuc vobis in iugulis cruenta tela, quasi e Christi corpore sanctissimo, cuius estis nobilissima pars, revelanda, atque in belluam hanc importunissimam contorquenda sunt; quae, foeda, atque abominanda lue, nisi a vobis in patriam cornua obvertenti armis occurratur, Europam omnem inficiat, qua Asiam olim, Syriam, Aegyptum, Africam omnem a rubro mari, ad Atlanticum oceanum longe, lateque pervagando infecit. Non iam vobis Ladislai regis, sed Christi imperatoris auspiciis; non mortali homine quem commendet summa virtus, sed Christo duce, vobis merendum est, si vires spectentur, invicto, si sapientia, qui idem dei filius, idem ipse est deus. Equidem, viri fortissimi, incredibili fruor animi voluptate his ita vobiscum nunc commemorandis: neque enim iam vos gestu, fronte, oculis, sed secunda admurmuratione, qui vester sensus de toto hoc bello sit, quae spes, primo statim ingressu meae orationis, prae vobis ferre animadverto. Neque vero umquam, bello confecto, ambitiosus imperator attentius auditus est militem bene de republica meritum prosequi militaribus donis; ornare hostium spoliis; agro donare; quam me vos auditis de eo bello agentem, cuius vix insignibus honestati, vobis praemia



amplissima spondetis; quae enim expetenda aliis, vobis praecipue speranda sunt, opima spolia, luculentam praedam, insigniores militiae honores, immortalam gloriam, famam, nomen, et merito quidem; qui gerendo adversus Christi hostes bello, semper vobis vindicatis praecipuas partes. Quod vero umquam gestum est bellum, hoc uno memorabilius, in quo aequae, et vincere, et vinci praeclara est victoria habenda? Enimvero tum maxime vincit Christus, cum vinci maxime videtur. Ita olim vindex humanae salutis, de terrarum orbe universo, de inferorum impiis sedibus, de morte, de hoste humani generis in crucem sublatus triumphavit. Quae porro beatior vita, quae copiis, voluptatibusque omnibus affluentior, quam quae, pro Christi causa, appetitur in acie mors? quid enim aliud est, cadere pro auctore vitae, quam, exuta mortali natura, facere ad immortalitatem gradum? Sed laetiora vobis libet omnari. Quod sum statim in principio praefatus, id crebro mihi repetendum est (in eo enim vertitur summa belli) tria haec vobis alte infixam animo insideant, et qui ipsi sitis, et qui is sit, pro cuius causa estis pugnaturi, et adversus quem hostem. Ita confirmatis animis, ite alacres ad bellum, inferte in hostem infesta signa, conserite manum: vicistis. Difficile inquam, per se bellum, grave aliis, dubii eventus, vestra vobis virtus, Selimus hostis, Christi causa facile explicatum efficiet. Hostis barbarus, divini, atque humani iuris, religionum omnium contemptor, dei immortalis, gentium populorumque omnium hostis, in scelerum impunitate non est diu futurus felix, unus, in summo rerum omnium fastigio suis pariter, atque exteris invisus; unus, cuius truculenta barbaries, iustissimum in illum omnium odium concitat; cuius dies noctesque exagitatus ani-

mus domesticis furiis, dei immortalis iram ultricem, impiae menti obversantem, horreat, refugiat, reformidet. Aderit vobis propitius deus conficientibus in terris fatale monstrum, et quidem iugulatum prius maleficiorum conscientia, quam vobis armis in acie sternendum. Qui unus est Vngaris hostis, ei sunt infesta omnia, terra, mare, coelum, lux haec vitalis, qua fruimur, quae violata ab eo, teterrimo paricidio illi certam ruinam, atque exitium minantur; neque enim est passurus deus, ut unde animantes omnes haurire spiritum, et vitam creduntur, ea unius contaminato spiritu contacta, vitae hominum exitio sint, cui natura voluerit salutaria esse. Quanta vero Vngari, vos fiducia, quanta vi animorum, et robore munit, pro Christi victoria in acie pugnatuos? Quanta vestra futura laus, ubi vitam naturae debitam videamini maluisse in acie profundere, quam domi transigere turpi otio et deliciis diffluentem? Cum vero vobis permulti comites gloriosae huius expeditionis sint, ex Italia, Germania, Hispania; permagni ad vestram gloriam interest, utrum vos illos principes sequi, an vos illi; vestrae illi virtutis, quod malim, an vos eorum aemulatores videamini. Sed tollit hoc dubium insita vobis a natura magnitudo animi, et gloriae, atque laudis aemulatio, ut quemquam vobis patiamini in tantae laudis contentione antecire. Tanta apud omnes opinio de vestra virtute est, fama rerum a maioribus gestarum per multa saecula propagata; ut in conserenda cum hoste manu, nisi principes, cum hoste conferre signa, pugnam inire, irrumpere in armatas acies conspiciamini; victoriam aliorum virtute partam, vestrum dedecus, atque infamiam statuatis. Est haec una, inquam, omnium de vobis existimatio, vos viros fortissimos, aeternos huius

tetrae barbariae hostes, unde vobis certa gloriae materies, atque instrumentum, ita vestra sponte hanc artem tutissimam totius Christiani orbis vestris copiis, viribus adversus vim omnem defensuros, ut cum vobis immortalia praemia, pro vestra maiorumque pietate debeantur, nemo non censeat, iis vestra merita esse potiora. Vestrum, Vngari, hoc decus, vestra haec gloria, pro qua vobis, si usus requirat, profundenda vita in acie est, omnibus gentibus esse persuasum, Vngaros assuetos a Turca hoste petere verae gloriae insignia, non magis necessitate defendendae patriae isse ad arma, etiam si hoc ipsum iis sit futurum in omnem posteritatem in primis memorabile, quam studio liberandi Christiani orbis a servitutis teterrimo iugo, quam illi immanis hostis minatur. Qua in re tamen haud me fallit spes de vestra virtute suscepta: tamquam enim nunc suggestum conscenderim haud quidem vos cohortandi causa ad bellum, sed canendi classicum, tuba signum dandi; tamquam mox vobis cum hoste concurrentum, proelio decertandum sit; ita mihi attente audiri a vobis, pendere universos ab ore, arma, aciem spectare video; in quo quasi vestrae virtutis theatro longe magnificentissimo, vestrae pietatis, fortitudinisque illustre documentum posteris constitutis; quo vestro exemplo incitati, ad aemulandam veterum gloriam acuunt animos. Ac quoniam vera laus, non ex faventium studiis manat, sed ex hominum recte factis, quibus illa debetur; non erit a vestra modestia alienum, quae vestra merita quantaque in Christianam rempublicam quae vestrae virtutis, et pietatis praemia futura sint, parta victoria de tam tetro, et truculento hoste, mecum recognoscere. Nam si apud veteres, qui civem in acie servasset, tamquam in uno esset univer-

sam patriam complexus, aurea corona donabatur, si qui princeps irrupisset in hostium castra, murum ascendisset, in hostium navem transiliisset, unde sunt civicae coronae, murales, castrenses, navales, luculentum virtutis praemium referebat; quinam vobis honores, quae praemia decernantur, quae sint cum vestris meritis aequanda, non Christianae reipublicae solum, sed populorum gentiumque omnium etiam liberatoribus? Neque vero immanis haec pestis, Christi nomini modo est infesta, ut huius rei caussa modo, sit e terris tollenda; sed pudori, honestati, liberalium artium studiis omnibus, in quibus est homini ad vitam agendam certum constitutum praesidium. Facite vobis, Ungari, Graecia sub aspectum veniat, olim gentium, nationumque omnium, gloria rei militaris, ac laudandarum artium omnium in terris princeps. Eius gentis gloriam partam a maioribus, meritis in omne hominum genus immortalibus, veterum modo scripta sunt, quae tueantur: ipsa quanta fuerit, ne ruinis quidem potest testari, iugo servitutis acerbissimo adstricta. Sunt in omnium ore Athenae, quae nos civitas primum ad vitae consociationem, et hunc cultum humanitatis, a fera vita, atque immani abduxit. Hinc coepta hominum coetus congregari, agi populorum conventus, leges hominibus, et iura describi, coli urbes, atque in his artes ingenuae omnes, quas desiderare hominum societas, et diu vigere haud potest, quippe quae illos ad vitae coniunctionem impellit. Sunt, adhuc, in omnium ore Athenae, in qua una civitate, sapientiae domicilium in rerum principio gentibus omnibus fuit constitutum: cuius tantae civitatis haec pestis, luesque teterrima, ne rudera quidem suae immanitati reliqua fecit, quae deflendae urbi omnium pulcherrimae, maxime olim,

florentissimae materiam praetereunti suppeditaret. Itaque, cuius urbis ornamentis, et aliae urbes insignes multae, et Roma crevit sedes maximi imperii, eius vix certus locus ubi sita conditaque fuit, ostendi ullus potest. Scilicet ob hanc unam caussam Lacedaemonii victores, illius gloriae aemuli, triginta tyrannorum dominatio importuna, Philippus hostis, Alexander victor omnium gentium, Sullae immanitas, et crudelitas victam conservavit, ut essent tam fera inter homines ingenia, quorum inexorabile odium vix aequatae solo, atque eversae excidium exsatiaret. Eadem hac lue terribissima, antiquitatis monumenta praeclarissima, quorum vix vestigia exstant ex hominum vita profligata: hinc incensae bibliothecae luculentae, quas cum aliorum Graecorum ingenia, tum Atheniensium in primis praeclaris monumentis locupletassent, unde instrumenta omnia, et subsidia ad vitam excolendam suppeditantur. Quid cetera illa Graeciae lumina? Quid Sparta tot virorum fortium patria? ex qua civitate virtutum omnium exemplis ad bene, et beate vivendum singularibus est constituta hominum vita? Civitatem longe nobilissimam Lycurgi legibus institutisque sancitam, penes quam unam diu Graeciae imperium stetit, eadem belli tempestas excissam delevit, sive illa egressa ex Hyperboreis montibus rigentibus sempiternis nivibus, sive ex ultimis terrarum finibus, qua Asiae oram, et totius orbis terrae oceanus claudit. Quid Corinthus, Mycenae, Argi? Quid tota Peloponnesus, Euboea, Aegaei maris, Ionii insulae omnes, quorum nobis monumenta illustria, docti homines litteris prodiderunt? Nunc vastae solitudines, longe lateque patentes campi, maris nuda, atque inertia littora, arenae, deserti pagi, antra horrentia, rarae agrestium casae, ferarum

verius latebrae, quam hominum domicilia, et sedes. Quae quidem si dari possint; uno ore omnes vos etiam atque etiam hortarentur, imminens Vngariae incendium ab hac face humani generis funestissima, quae vestris laribus, dei immortalis templis augustissimis pestem, atque excidium minatur, a patria suo exemplo avertatis. Quis vestrum vero non videt, iam pridem populantem flammam terrarum orbem, nisi vos avertentes, hostium ruina restringatis, aliquando vestro esse vobis sanguine restringendam? Discite, Vngari, quae tutissima ratio est, aliorum exemplo vitare imminencia mala, ne id alii vestro exemplo discant: id quod est vobis pro vestra pietate a patria vestra precibus votisque omnibus deprecandum. Aemulentur potius finitimae gentes vestram virtutem, quam cladem deplorent: id enim unum Turca agit, id machinatur, ut per vestram caedem, atque ea mala quae bella invehunt confirmatis viribus, arma ulterius proferendo, ruinam eandem aliis pestemque importet. Facite, ut a vobis discant nationes exterae in Turcam pugnare, novum illis debellandum hostem; pectora invicta obicere hostium telis; turpi servituti praeferre honestam mortem; in acie ferro hostium cadere, quam referre pedem; mori in vestigio, pro patria pugnando, quam confici crapula, et vino in popinis malle. Agite, milites Christi, viri fortissimi, efficite vobis, quod per se bellum honestum est, facile vobis, ultro hosti (ar)ma inferendo; quod illatum vobis, gravius difficilisque hostis efficiet: longo enim usu animadversum, victoriae laetum omen habere hosti illata arma; cladis triste omen atque exitii habere expectata. Audete Vngari, et hostem contemnere, et vero etiam mortem, si illa appetenda sit, qua semel est

nato homini defungendum; audete Christi nomini consecrare hanc mortalem vitam, immortalis vitae auctori, certa spe freti, eos qui ita decedant, immortalam gloriam, et nullis umquam hominum fastis interituram laudem consecuturam. Ite alacres faustis laetisque auspiciis, Christi milites, adversus hostem nostris discordiis, non domesticis viribus potentem, adversus mala omnia erectis animis, quae timidis pavorem, viris fortibus, quales vos estis, subministrant materiam ad gloriam, non iam aliorum spe, sed vestra, etiam divino numine aucti fortiores. Hac oratione vehementius confirmatis multorum animis, ne die senescentia studia languerent; fessa multitudo, ut fere solet, magnitudine malorum, quibus sine ulla laxamenti spe premebantur, certatim sumebant arma, sacra militia ob-eunda, utrumque ut sperabant assecuturi, ut et immortalis vitae praemium promererentur, sacram militiam profitentes, et effugium sibi a potentiorum iniuriis compararent, desperato legum praesidio, quae imbecillae adversus vim, atque arma haberentur, quibus adversarii initebantur. Itaque et in urbibus passim, et in agris, ac pagis circumiectis pari animorum ardore, liberis, et coniugibus relictis, nomina edebant, ita comparatis animis, ut quidquid usu venisset cuius rei causa illis esset obeunda mors, praesenti vitae prae(fer)-rent, quam ita exederent perpetuae aerumnae, et domesticae curae, ut sibi ferendum animo aequissimo arbitrarentur. Sed ne esset haec animorum moderatio diuturna, quod alio loco dictum est, eadem efficiebat desperatorum hominum, atque egentium manus, quorum feroces animos, et praesentis fortunae impotentes, spes alebat, ex rerum mutatione, fortunae melioris, quam nullis praeclaris artibus se assecut(uros) spe-

rar(unt). Iam in magna armorum impunitate maxime apto tempore ad ea maturanda consilia, quae animis coquebant, improbi homines passim se duces multitudini ferebant, cum seditiosis verbis, per se male affectis faces ad excitandum maius in nobilitatem incendium subministrarent. Inde, per conceptam spem recuperandae libertatis, conversos a cogitatione Sacri belli, quod plausibile nomen pravis inceptis obtendebatur, iidem scelerati homines monendo, hortando atque in meliorem spem erigendo, quos metus eventus a tam audaci incepto, suae imbecillitatis conscios deterrebat, traducere ad civilia arma conabantur. Vsque adeo vero audacia, atque inani virium fiducia tuebant, ut, nulla dissimulatione, quae per coetus nocturnos initio inter paucos consilia versabant, sensim inter multos efferre auderent, insectanda nobilitate, quae una illis via ad miseros fallendos patebat, imbecillos animos quo visum erat trahentes, qui suas vires, non ex suo, sed ex alieno sensu, et praedicatione metiebantur: iidem, principes in dies accusare liberioribus querelis, criminari, infirmare vires, elevare auctoritatem: quae eo vehementius imperitos movebant, quominus aderat vir probus in magna (sc)eleratorum hominum turba, qui aptustractandis rudis multitudinis ingeniis, deliniret intestino dolore efferatos, atque ex eo iustum in nobilitatem susceptum odium; quo elati, a rectis consiliis praecipites in suorum, et patriae exitium ferebantur. Augebat fiduciam, quod altero quoque verbo a seditiosis hominibus iactari audiebant, hominum numerus, quo inflati, nihil, quo animos intendissent, sua spe maius credebant, ignari quam nullum esset in iis viribus robur, quae ita duce, et rectore carerent, ut non eas usus, non exercitatio, non disciplina ulla, et rei



militariſ peritia adiuuaret. Ita miseri homines, sese modo ab ea parte agnoscentes quae perimbecilla erat, praesentia tantum, numero confisi spectabant, ab eorum malorum cogitatione aversi, quae graviora hominum opinione, a pravis initiis, temere suscepta consilia sequi necesse erat. Neque erat dubitandum, quin si tantae hominum multitudini par prudentia, et calliditate dux contigisset, fuerit multo maior accipienda clades. Iam ex nobilitate nonnulli. sive sua sponte suspectam agrestium coitionem habent; sive ad eos aliquid, quod verisimilius est, de improborum consiliis manasset, cum inter varia hominum ingenia, vix fieri posset, quin nonnulli aut sua sponte nobilitatis studiosi, aut spe praemii incitati, indicarent quae a concionatoribus multitudini non iam abditis, et clandestinis locis, sed palam in populi corona agitarentur; crucis insignia principes exuere, et ponere arma coeperant, eo consilio, ut si suo exemplo, agrestes non discederent ab armis, male conscios animos armorum retinendorum pertinacia nudarent. Id autem si accideret, ne temere posuisse sacrum insigne viderentur, dari sibi spatium volebant, nulla sua cum invidia, ad contumacium vim, conatusque reprimendos; cum haud dubitarent, quin per sacrae militiae occasionem ab iis sumpta arma, quibus offensus, atque invisum esset nobilitatis nomen, ubi pertinacius, Sacri belli nomine obsolescente, pergerent retinere, se gerere in eorum perniciem quos odissent faterentur; cum nulla praeterea iusta armorum caussa iis ostenderetur. Tametsi vero plebs a nobilitate separata consilia haberet, et suis viribus natura diffidens, et ad levem rumoris auram mobilis, non desperabant tamen fore, ut aliorum exemplo, eorum in primis, qui medii inter nobilitatem, et

plebem, nolent bene suas constitutas fortunas publicae rei incendio conflagrare, ad sanitatem redirent. Neque dicitur postremo abfuisse ab eorum consilio Strigoniensis, quamquam idem paullo ante belli auctor suasorque acerrimus, qui quoniam de plebe erat, si quid novi multitudo armata adversus nobilitatem moliretur, verebatur, ne, ea vieta, concideret alieni scele-  
ris, et culpa reus, victoriam obtinente, totius eius rei invidia sibi uni, magno existimationis et salutis periculo esset sustinenda. Id quod tamen non effugit, neque multitudini, bello confecto, satis gratus, et nobilitati maxime (in)visus, quae magis quid egisset belli concitator, id quod videri volebant, quam quid voluisset intueretur, odio malo semper suasore, eorum, quae dubia habentur; ubi semel offensum sit, quo vis potius, quam quo fas est, inimicorum consilia trahente. Difficillima vero ratio erat, utrumque eodem tempore agere, et pontificis legatum, cuius erat certum munus, bellum suadendi; et in Vngaria tueri publicam personam, qui principem dignitatis locum apud regem obtineret; cum non posset praestare a patria sibi impositas partes, quae in magno discrimine versabatur, quin discederet a pontificis mandatis, cui quod praeverteret, consiliorum arcanorum omnium moderatori, nihil in vita habebat. Sed adeo saeva reipublicae tempestate, vicit una, quae debuit, ratio, cum ne pontificem quidem, si eo loco esset, et verbo iactari in Turcam bellum, re adornari in patriam impia arma animadverteret, secus statuere fas esset; cum nemo non videret, si is belli exitus sequeretur, quem sibi improbi sponderent, cum reipublicae salute privatorum collapsuram. Ergo, quod tutissimum in malis consilium erat, mature obsistendum gliscenti famae arbitratus; in universas regni provincias litte-

ris, et nunciis dimissis, per aquae, et ignis interdictionem superiore edicto revocato, vetuit quemquam cuius ipse nomen non accepisset, in posterum cruce signari. Quo quidem in consilio, sceleratorum audacia, legati cardinalis diligentiam studiumque praevertente, parum auxilii fuit, ad excitatum tantum rerum motum compescendum. Multitudo armata, cum augeter animos indies maior coëuntium numerus ad bellum, spe futuri eventus, quem seditiosi homines iis secundum, laetumque spondebant, quovis potius erat descendere parata, quam ut arma deponeret, quibus invisam nobilitatem, quantumvis magnis opibus subnixam opprimi posse sperabat, una voluptate obversante animis, ulciscendi execrandum nobilitatis nomen, quam multi saepe vitae iactura volentes prudentesque redemerunt. Quae quamquam ad hunc modum gererentur; nemo tamen adhuc conspiciebatur, quem tantae rei administrandae parem ducem multitudo sequeretur; cum nefarii quidem homines, atque audaces multi adessent, quibus, ut iam diximus, immania facinora, et poenae me(tus) ad tam sceleratum inceptum viam aperuissent: qui usque eo amentia essent progressi, ut susceptam animis rerum novarum spem foverent, et moderandis tam inconditae multitudinis studiis essent pares, nulli adessent. Sed et eum ipsum ducem ne diutius sua spe desiderarent, unius hominis incredibilis audacia, scelusque perfecit. Georgius Zechelus erat (Sechellium alii, alii male Scytham appellant) obscuro loco inter Siculos natus: quae gens eam Transylvaniae partem incolit, quae vergens in orientem solem, longo tractu Moldaviam a Transylvania disternat. Genus est hominum peracre, et qui praeter insitam ingenio ferociam, atque immanitatem, quam rerum omnium impunitas

alit, nobilitatem nullam agnoscant, quam non arma concilient; cuius splendor plus aequo multitudini officiat; in eadem aequabilitate, quae nullum ordinum discrimen habet, iisdem institutis, et legibus utentes: a prima enim pueritia assueti militiae labori, quam unam artem in honore habent, foris bellicis rebus, domi, ubi est otium ab armis, plurimum cultui agrorum student: quam rem unam numquam agere intermittunt, si quando foras avocatur bellum, ne manentibus, fraudi belli mora sit, domi relictis, qui agro colendo assidui operam impendant. Venatu maxime delectantur, cuius credunt esse magnum usum, tum ad confirmandas et corroborandas vires, tum ad victum tuendum, quo nullum fere lautiores noverunt, omnium ignari, quae apud nostros per erudita ingenia palato . . . um epulis et potentiorum hominum . . . ndis, variis artificijs condita lenocinantur. Alias artes, quas nobilitas exercet, una re militari excepta, nullas colunt: ne voluptatibus, et deliciis emolli, effeminatique fiant ad militiae labores animo remissiores. Adiuvat locorum opportunitas procul ab exteris positos, a quibus ea, quae ad effeminandos barbarorum animos pertinent importentur. Secundum militiae decus, quod ne iis quidem negatur, qui agros colunt, alterna vicissitudine nunc his, nunc illis ad bellum exeuntibus, ea ipsa agrorum cultura primam habet laudem, et quidem, ut qui rusticae rei student, haud sint deteriore conditione, ubi excellant, quam qui militiae splendore opibusque conspiciantur, quibus ita auctoritatem maiorem conciliat parta gloria rebus gerendis, ut minime sit multitudini formidolosa. Sed ut ad Zechelum revertamur, cum superioribus annis Belgradi in praesidio ageret, quod oppidum ad Danubii et Savi confluentem situm, Taurunum, ut creditur, veteres,

uti alibi diximus, appellarunt, provocantem Turcam more militari ad equestrem pugnam, ac sese insolentius, et suos iactantem, facta potestate a praefecto in hostem, extra ordinem pugnandi, infesta hasta per adversum pectus adacta, interfecerat. Ita Georgius hostis spoliis auctus, et illustri victoriae titulo superbus, regem adiit, litteris ab arcis praefecto impetratis, quibus de tota re gesta fides fiebat, et hominis virtus, ut fit, verbis magnificentissimis ornabatur. Hinc a rege laeto victoriae omine, cum unus visus esset, patriae decus a superba Turcae ostentatione vindicare; virtutis, et fortitudinis ergo pago donatur, qui idoneus alendo homini equestris ordinis videretur. Vix credi potest, quantum Georgio auctoritatis, apud vulgo milites, non partum ab illo decus magis, quam regis liberalitas eo ornando, augendoque conciliarit: usque eo quidem animos sustulit, ut omnia infra suam spem duceret quae ardua aliis, maioraque adeo hominum viribus viderentur. Multitudo quidem sui ordinis hominem, et, quod in primis plausibile erat, cum ingenio, tum vitae institutis moribusque a nobilitate abhorrentem, magno concursu excipere advenientem, celebrare, efferre laudibus, ducem agnoscere; cum ipse hanc propensionem animorum omni genere officii adiuveret, comiter obvios quosque salutando, benigne appellando, ultro sua studia, gratiam, opes quibuscumque deferendo; qui quidem his blandimentis deliniti, nihil sibi eo assectando, atque omni genere honoris prosequendo sibi reliqui faciebant. Inde homo barbarus cupiditate animi, cuius impotens e(rat), atque ambitione elatus, cum hinc sui fiducia, illinc vulgi concursu, et studiis inflatus, nihil sibi destinaret animo quo non speraret provectum audacia se perventurum, per hanc armorum occasionem

temerario ausu ad principatum animum adiecit. Accebat, ad animum tanto facinori parem, praeter Sacri belli occasionem, optandam rem maxime, rem tantam occultis consiliis aggredienti, ita concors nobilitas dilaceranda, atque excarnificanda plebe, ut nihilo minus capitalibus inter se odiis, et pugnantibus studiis certaret; cum rex non impar solum regendis aliis, sed eo etiam esset ingenio, ut aegre sufficere sibi ipse regendo crederetur: certe animo tam imbecillus, ut cui animus par capessendae tantae rei adesset, ei ad perducendam ad laetum exitum, nihil videretur defuturum. Atque in principio quidem motus, Cardinalem his incitatus adierat, et nondum edicto promulgato, hortatus erat, ut, se auctore, apud populum de bello agere ne cunctaretur, ita in eam expeditionem proclivem, ut nihil ei longius, quam ille dies videretur, quo, erecto Christi vexillo ad tam gloriosum bellum proficisceretur. Ita enim illi persuasum, et viventibus fortitudinis perpetuam laudem, et vita functis desponsam beatam, atque immortalem vitam. Flagrare, atque ardere incensa virorum fortium pectora religionis studio, ut numquam fuerint, maiorum memoria, ad sacram militiam suscipiendam animis paratiores: quorum voluntates, et studia, ne torperent, essent fovenda cum gloriae, et laudis spe, tum honestiorum in militia ordinum, atque aliorum munerum, quae viris fortibus, bene gestare, decerni consueverint. Quam diu se occasio daret rem maturari oportere, de cuius eventu strenue aggredientibus non esset dubitandum: tristi cunctatione, et mora maximas saepe opportunitates corrumpi, quae cursu secundo res gerentibus laetum finem pollicerentur. Se se quidem, ubi intelligeret, non ingratum suum officium pontifici fore, ut dignum viro forti esset, et Chri-

stiani nominis propugnatore, magna voluntariorum comparata manu, belli initium, ubicúmque temporis, et belli ratio postulare facturum: certum enim, et proprium munus eius esse existimare, qui Christo imperatori mereret, ut non ab aliis acciperet, sed ederet ipse aliis Christianae pietatis, et fortitudinis adeo insigne documentum. Vnum se orare, ut per illius auctoritatem, nobilitas, qua nullo suo merito minime aequa uteretur, ab iis, quae praeclare inchoata haberet, faceretur, neu esset impedimento rem gerenti, quo minus ea ad exitum perduceret, quae pro sua pietate, et religione adversus Turcam hostem animo ageretur; cuius suae voluntatis ad eum diem monumenta minime obscura constituisset. Ostentare illos maiorum imagines, triumphos, decora alia, quibus nisi splenderent, esset futurum, ut domesticis tenebris obscuri interirent. Sibi quidem honorificum in omni memoria fore, e maiorum tenebris sua virtute ortam lucem posteris, qua splenderent, praemonstrasse. Hoc enim vereri se: cetera sibi ad bellum expedita, fore. Oratio apta temporis ab homine militari habita, non aegre legato fidem fecit probi, et religiosi animi, nullo adhuc indicio imminentium malorum ab optimo in speciem initio manante. Ita cum hominem multis verbis, ut par erat collaudatum ad promissa maturanda adhortatus esset: et se vero agnoscere illius pietatis studium, et usurum adeo respondit, viri fortissimi, et de Christi causa optime meriti: neque dubitare debere, quin pontifici maximo, cuius ipse legatus, personam, auctoritatemque repraesentaret, pietatis officio tanto perfungendo suam operam, sedulitatemque esset probaturus: daturum se quidem operam, ac viribus omnibus adnixurum, uti viris strenuis, et rei militaris peritis, cuiusmodi

illum esse intelligeret, recte factorum praemia digna summa virtute exstarent, qua de re illi suam fidem omnibus religionis vinculis obstringeret. De nobilitate non esse cur laboret: neminem cuiuscumque ille esset ordinis, impigre exequenti quae se facturum pollicitus esset, futurum in mora; cum quidem uno suo merito, universam patriam, nullo ordinum discrimine esset complexus. Quae cum dixisset: litteras illi ex pontificis edicto perscriptas dedit, quibus fiebat potestas militem quicumque ii essent, qui voluntarii in sacram militiam nomina darent, conscribendi. Quae Thomae facilitas, sua sponte nefarium hominem ad incepta perficienda multo audacior, alacrioremque reddidit; cum praeclaro pietatis titulo et facilius fallere imperitam multitudinem, cui sanctum esset pontificis nomen, et scelerata consilia tegere liceret, quae animo voluebat. Ita legati auctoritate corroborata audacia, armatam religione improbitatem, quo nihil populis exitiosius est, in patriae pestem, et perniciem intendit, facile vulgo hominibus patientibus se duci, quo vellet, ab eo homine, cui non crederent potestatem factam homines armandi a pontificis legato, nisi eius virtus, cui tantum permisisset, plane ei perspecta, explorataque esset. Neque adhuc tamen, ut diximus, quidquam eorum manaverat, quae occulte a seditionis auctoribus agitantur, fama Sacri belli, quae indies increbrescens validius animis haerebat, ab omni cogitatione alia homines avertente. Saepe hoc maiorum memoria animadversum, qua de re non semel egimus, sed nullo umquam tempore, quam nostra, et patrum memoria magis; nullum haberi acrius telum, nulla arma, nullum fortius, violentius, saevius tormentum expugnandis imperitorum animis, quam iis in speciem obiectam reli-



gionem: nullum adeo immane facinus, nullum scelus, paricidium adeo atrox, nullum truculentum, quod non is alacri animo suscipiat, cui persuasum sit, eo sibi deum propitiari, placari iratum, scelera, et malefacta omnia expiari. Hinc creditum a parentibus litari aversis a votis diis, liberorum sanguine; recte diis oblatas humanas victimas; funditus excissas, et solo aequatas urbes; vastatas, et populatas provincias, incensa deorum delubra, (quod portenti simile sit) ab hominibus institutam in homines carnificinam, fatigatis hominum ingeniis excogitandis suppliciis, quibus innocentes, et vitae sanctitate clari homines torti, dilaniati, flammis exusti mactarentur: quorum clarissima exempla Romani principes, prava religione imbutis animis, in nostros olim ediderunt. Etsi vero multi facinorosi erant, ut iam dictum est, et quorum scelera non minus multa, quam fortia facta exstarent, quod hi tamen erant fere exteri, ab omni suspicione civilis belli aberant, e longinquis regionibus tam gloriosae expeditionis studio in Vngariam profecti; quo verisimile videbatur regum auxilia ad bellum conventura; cuius expectatio iam totum Christianum orbem impleverat. Hoc unum autem requirebat belli ratio, non solum quod vere erat gerendum, sed quod etiam gestum iri falso credebatur, ut qui eo bello militarent, idonei modo gerenda re haberentur; parvi referre vulgo crederent adesse, quae dedecere religiosum, et sacrum gerentem bellum. Non qui mores, non quae fama homines commendaret, sed quo robore animi quisque praeditus esset, quam validis viribus, nervis, lacertis spectabatur; una religione a sceleratis extorquente, ut quo quis die, crucis insigni suscepto, in hanc esset militiam ascitus, expiatis, quae nefarie in deum atque in homines admisisset,

non indignus crederetur, cui summam Christianae reipublicae Leo pontifex permetteret defendendam. Itaque iam inde ab eo tempore, quo primum per Sacram militiam, est Sancta urbs recuperata Christianorum armis, est hoc usu receptum, ut, ubi, indicto Sacro bello, ad arma conclamatum sit, et classicum canat, morum censura, et severitate legum silente, ad extrema quaeque descendatur, reducantur exsules, atque adeo quantumvis ingentia facinora ausi, servi manumittantur, solvantur ergastula, carcer effringatur; cum raro homines leges, et civilia iura agnoscant, ubi impunitas armorum a magistratu, et regia potestate sit, quae alitur bello. Neque vero probabile est, legatum callidum hominem, et quem maximarum rerum usus, ubi etiam minus necesse esset, cavere docuisset, fugisse, quo ingenio esset homo barbarus, et qui quantus esset, non praeserferret solum, sed etiam ostentaret, in sui unius admirationem, per contemptionem omnium, barbara arrogantia effusus. Quis vero dubitaret, quin, ubi sua sponte, per armorum licentiam animos sustulisset, ni externi belli occasio averteret a suis res novas molientem, multa quae quis minus vellet, esset editurus? Ita ferocem legatus credidit, temerarium, turbulentum, ut quidquid inesset mali, per belli occasionem a suis aversum, pesti hostibus, atque exitio esset. Non callidum, non tectum credidit, non comminiscendo potius, quam perficiendo sceleri aptum, stolidam fiduciam virium, quae, ne quem falleret, vultu, atque oratione ostentabatur, consilii vim non facile admittente, quae mora, et dissimulatione, non audacia solum incepta perficit. Hac re Georgius ita administrata, cum sub idem tempus Cardinalis ad populum concionatus, in primis hominum studia commovisset;

nonnullis furoris, atque amentiae sociis assumptis, obvium quemque monendo, atque ad repetendam libertatem incitando, brevi perfecit, ut multitudo tota in illius admirationem conversa, ducem eundem unum agnosceret, certatim universis clamantibus, duceret quo vellet, se quocumque arma intenderet, se praecedentes secuturos. His studiis multitudinis, quo magis sua sponte in se propensam haberet in potestate, addebat de se legati iudicium honorificentissimum, quem quidem magnificis verbis sese efferens supremum sibi detulisse militiae honorem mentiebatur. Cum non deessent in Vngaria ex illustribus familiis, quibus tanti belli administrationem mandaret, sibi, iis praeteritis, eam ultro detulisse: quod difficillimum futurum adversus Selimum hostem susceptum non splendida nomina postularet, non illustres titulos nobilitatis, qui languentes inertia posteros nequidquam ad verum decus excitarent, sed exorientem ex obscuro loco, et se erigentem virtutem ad altissimum laudis, et gloriae gradum; quae quidem a se commemorarentur, non inanis gloriae causa, sed ut suo exemplo, virtutem delitescentem miserorum animis, ex opificum tabernis, et civitatum faece, sed maxime ex agrestium casis, et saltibus, atque abditis silvis in lucem educeret. His verbis aliisque in eandem sententiam, cum tumidus sui fiducia se apud imperitam multitudinem iactaret; facile efficiebat, ut fide orationi habita, quae polliceretur modo spectarent; quem eventum ea quae polliceretur essent habitura, haud illis veniret in mentem cogitare. Neque vero illi iam spondebant sibi Sacri belli praemia, quae quidem, prae iis quae agitabant animis, potiora sperantibus sordabant, sed civilis belli, plausibile libertatis nomen, immunitates, largitiones, ex principum bonis, partitiones

agrorum, opulentam praedam, novas tabulas, aliaque omnia, quae in civilibus dissensionibus proponi populis, ad commovenda hominum studia consueverunt: minima cura excogitandi quibus rationibus haec se assequi posse sperarent, contenti unius hominis levisissimi auctoritate, cui se dedissent; cum miseros fugeret, quantopere vesanus homo, et (fu)riosus ab eo homine abesset, cuius ductu, atque auspiciis bellum arduum, atque difficile essent adversus praepotentes adversarios gesturi; qui non armis solum, sed usu, exercitatione, industria tanto essent arma inferentibus superiores. Non illud subibat, quantae essent nobilitatis vires, potentia, opes, clientelae; tamquam essent bellaturi, adversus pecudum greges sperantes se destitutos omni spe praesentis auxilii oppressuros. Hoc innatum a natura multitudini malum, praeter alia multa, ut quibus in rebus maxime consilio indigeat, in his quam longissime a ratione recedat unde vis consilii manat, et quo sensu feratur, qui unus pollet ubi rationis sunt infirmae vires, eo qui se adducat, ducem sequatur, sive temere illum casus, sive fortuna obiiciat, non prius meliorem probatura, quam, metu mali iniecto, sequi quem nolit salutis suae auctorem invita, et detrectans cogatur. Neque tamen Georgius agitabat animo minoram quam quae suos sperare vellet, quorum blandis vocibus inflatus, sibi in ducis persona omnia pendendum, indies altius suas spes efferebat. Iam enim ducis nomen aspernatus, et quidem quamquam illud nondum delatum, meditabatur regnum, cui ita pares spiritus gerebat, ut si suffragiis multitudinis armatae standum esset, minime dubitari oporteret, quin magnae quidem rei spem conceptam animo, sed non fiducia virium maioris, cuncta essent laeta secutura. Accedebant eo-

rundem adhortationes perditorum hominum ab aequa vana spe, et inani fiducia, cuncta sua sponte tumentium ex sententia ominantium, neque illi quidem omnino male: semel enim tantam rem aggredienti in uno fuit laborandum, ut sibi multitudinis studia conciliaret, quo ei nihil facilius fuit, qui iis artibus omnibus inniteretur, quae sunt maxime multitudini inconditae (s)apo(ris?). Hoc adepto licuit sperare quaecumque illius potestatis suffragationisque essent, in his regnum etiam, quo nihil est in terris maius; nihil vero facilius fert multitudo quam regnum, ubi libertatis pretium exstet, quam habet venalem: maximum vero habet constitutum praemium cum in aliarum rerum omnium, tum in praedandi, et diripiendi licentia atque impunitate, cuius rei spem ingentem homo sceleratus suis faciebat; publicas civitatum fortunas, locupletum bona, sacerdotum, et principum maxime pollicitus, plura, si inceptis fortuna faveret, maioraque praestaturus. Atque haec quidem illius spes omnis, quae parum firmis innixa fundamentis cum summa consiliorum omnium corrui. Ergo Georgius neque sui, neque eius rei quam animo moliebatur aequus aestimator, quae multo maiorum virium erat, adversarios primo quoque tempore aggredi, et, ubicumque se occasio daret, facere belli initium constituit. Interea, delectis, qui idonei maxime videbantur, ad homines agrestes concitandos, quorum nonnulli, rei procurandae causa domi mansissent; ire diversos alios in regni provincias alias, et cunctantes haesitantesque confirmare; in primis non agnoscentibus suas vires, quo audacius rem susciperent, ostentare, spe praedae incitare, omni ratione inflammare. atque incendere ad bellum iubet. Cuius temerariam, ac praecipitem audaciam non deerant in magno hominum numero, qui improbarent: qui

etsi erant aversis a nobilitate animis, multis ab illis iniuriis alienati, nihil tamen non triste sibi funestumque, eo duce rem administrante, ominabantur: quippe qui coeco impetu elatus, nihil certa ratione, et consilio; quae iracundia modo odiumque suaderet, mali semper consultores, facturus videretur. Raro vero qui se patitur circumagi, nisi agentem adiuvat casus, est aut in gerenda re, unde certa fere de eventu ducitur coniectura, aut in perducenda ad exitum felix. Veniebant ad haec in mentem civilis belli clades, quae cum numquam vitari possent, tum multo minus, cum, eo gerendo, prudentia et rei militaris (disci)plina desideraretur, quae moderarentur arma. Nihil enim umquam rectius dictum, quam: Vim consilii expertem mole ruere sua. Erant in eodem numero qui solliciti de privatis fortunis, et de suorum salute, ubi minus votis belli exitus responderet, quod erat verendum, belli finem qui est secutus praesagientes animis horrerent, satis gnari, ubi res, belli aleae permetteretur, non eos semper, a quibus ius, atque aequitas staret, superiores in acie fore, non, ut in foro, legum auctoritate, et magistratus, sic, ubi itum est ad arma, ferro controversias dirimente. Commovebantur pietatis studio alii, qui non erant ita multi, quae ita placaret animos, nondum plane doloris sensu efferatos, ut quicumque belli finis futurus esset (iam enim, quod vere animis agitabant, belli fama emanaverat) commune patriae fatum, quod instabat, lugentes miserarentur: iniurias enim, quas non liceret, sine multorum exitio, vindicare, condonandas iis censebant, quibuscum eandem originem, idem natale solum, sedes easdem, iura eadem legesque haberent: haud aequum esse, cum e nobilitate multi expertes culpaе haberentur, insigni virtute, et probitate homi-

nes, innocentes, atque innoxios, alieni sceleris reos plecti. Extenuabant alii vires impares, ut credebant, civili bello gerendo, in primis militum genus, quorum magna pars in agris operi intenti, diu ab armis, et a bellorum strepitu abfuissent, (at)que ingens manus egentium hominum, de quibus quid statuendum esset haud posset ignorari, barbaris hominibus, et quos modo armaret numerus, quo quidem qui confiderent, temeritatis poenas saepe luerent, numero non ad spem vincendi multitudine fretis, sed ad maiorem edendam caedem victoribus materiam suppeditante: non illos rei militaris peritia adiuvari, non virtute, non magnitudine animi, quae ubi deficerent, voluntas, etiam si praeclara esset, parum usus re gerenda afferret: plures erant, qui deplorarent insontem eam ipsam multitudinem, quae quidem in medio posita, non suis propugnatoribus minus, ubi victoria potirentur, quam adversariis victa praedae esset futura, circumventa ancipiti malo, quod quidem vitari haud posset, nisi, unico, atque eodem salutari consilio, antequam civili sanguine manus cruentarent, ponerent arma. Et vero nihil eorum aderat, quae belli ratio requireret, quod tantum erat gerendum, non peritus dux rei militaris, non miles disciplina, exercitatione, usu confirmatus, obiecta subito hominibus bellicae rei imperitis nova facie rerum; quorum manus, quae ligonibus rastrisque colendo agro occalluissent, inter tela, et gladios torperent: ut animos suapte natura feroces, sed qui longa perpessione malorum ab ingenio insita vi degenerassent, ubi periculum virium faciendum esset, rei eventus esset elusurus. Patres familias, rusticani, homines, servorum in modum a suis habitis, multis iactati, ac vexati malis, neque altius spem efferre poterant, quo illos genus,

et patria virtus, nequidquam sui immemores excitabat, et quo praeceps unius temerarii hominis consilium agebat, praecipites ferebantur, unde nulla spes salutis, certum exitium, et ruina immineret. Nam ubi per se adnixi erigere ad maiora animum, e praesentibus malis conarentur, id quod raro usu veniebat domestica disciplina destitutis, eos nobilitas infesta deturbabat; cuius potentia evecta in excelsum gradum, per obiectam miserorum fortunam, magno quidem cum splendore, sed pari cum invidia conspiciebatur. Qui porro duces erant, et militum praefecti futuri, ut sperari posset, eorum prudentia, et consilio, militem rudem, belli imperitum, nuper, relicto agro, militiae adscriptum, maius virium incrementum ad bellum allaturum? Nam dux ipse, quem malo tum suo, tum Vngariae fato, miseris fortuna obtulerat, ut quis multum illi tribueret, strenuus, atque impiger conserenda cum hoste manu; sed cui omnia deessent, quae tuto abesse a belli duce non possunt, virtus, consilium, maximarum rerum usu quaesita prudentia, atque ex his comparata auctoritas par; adessent quae longe abesse deberent, temeritas, audacia, animi stolidi ferocia, quae numquam non fuit inimica consilio; certe in quo nulla conspiceretur in summo homine spectanda virtus, quae esse aptum probaret multitudini regendae; quae praesertim pacis artibus assueta, praeter villae instrumenta, et quae sunt colendo agro, numquam ferri nudam aciem in hostem distringendam vidissent. Qui vero erat belli futurus eventus, ubi miles ducis munus, dux militum in medio ardore pugnae desideraret? Vbi qui adhortando milite, ineunda pugna, proelio restituendo, struendis in hostem insidiis, vitandis; omni militari imperio obeundo, imperatoris partes praestaret? Haec vero ita



nonnulli videbant, ut nemini veniret in mentem, quibus rationibus saucios animos sceleris conscientia, ad sanitatem revocaret: Effecerat enim homo sceleratus, sibi multis modis incautos devinciendo, ne volentibus integer esset ad meliorem sententiam regressus. Neque vero diu futurum sperabat, ut qui finis consiliorum esset quemquam fugeret, quod fere natura innatum est ferocioribus ingeniis, parum callidus arcanorum dissimulatur. Tanta vero erat hominis vesania, ut sui, suorum (que ob)litus, quorum erat maxime offensio vitanda, et tantae rei, quam animo versabat, iam palam ad regnum adspiraret, imperitorum hominum assentationibus, et praepostera ambitione a mentis consilio deturbatus. Hoc sibi victoriae praemium libertatis vindici, patriae propugnatori, liberatori Christiani orbis haud dubium pollicebatur, rapiente coecum in sui exitium fato, quod illi cum insigni, et titulo regio coniunctum imminebat. Ita ferox sua sponte, et minitabundus, cum amentem sua sponte in scelere confirmarent perditae spei homines, quos (ta)m scelerati ince(pte)i conscios adiutoresve habebat, in concionantis modum, haec inculcare suis audiebatur, cum non deesset argumentum se imperitis hominibus venditanti, neque audacia diserto et copioso se suisque viribus iactandis: In principio quidem ad famam Sacri belli se excitum, eo consilio adisse pontificis legatum, Vngaros in Christi militiam auctorantem, ut inter primos conspiceretur, qui in tam gloriosam militiam nomina darent. Non enim credidisse adversus infestiores hostes, quam Turcas, Vngaros posse sumere arma. Verum ubi convenisset ad signa, sacrosanctae crucis insigni assumpto, sententiam mutasse, longe sua opinione falsum. Offendisse quidem Vngarorum ingentem multitudinem, sed qui non

speciem euntium ad bellum praeserrent militari ornatu culti, instructi armis, telis, tormentis, vultus alacritate, et iuventae robore vigentes, sed qui bello victi redire, male gestare, atque ingenti accepta clade viderentur. Etsi vero iam pridem fama accepisset, quam immanem in modum, nobilitas in Vngaria plebem vexaret; credidisse tamen famam multa afficta veris afferre, quibus temere leviora ingenia fidem haberent, quae iudicandis iis, quae temere obiicerentur, inter verum et falsum nullum nossent discrimen: ut minime mirum esset, prudentes homines illa reiicere, qui non res solum quae ferrentur, sed a quibus ferrentur etiam, et de quibus, sibi censerent spectandum. Sed multo secus, quam putasset praesenti sibi evenisse. Tantum enim abfuisse, crederet, quae audisset fuisse maiora vero, ut potius de iis plurimum detractum existimaret. Tametsi non ignoraret, quanta esset Turcarum saevitia, immanitas, odium, in Christianos hostes; cognovisse tamen multo Vngaros tetriora perpressos domi a suis, otii, et pacis tempore, quam qui captivi, vincti catenis, in ergastulis, ad fodinas, et ad triremes damnati apud hostes haberentur: ut non crederet maiore cum pietatis laude, posse suscipi arma adversus Scythas, ultimae barbariae homines, quam adversus domesticos hostes, quos miseri, longa patientia malorum hiscere non audentes, (ne qua spes reliqua ad salutem esset) intolerabiles reddidissent. Iam pridem fessis servitutis iugo acerbissimo, cum nulla miseris ratio iniri posset, qua a crudelissimis dominis iura humanitatis extorquerent, nulla, qua explerent inexorabile odium, quo nullo suo mer(ito) in se ferrentur; aliquando omittenda mitiora consilia, et, quando spem aliam omnem deploratam haberent, confugiendum ad arma, ac vi ab invitis, quod a

volentibus non liceret extorquendum. Rationem hanc sibi unam esse reliquam redimendi vitam a tristi servitio; cuius omnem fructum coniugibus, et liberis debitum domini iniustissimi, praeriperent: aut enim adeptos victoriam, vitae suae fructum, coniugibus, et liberis, quorum esset, reddituros; id quod ominari liberet, ubi memores pristinae virtutis, et praesentium malorum essent, aut generosa morte hominibus importunissimis adepturos, qui vitam suis debitam sibi superbo imperio emancipassent; quae voluptas viris fortibus videri tanta deberet, ut eius ipsius vitae iactura crederetur redimenda. Vnum enim miseros pati, quo nihil unquam in terris sol vidisset acerbius, ut iis vitam haberent addictam, quos in eam ipsam suam vitam, essent semper crudelissimos experti, quam coniugum, liberorum, parentum caussa intelligere(n)t sibi expetendam. Intendendas vires omnes, quas miseris egestas, et fames reliquas fecisset, necessario gerendo bello, quod domestici hostes paci honestae praeoptassent; cuius spe adempta, ita sperandum esset sublatum iri in visceribus haerens malum, si statuerent, aliis omnibus improbatis consiliis, sibi ad vim et ad arma perfugendum. Nullos esse inimicos acriores, quam quos ita coniungerent naturae iura; ut coniunctos contraria studia, atque instituta dissociarent. Hinc patrum in liberos, filiorum in parentes, fratrum inter se immania odia; hinc quae odia sequerentur, rixas, iurgia, atque ex his bella ad interneccionem gerenda. Quod minime tandem mirandum videretur: naturae enim hanc esse rationem, ut qui coniunctissimi essent, ii, dirempto coniunctionis vinculo, quo acrius amassent, odissent vehementius, summo amore in summum odium degenerante. Idem in hominum moribus spectari, ut in qui-

bus excelluissent ingentes virtutes, ubi ab his desciscerent, excelleret contraria vitia. Ita pietatem insignem, par scelus, pudorem, petulantiam, amorem summum, inexorabile odium sequi. Namque et illud a peritis observatum, praesentissima venena esse, quae ex optima materia, ubi putresceret, atque pristinum ingenium exueret, conficerentur: Quod quidem liceret spectari in civilibus bellis, quae gesta per ultima saevitiae, atque immanitatis exempla raro clemens, et moderata victoria secuta esset. Hinc veterum proscriptiones, rapinas, caedes; quae ita infames haberentur, ut eorum memoria, qui ea gessissent aeterna infamiae macula eorum nominibus inusta, in omni posteritate, per ora hominum traducta haereret. Non in praesentia bellum cum Turca gerendum, a quo nihil tum haberent Ungari quod vererentur; sed cum iis hominibus, qui iidem Christi hostes, iidem, civium, patriae, quae suorum scelere prostrata, atque afflicta iaceret, per conculcata ac pessundata divina omnia, atque humana iura, in eorum vitam insultarent, quorum vita, et sanguine ita alerentur, ut expleri tamen exsatiarique non possent. Cum fama eorum, quae Zechelius moliebatur latius in dies ad finitimas gentes, atque inde sensim ad exterarum nationes manaret: experrecti e nobilitate multi, aliquando serio inter se agere de tanta peste amolienda a republica ceperunt. Neque vero ii solum, sed per universas etiam regni provincias, pacis amantes homines, cuiuscumque ordinis essent, tantam hominum collusionem horrebant, principibus quidem inimicam praecipue, sed multo infestiores tamen eandem reipublicae, ducem praesertim nactam praeferoci ingenio hominem, qui ne in otio quidem sua sponte crederetur quieturus, ubi spes in scelere patrando, quantumvis tetrum im-

manequē haberetur, audaciam aequaret, et res novas molienti, impunitas a scelere esset. Neque vero uno nomine erat malum timendum. Querebantur enim, uno tantum non audiente rege, ad quem maxime mali sensus pertinebat, non se opprimi inimicorum armis, a quibus constantia, et animi magnitudine se essent vindicaturi, sed tempore, quo quidem indigerent omnibus, quibus ad propulsandam vim, nudati suis viribus, ac destituti omni externa spe, non Turcae hosti, sed suis praedae futuri, qui multo illo immaniores essent, inniterentur, ni ingentem tempestatis impendentem procellam deus propitius alio averteret. Quos (superare armis, parum honesta victoria haberetur, iisdem secum legum vinculis, eiusdem patriae, soli, coeli communionē coniunctos, quanto videri debere acerbius (tam triste omen obruerent, Vngaris benigna fata) eosdem victores, hostilia in suos odia exercentes pati? civilia omnia bella execranda, in quibus saepe essent animadversi liberi in acie adversus parentes adversus liberos parentes armati; sed tum esse non ferenda, cum principibus essent propulsanda a plebe illata: vinci enim quoquo modo acerbum, sed omnium acerbissimum vinci ab infimis, a sordidis, a populi faece, quorum luce, et splendore patria niteret. Bella multa externa populum Romanum gessisse: horum gravissimum secundum Punicum bellum; quo gerendo, Hannibale duce, ventum esset in rerum omnium discrimen; sed ita gessisse, ut acceptas gravissimas clades, hostis nobilitas, ut esset aliquid solatii in malis, levaret; parta victoria de nobili hoste, cum deorum immortalium laude, populi victoris gloriam coniungeret. Illa tristia bella, et tetri ominis, atque execrabilis, quae cum Viriato latronum duce, cum Spartaco concitato servilis belli, partim in His-

pania, partim in Italia essent gesta; in quibus deletas Romanas acies, caesos duces, captos, alia accepta belli detrimenta, minime victoria acquasset, parum gloriosa populo Romano victori omnium gentium de latronibus, et fugitivis parta. Congressuros cum iis Vngaros in acie, qui caedi flagris assueti, ne gemitu quidem indicare urentem animum doloris sensum victi mali metu auderent; a quibus armis peti, in acie caedi, vinci, captivos trahi, mactari, qua morte non intolerabilius videri debere? At esse quo confugerent oppressi angustiis temporis: adesse regem fortissimum, multis celebrem gloriae titulis, cuius nominis maiestas trepidationem, pavorem, mentis tenebras offunderet in acie hostibus armatis: Enimvero miseram Vngarorum conditionem, atque acerbam. Circumventos perniciosissimi belli flamma, cum habeant in sinu armatos hostes, horreant in iugula intenta tela, incensas faces, quibus propediem florentissimum totius Europae regnum sit conflagraturum, ceu in vasta solitudine, et desertis locis quiritantes, iustissimis suis querelis coelum, terram, maria, nequidquam complere, quae muta, atque inanima citius sperent domesticorum malorum commemoratione se posse movere, quam Ladislaum regem, cuius fidei tot gentium, et populorum salus sit commendata. Eone redacta res Vngarorum, ut regi parere cogantur, qui vivens mortui imaginem prae se ferat, nulla re alia magis suos, quam morte levaturus? Quid vero futurum (id quod animus commemorando horreat) si vacuum Vngarorum regiam, quod prodigii instar habeatur, vivente rege, Zechelus latro stipatus sceleratorum grege ut olim cum fugitivorum manu Herdonius Romanum capitolium, invadat? Viros bonos, incensis animis virtutis amore

non facile ferre consuevisse evectorum per fortunae temeritatem sceleratos homines, quo per multos vitae labores studiosis hominibus honestarum artium pateret ascensus: quam aequo animo Vngaros laturos servorum dominationem, qui in omni maiorum memoria Christianae reipublicae defensores, propugnatores libertatis acerrimi, rerum gestarum gloria omnium gentium annales implevisset? Viros fortes omnia posse pati, vincula, carcerem, supplicia, cruciatus, mortem extremum malorum omnium, et si qua morte sint in vita acerbiora; ut inducant animum indignis servire, non posse pati a se impetrari. Ita principes incertis animis, querendo communem fortunam, deplorandoque fluctuabant; ignari quo se converterent tanti belli mole oppressi; cum certa essent impendentia mala, quae brevi nisi par occurreret virtus, omnia secum in exitium traherent; nullae certae copiae adessent, nullus esset certus belli dux, cuius virtute, auctoritateque tollerentur. Accedebat ad cetera incommoda unum gravissimum, quo maxime bonorum animi angerentur: verebantur enim, ne, deserta cultura agrorum, per annonae caritatem, quam ingentem sequi necesse erat, fames ingrueret, — quae plebem urbanam, in magna soli ubertate tanti insolentem mali, ad rerum novarum studium, sollicitaret: vix enim in pagis mulierum, et puerorum turba imbelli relicta, deserti agri, atque inculti squallebant: qui tum soli natura, quo nihil feracius in Europa habetur, tum cultu assiduo nitidissimi, praeter suorum usum, satis frugum afferre ad sublevandos finitimos populos in caritate annonae credebantur. Tantus porro metus incesserat, ut qui ceteris ferocios infestius plebis commoda oppugnabant, tamquam iis secundi venti cecidissent, adversis exorientibus, con-

trahenda vela, et manus saevienti fortunae dandas existimarent. In his non unus sensus malorum urgebat. Nam, et qui sibi conscii erant, materiam civilis motus prae-buisse, rusticam plebem crudeliter lacerando, amissa omni subsidii spe, intestina peste laborabant; et ii urgebant, quorum mitiora ingenia, quamquam eiusdem ordinis, ad pacem et concordiam damnatis temerariis belli consiliis inclinabant. Hi palam queri, et eorum crudelitatem, atque avaritiam incusare, qui crudeli, atque immiti imperio suos habendo, effecissent, ut patria, cui omnia deberent, adduceretur in salutis discrimen: Enimvero fructus illos merito, quos sibi se vissent referre, in miseros per omnia genera immanitatis, atque avaritiae bacchando; quorum illos poenitere eo tempore necesse esset, cum ab invitis, mali vis in vestigiis urgens seram poenitentiam, utinam non aequae foedam, certe nulli futuram usui exprimeret, moram non ferente ratione praesentis temporis, quod quidem, mutatione consilii, ubi certus eius proventus speraretur, vitandum esset. Quam aequabilitatem natura gignendis singulis hominibus conservandisque retineret, eam in societate hominum tuenda, servari aequum esse: quemadmodum enim essent in corpore varia discrimina partium, ut aliud munus caput, pedes aliud, aliud obirent manus; partes omnes idem cibus aleret, una quies exciperet, idem somnus perfusas sopiret, ita in civitate cum certa munera dispertita inter cives essent, ut alii, tamquam capita, eminent, cuiusmodi reges magistratusque haberentur; infra positi, ut manus, crura, pedes, mandatas sibi partes obirent: iisdem omnes commodis frui debere, securitate, otio, ubertate, ceteris bonis, a quibus nemo prius videretur arcendus, quam is quem insignia flagitia, et scelera multa a communi



civium coetu deturbarent. Vt eadem natura omnium parens, cum terram, mare, coelum, communem hanc lucem, qua cuncta animalia fruerentur, omnibus vellet patere; neminem haberet eximium, cui uni, ceteris exclusis, his frui liceret, ita memores nobiles homines, multitudinem esse certam partem sui, qui iisdem legibus institutisque uteretur, eam aequo animo pati debere eadem vitae, commoda, quibus ipsi potirentur, referre, neque sibi modo credere oriri solem, occidere, mutare coeli tempestates, madefieri terram imbribus, irrigari agros, gigni fruges, parari cetera vitae alimenta, quae iis negare, quorum industria, et labore aliis suppeditarentur, non hominum, sed ferarum esset. In humano corpore laesam manum, humerum, pedem, curari requiete totius corporis: in Vngarorum regno, cum languerent subiecta membra, profligata salutis spe, nitere modo caput, curari, coli, unos suspici principes inter multos, qui sua fortuna, per iniquam collationem rerum, miserorum calamitates luctuosas magis aerumnosasque redderent. Quod quidem qui potuisse illos sperare sibi diutius, quam necesse esset, impune licere, cum nemo umquam violentum idem, et diuturnum in terris vidisset, aeterna atque immutabili naturae lege hunc modum humanis rebus statuente. Quae cum viri boni commemorarent; subibat tristis recordatio eorum, quae civili bello, ut credebant, brevi expianda imminerent, hinc conscientiae aculeo exagitante animos, hinc, mentis poena, quae comes mali conscientiam sequitur, pavore omnes, formidineque terrens. Nullius vero tanta potentia, nullius adeo integrae fortunae erant, qui dubitaret, quin, si armis dimicandum esset, victa nobilitas fanda infandaque omnia subiret, quae victores in eos essent edituri, qui in inermes

exempla insignia crudelitatis, saevitiae edidissent. Augebat, ut iam dictum est, tantam vim malorum contempta publica auctoritas, nullum publicum consilium, rex nullus, quem, tamquam haec minime ad se pertinerent, nullus eorum sensus, quae evenirent tangebatur, ut nisi sibi quisque rex, dux, et salutis propugnator esset, intelligeret sibi de salute, et reipublicae et privatae pariter esse desperandum. Ad haec mala aliud accedebat, quod quidem in magnum omnium incommodum vertebatur: cum enim certa consilii ratio expedienda in dubiis rebus esset, et quidem quae minus recte administratae certam ruinam, et pestem in rempublicam inveherent: dum singuli, dicenda sententia, sua probare conabantur; deerat qui quae tutior esset, statueret, cuiusque auctoritate, id quod conducere crederetur, et mature et celeriter, quemadmodum temporis ratio postulabat, perageretur; quae duo raro quisquam agendis rebus, ut quis maxime prudentia, et consilio valeat, novit praestare. Nam neque externi auxilii ulla spes erat, vicinis regibus ita affectis, ut cum regnum esset in duas partes discissum, studio iuvandi alios, nulla cum spe fructus uberioris, aliorum in se odium, quod accidere necesse esset, sibi nollent conflare. Perinde vero habebatur ita beneficium collocare, ac beneficium perdere; cuius, cum ad multos pertinet, vix unus, aut alter est memor. Id enim quod proverbio fertur, verissimum, res ipsa, et rerum usus docet: qui eadem opera multis serviat, eum et rem perdere, et multos facere ingratos: quod quidem est praemium recte factorum iniustissimum. In magno populorum motu, cum ita ante oculos obversaretur exorientis belli procella, ut nemo speraret se posse consilio auctoritateque occurrere; abiectis animis, desperatione rerum; rege

quiescente, cuius, unius auctoritate, aut sedari, aut tolli posset; principes, et praesentium terrore percussi, et multo eorum magis, quae in posterum impendebant, quod unum erat reliquum, inter se per crebra colloquia, de duce deligendo agebant, cuius aut prudentia, et consilio, aut vi, atque armis regni exortum discidium, antequam serperet latius, tolleretur. Vnum vero maxime obstabat, quo minus, necessarium consilium facile explicarent, omnium opinione magis ea ipsa urgens reipublicae tempestas, quae moram reiiciebat; et non magna eorum hominum copia, e quibus deligendus esset, qui publicae rei procurandae idoneus haberetur: longae enim erat res morae, et quae matura consultatione indigebat. Ac multi quidem erant, qui maiorum gloria clari, suorum in se oculos convertebant, in tam angustis rebus praesidium, atque opem implorantium: in quo uno ita excelleret bellica virtus, ut spes esset aptum tanto bello administrando fore, ubi etiam delectus omnium haberetur, aegre quisquam reperiebatur. Atque exstabat quidem ingenii indoles in multis, et spes, sed quam neque usus, neque exercitatio confirmaret, quae una perficit, quae a natura praeclare inchoata habentur: ut esset verendum, ne ea ipsa spes, ubi maturato opus esset, efflueret, et luxuriaret temere suscepta. Iam, et singuli, sua virtute diffisi, curam omnem animis ambiendi summam militaris imperii abiecerant: ut cum unus esset dux multis praeficiendus, nemo ita esset animo paratus, ut, in magno omnium discrimine, mallet unus suo periculo multis imperare, quam uni aliena invidia, nulla sua, parere. Itaque suffragatores multi, candidatus nullus; quod eo gravius ferebant, quo minus diu adversarios barbaros homines, atque e populi sordibus desiderasse audierant,

qui gerendo bello praesset, rusticos homines, quos non usus, non domestica disciplina, non liberalior ulla educatio perpolisset, nactus ducem sui ordinis, cum rei militaris, ut credebant, non imperitum, tum, quod caput esset, ad audenda perficiendaque omnia proiectae audaciae: nobilitati, quo superbo titulo qui gloriaretur, natus miles, dux, imperator crederetur, deesse quem ducem imperatoremque agnoscerent. Sed huius incommodi erat non obscura caussa: Diuturnum otium Vngaros perdiderat, cum per multos iam annos inertis segnitia languentes, ab omni belli cura, infamis, et importuna pax avocasset, numquam expetenda Vngaris, quorum vires, nisi perpetua belli exercitatione corroborarentur, emollitae flaccescunt: quod tamen ut raro accidat, certa ratio facit: cum numquam illis sit tuta pax ab eo hoste, cuius fidem, non ius, non fas, non religio tuetur. Aluerat hanc animorum pestem, praeter regis ingenium, cui numquam videbatur necessarium bellum, nisi cum esset spes pacis deplorata, mos genti inveteratus. Non enim temere Vngari, quando non est domi occasio armorum, quae una res feroces animos ad industriam impellit, sub exterorum signis merere consueverunt, quod Itali, Germani, Helvetii, faciunt, qui non unius, sed multorum imperio continentur; ut nisi propulsare illatum bellum, et tueri fines a Turcarum excursionibus cogantur, potius domi obscuri, quam foris clari, intra patrios lares consenescant. Quo magis Vngaris regibus danda opera est, quorum et virtutes, et vitia numquam aemulatore carent, ut iis agendis, quae digna honesta aemulatione habentur, suos excitent ad laborem, et industriam, numquam vicino hoste non obiciente materiam ad fortitudinis laudem, atque adeo, ut crebro suos in expeditionem mittant,

atque uitro lacescant quiescentem, tamquam tabe corporis artus, militares animos otio labeferi existimantes. Neque tamen tum ita Vngari quiescebant, ut securis de Thracio bello, diuturnum otium illis esset ab armis sperandum; quae numquam ii tuto ponunt, quibus invitis, sunt ad hostis arbitrium sumenda. Multo vero hoc minus debet sperari, cum res est cum eo hoste, qui non voluntate, quae vasta, atque immanis, infinita, atque immensa ambit; sed ratione suorum temporum quiescere cogatur; quibus dubiis, ubi praeferat pacem bello, haud prospicere suis rationibus videntur, qui, omissa occasione bene gerendi rem, abiiciunt arma, quibus praesertim sensim desuescendo, ubi ad illa redeundum sit, haud eandem in hostem animorum ferociam afferunt, quae utilis semper gerendis rebus, usu modo, et exercitatione armorum viget. Inutilia arma vero, quae miles cote acuat potius, quam praesentia, et magnitudine animi, quae ubi adest gerenti rem, nulla arma, quantumvis retusa acie hebescent. Hinc priscis temporibus non defuerunt, qui bello victis nobilissimis gentibus, cum utrumvis liceret, eorum quos vicissent, servari integras vires, quam deleri, aut imminui adeo maluerint, optimam illi quidem secuti rationem, ne victores per hostium extinctas vires, animis solutis metu, dediscerent quibus non indigerent, bellicas artes; quae coli debent, cum minus sunt necessariae, ne tum desiderentur, cum belli tempus necessarias requirat: ut cum non sint foris hostes, qui lacescant, videantur externis bellis exercendi, quorum est virtus patriae praesidio adversis temporibus futura. Quantum quidem nervorum, et roboris sit in perpetuo armorum usu, victor populorum gentiumque omnium docuit populus Romanus illustri exemplo, qui per septingentorum annorum spatium, semel Numae

regis tempore, iterum Augusti aetate Iani portas clausit, pace terra, marique parta. Quae cum ita sint, deteriore conditione tum quievisse Vngari videntur, quam cum Turca gessisse bellum: cum illos, si qua belli occasio subito incideret, corrupta animis maiorum virtute diuturno otio, fortuna obiectura impares esset non exspectato malo: propulsando malo Turcae hostis vires peritia rei militaris, atque usu confirmatae, crederentur invictae, ubi eas in Vngaros intenderent, quorum nervi viresque remissae desuetudine armorum iam pridem contabescentes languerent. Ergo, cum tamquam circumfusus tenebris, moesta rerum facies apud Vngaros teneret, quasi repente e coelo demissa lux, incertis consilii Vngaris affulsit Ioannis Scepusii virtus, constanti hominum fama celebrata, qui tum, ut alibi diximus, cum imperio Transilvaniae praeerat. Cum vero ob alias viro principe dignas artes, quibus excellebat, tum ob hanc unam caussam maxime idoneus dux gerendo bello credebatur, quod cum vicinis barbaris praeliari asuetus, quibuscum fere continentia bella tum Transilvanis intercedebant, exercitatum militem in primis habere ferebatur. Conciliabant nobilitatis favorem auctoritatemque per se gratioso apud omnes ordines, Stephani patris insignia merita in Vngarorum gentem, quorum grata recordatio adhuc in ore omnium vivebat, in liberis patriam virtutem agnoscentium; quos quidem, ut fortunarum et nominis, sic virtutis haeredes, domi, et foris summos honores gerendos, qui bene de patria meritos manerent, haereditate adire aequum censebant. Quae vero in eo per se magna erant, ut etiam cetera abessent, rex sua facilitate, atque indulgentia efficiebat, ut maiora viderentur; per quem usque eo illi crescere licuit, ut unus e nobilitate, post

sororem Sigismundo regi collocatam, maiestati regiae officeret. Quae hominis potentia ne efferretur altius, quam par esset, obstabat probitas par, quae evehentem se ad maiora animum intra officii fines revocabat; cuius moderationis fructum maximum apud suos referebat, si quis incideret casus, haud dubium Ladislao successorem animis destinantes, tum eorum haud tacito consensu, regiam privatum auctoritatem obtinentem. Dicitur quidem mater magni animi femina, sed mater eadem tamen, quo nihil proclivius ad concipiendam spem animo, de liberorum aut honoribus, aut commodis, per magica carmina, et vaticinantium, ac somniantium ambages, suscepta spe de filii regno, pro puero quotidie ad aram vota suscipere solita, ut ad dignitatem regiam, omnium faustis ominibus tendentem, propitius deus, adhuc vivente se, secunda aura proveheret, fortunata in primis matre futura, si filium Vngarorum regem videret, quae reginam Polonis, optimis natam auspiciis dedisset. Matris vota filius adolescens, haud contentus domesticis opibus, quas ingenii indole, atque animi magnitudine, quamquam maximae essent superabat, numquam destitit fovere, spe ac fiducia pari; quidquid fata adversa obsisterent, ad optatum finem vires, atque animum intendendo. Sed quam saepe homines fallantur adeo magnifica, et speciosa vota animo concipiendo, ut multorum regum infelices exitus praetereantur, Baiasetis exitus, qui Turcarum imperator tantus a barbaro hoste victus, ludibrii caussa, quacumque iret, ferae instar, cavea inclusus, circumlatus; Valeriani qui paulo ante orbis terrarum imperium adeptus, apud Saporem Persarum regem captivus consenuit; Siphacis, Persei, Iugurthae summorum regum qui sunt a romanis duci-

bus victi, atque in triumphum acti; paucis post annis, duorum Aegypti Sultanorum, quorum longe lateque patebat in multas gentes imperium, alterius a Selimo in acie caesi, alterius in ea ipsa regia, in qua imperaverat, supplicio affecti: is ipse Ioannes docuit postremo, honestiorem fortunam privati, quam Vngarorum regis futuram fuisse, si quis ex sapientium iudicio magis, quam ex vulgi opinione, rem aestimare velit; cum eius unius regno, omnium consensu, Vngarici regni excidium fuerit acceptum referendum. Ad haec alii addunt Mathiae regis praedictionem, ex notatione eius diei natalis, minime vanam, id quod eventus probavit: cum una cum rege accumbenti Stephano patri nuncius esset allatus, uxorem illi filium peperisse; ad illum regem conversum, qui ex mathematicorum observatione compertum haberet, qui tum coeli positus ac siderum esset, exclamasse, natum eo die Vngaris regem, atque id patri adeo continuo gratulatum. Tanta rei fama, sive ab inani initio orta, et temere credita est, sive a vero manavit, de eo dubitari haud potest, quin clarum hominem cum maximarum virtutum commendatione, tum generis splendore, nobilitas eodem consensu, perpauca exceptis, regno, quo spem erexisset, destinaret. Inde, ut solet, cum illius votis eventus respondisset, minime mirum fuit, supersticiosos homines, a primis illius vitae auspiciis, omnia, quae hoc praesagire crederentur, in notitiam, et famam hominum repetita revocasse. Hinc ille ausus tentare, nondum nato Ludovico, per Annae puellae nuptias in regiam aditum; quae praerogativa freto praesertim nobilitatis suffragatione minime contemnenda ambienti regnum videbatur: quo quidem petendo competitorem Ferdinandum principem, Ioanni praefendum affinitatis iure,



si standum esset maiorum consuetudine, qui semper regionum liberorum, sive virilis stirpis, sive muliebris essent, in comitiis de novo rege creando rationem habuissent, natum praesertim augusta familia, ac iustitiae, et sanctitatis fama florentem, superavit. Neque rex adeo videbatur per ea tempora ab illius consiliis aversus, usque eo illi indulgendo, morigerandoque progressus, ut, tamquam summa rerum penes unum Scepusium esset, stipatum ingenti equitum, peditumque manu, prope ut ad iusti exercitus modum in expeditionem militem ducere conspiceretur, in regiam accedere pateretur. Hinc Anna regina, id quod a maioribus natu accepimus, non salse, quam vere minus, virum, regem regum solita appellare: nomine enim modo regem Ladislaum, quod illi satis videretur, qui nihil regium praeter nomen, et inanem speciem regni haberet; eos vere reges, in quos ille obtineret titulum regiae maiestatis, atque speciosum nomen imperii, vere regio imperio, et munere fungentes: quibus verbis nemo non videbat Scepusium designari; cum post Mathiam regem creatum, si quis modo genus spectaret, nemo non aptus regno multo etiam infra Scepusii nobilitatem positus videretur, modo illi suffragaretur clara, atque illustris virtus. Insigne vero documentum, ut iam diximus, visa fortuna in uno Scepusio suae inconstantiae constituisse: neque enim facile est iudicare, utrum illi blandiendo magis faverit, cum eum e privata domo in regiam evehit; an adversando cum ingentibus aerumnis iactatum in suscepto cursu honoris destituit, de eo peius mereri sit visa. Nam si quis spectet diligentius, quae tempora sint eum regem creatum consecuta, quibus malis, atque incommodis regnum iactatum, quae bella, quas clades sint populi perpessi, quorum invidiam tot an-

nos, quot regnavit unus sustinuit; hoc fateri cogatur, ob hanc caussam secundam fortunam facilem viam aut affectanti, aut promerenti regnum stravisse, ut, raro exemplo humanarum rerum in excelso loco honoris essent illius mala, atque incommoda insigniora. Cum vero ille in aliis multis, tum in hoc uno maxime habitus infelix; quod illi fortuna in petitione honoris Ferdinandum, cum quo in certamen descenderet, obiccisset, gratiosissimum competitorem, et cuius essent, ob augustae familiae maiestatem, et Caroli V. fratris potentiam, immensae opes: quibus tamen Ferdinandus, quae illius erat religio, nolebat videri inniti, cum quidem Ladislai genero, quocumque esset genere natus, ut olim Ludovici genero Sigismundo, atque huius Alberto Caesari regnum negari sine gravi sui iniuria haud posset. Hinc Ferdinandi studiosis arrepta ansa Ioannem criminandi, cum alias semper, tum maxime, post rem male gestam a Ioannis ducibus, certatim in augustae familiae assentationem effusi, tamquam in ereptorem alieni iuris, regno interverso a iusto haerede nefario latrocinio, in praedonem, in proditorem Christianae reipublicae Solimani mancipium, palam invehebantur: quae ipse defensor suae caussae acerrimus, tum ad Clementem pontificem, tum ad Carolum V. Caesarem, et caeteros imperii ordines scriptis litteris, quae adhuc exstant, refellere conatur. Igitur cum haec latius hominum sermone dimanassent, non caussae sed gratiae studentium, qua Scepusius inferior habebatur: multa, ut fieri consuevit, inimicis affingentibus, quae innocentis famam obtererent; non exterarum gentium potuit studia retinere, non suorum, sed ab iis ipsis destitutus est, quorum ingenti suffragatione erat regnum adeptus; quos quidem multis de caussis, quae suo loco comme-

morabuntur, postremis temporibus, est in se expertus infestissimos. Inde ingentes clades, atque aerumnas perpessus gerendo, atque administrando regno, gravioribus dignus multis est visus, eorum malorum creditus auctor, quae postea, magna cum regni perniciē, Vngariae populis sunt per illum invecta. Nemo id certe ausus fuerit negare, non ei qui verae laudis cupidus esset, regiam dignitatem fuisse deprecandam, et, si quid amplius, atque augustius homini in vivendo est, per insignem patriae calamitatem partum. Si quando mentio facta est, de regno Scepusio tradendo, id quod video inter multos constare; verisimile videtur, id actum eo tempore, cum ab Vngaris diffisis regis virtuti, et sapientiae, desperatio communis salutis extorsit, desponsum praemium iustissimum patriae liberatori, et praesentium malorum vindici, quae non ferenda oculis obversarentur. Nam qui tantum munus praestat, parvi interest, quo nomine honestetur, cum res ipsa omnium titulo maiorem, patriae patrem, regem, et si quod est aliud nomen inter homines, maius, atque amplius ostendat; quod etiam si hominum suffragiis non assequatur, multo sibi maiori laudi ducit debitum negari, quam fortunae indulgentia non promerito deferri. Vtrum vero cum praesente de tanta re actum sit, atque, huius rei gratia conventus nobilitatis indictus, quod minime mihi probabile fit, cum id agi, nisi per interpositam regis auctoritatem, haud licuerit, an per occultos nuncios, qui regni appetentem sua sponte ad capessendam rem, cuius bene gestae regnum praemium esset, incitarent, non audeo pronunciare; atque adeo etiam si ad summam diligentiam nihil mihi reliqui fecerim, de ea a peritis Vngaricarum rerum percunctanti. Abhorret quidem animus ab huius rei fide, cum ob

alia quae accidisse ea administranda feruntur parum consentanea vero, tum ob minime dubiam coniecturam ductam a Ioannis regis ingenio; qui in tot litteris, quas ad summos reges, et principes populos pro sua caussa adversus Ferdinandum regem scripsit, in quibus nihil omittit, quod suo iuri tuendo, adversarii oppugnando sit, nullam huius rei mentionem facit. Quantam vero invidiae molem erat in adversarium excitaturus, quamvis magnis opibus nitentem, si, cum tantum suum meritum in patriam esset; quod de eo suorum iudicium fuisset, vere commemorare posset, qui ultro obtulissent virtutis ergo non petenti regnum, et, ne quando de eo posset dubitare, syngrapha cavissent? Nam non desunt etiamnum qui audeant affirmare, syngrapha illi principum fidem obstrictam, cuius exemplum exstet; quam quidem mihi, tametsi pertinaci studio undique conquisierim, adhuc non licuit videre. Actionem vero tam illustrem, et quae in regni petitione tantum illi erat momenti allatura, non erat praetermissurus, et futuram sibi ad posteritatem perhonorificam, et, ad ius obtinendum adversus potentissimum adversarium, magno adiumento: permagni enim intererat, cum, more maiorum indicis comitiis, legitimis suffragiis esset rex creatus, fidem fieri, multo ante illi a suis promissum regnum quam delatum. Verisimile quidem, principes usque eo oppressos temporis angustiis descendisse, ut cum ab omni belli apparatu, a milite, a copiis, a tormentis, a duce essent imparati, quo uno maxime indigerent; unum, quem propter domesticam potentiam, et singularem virtutis opinionem, dignum eo honore ducerent, labanti nobilitatis caussae duces patronumque ascivisse:

neque hoc solum, sed ut in trepidis rebus solet, et cum ad extrema ventum est, pollicitos, ubi nobilitatis causam susciperet, praeter eam gratiam, quam a privatis initurus esset assecuturum, quod maximum praemium sperari a conservata patria illius virtute liceret, in ultimo discrimine male ab inerti administratum regnum; natura id extorquente, ut deprecandi caussa, quae imminent mala, saepe homines ea polliceantur, quibus praestandis, ut maxime velint, minus idonei sint, non semper aequante animi studium facultate agendi. Namque et id saepenumero accidit, ut, quae est hominum inconstantia, non semper idem, et velint, et nolint, haud raro, quod nunc cupidissime requirant, paullo post toto animo reiecturi. Subito oppressam patriam intestino bello ad eum confugere in rebus perditis coactam, cuius fides, ut esset imploranda adversus sceleratorum hominum coitionem, rex effecisset; qui oblitus regii muneris, aut nollet si posset; aut ignoraret si vellet, deberet certe, quiritanti patriae opem ferre: horum alterum enim necesse esse accidere. Nam ne legitima illi excusatio a pravitate atque imbecillitate ingenii relinqueretur, leges providisse, quae posterorum securitati, ac saluti prospicientes, regibus addidissent sapientium hominum consilium, de quorum sententia intelligerent sibi reipublicae salutem procurandam. Non enim credidisse, regiam dignitatem, quae a singularibus maiorum meritis in hominum societate esset orta, nisi pari consilio, et virtute septam, quae non a genere saepius, quam ab iis artibus manaret, quibus civitates, et magna imperia reguntur, sine ingenti hominum pernicie haereditate a posteris posse adiri. Nihil umquam accidisse, quantumvis alte quis maiorum res gestas memoria repeteret,

cuius rei caussa, magis Vngari indigerent aut consilio dubiis rebus, aut subsidio communi salute procuranda posita in extremo discrimine: nihil unquam accidisse, ut qui aut rex, aut cum potestate regia praesesset publicis rebus, minus suos iuvare consilio, praesidio tueri, ut maxime egregia adesset voluntas, posset. Ad tantam exorientem pestem experrectos alios, adesse patriae circumventae intestino malo, polliceri suam operam, paratos re, consilio, iuvare: alios ita paratos animo, ut quando minus alia re liceret, dei immortalis atque hominum fide implorata, ultimum pietatis munus, patriae praestarent, et reipublicae interitum, si hoc modo superstitibus per inimicorum crudelitatem permetteretur lugerent: unum regem, quem pro suorum salute excubare, manere in perpetua reipublicae vigilia aequum esset, quod nefas dictu haberetur, tamquam grandi lethargo sopitum, regio muneris indormire; ut ne hoc quidem, ultimae infamiae vitandae caussa pateretur a se impetrari, ut vigilans cum ruente patria occideret. Omnia quae sua sponte mala haberentur, ubi in corpore imbecillo, et male affecto haerent, quantumvis parva mali accessione fieri deteriora. Regem se nullum habere, quem de salute communi consulerent, cum esset quidem qui regni commodis frueretur, quem venerarentur populi sella regia sedentem, sceptrum, coronam gestantem, insigne supremae in homines potestatis. Latere regem adeo necessario suorum tempore, et quidem, quod esset turpissimum, et portenti simile, sublimes loco atque in hominum luce latere, in foro, in regia sanctissimis superiorum Regum penetralibus: quae tamquam rege amisso, squalore, luctu, ac tenebris obsita non ita pridem, novo exemplo, regio puero

futuro regni consorti, Vngari patefecissent. Non secus illum facere, ac si cuius in navigando munus esset, clavo assidere; adversa tempestate navim inter scopulos iactante, in sentina obrutus alto somno delitesceret: ut, nisi unus Scepusius sese excitaret, et in quo regius animus, regia virtus emereret, a suis delatam regiam auctoritatem, tuenda principum caussa susciperet, decus nobilitatis, patriae iura a furenti multitudine vindicaret, iam conclamatum de Vngariae regno videri posset. Regem quidem habere se, sed eum regem, quem nisi excitaret tanta exorta belli procella, unde tum praesentibus suis, tum posteris certum excidium portenderetur, haud quaquam sperandum esset, experrectum querelis, undique quiritantium, et poscentium opem, afflictis publicis rebus, ad sese agnoscendum excitatum iri. Regia ornamenta multos saepe, in regia natos fortunae temeritate assecutos; regias virtutes homines a natura habere, quibus studio, atque recta educatione excultis, usu atque exercitatione auctis, consulere hominum societati, quorum caussa se natos meminissent. Adeo putidum morem apud Assyrios maiorum memoria haecisse, ut tamquam iis una caussa esset creandi regem, ut essent, qui statis anni temporibus pompae, et spectaculi caussa populo producerentur: ubi foris gerenda res esset, barbati reges modo inter feminas viri, vitam turpiter in gynaeceo transigerent, ii foris rempublicam administrarent, quorum virtus, et magnitudo animi, non, quorum tituli inter multos, atque insignia conspicerentur. Non hoc Vngaros spectasse, cum sibi regem Ladislaum nobilissimis competitoribus praeteritis delegissent, quam beata vita, et experte curarum frueretur, sed quam beati populi essent, quibus unius

consilio et sapientia e regni vertice, quasi ex alta specula, communi saluti prospicientis, tuto otio agere liceret. Aegre privatam domum quantumvis optima et luculenta patrefamilias de rei familiaris cura remittente, diu posse incolumem agere: regiam tenente parum vigilantia rectore numquam vacuum iis malis, et pestibus futuram, quibus arcendis vix sufficit multorum insignis, atque explorata virtus, quorum consilio septus rex, pacis tempore, patriis legibus, atque institutis rempublicam temperando; foris tuendo adversus hostes armis, vigilando, consulendo, adversus voluptates omnes pugnando, regio munere fungatur. Talem regem dignum, qui Vngaris imperaret; a cuius institutis qui abesset, qui non suae, non maiorum gloriae memor, cunctaretur ruenti, atque occidenti patriae, eius necessario tempore opem ferre, eum qui regem agnoscerent, non debere recusare, quin digni essent, quibus iners, et languida pecus imperaret. Virum esse oportere, insigni virtute, spectata sapientia, animi magnitudine, quem viri, cuiusmodi Vngari essent, agnoscerent regem: degeneranti ad muliebri ingenium, molli, effeminato, quae feminarum essent, colum et pensa, multo illi aptiora munera, quam sceptrum, atque insignia regni tradenda; quae excultam mentem sapientiae studiis, ac viro principe dignis artibus postularent. Neque tamen Ladislai hoc dedecus maius, qui plura haud posset praestare, quam quae ipse a natura minus in illum effusa, comparata haberet, quam Vngarorum habendum, qui illum diutius, quam necesse esset regem ferrent, cum illis liberum ius a maioribus esset relictum, suo arbitratu regem deligendi; qui nisi intelligeret, non sibi prius quam iis se regem creatum, a quibus tantus illi esset



habitus honor; tam longe esset a regia ablegandus, quam ab iis virtutibus longe ipse abesset, quae essent in rege conspiciendae. Quod collocatus impar in regia sella, humi mente defixus iaceret; quod eodem loco haberet incolumem, atque eversam patriam; virtutis honorem, et flagitii infamiam; quod otio diffluens, sui, suorum, patriae oblitus per suam secordiam adduci rempublicam in salutis extremum casum pateatur; non illi magis, qui, quo ingenio esset sui similis numquam dissimulasset, quam iis probro dandum, qui tanto praestantioribus deiectis competitoribus, regem Vngaris dedissent, qui regendus ipse magis, quam aptus regendis aliis, si id dici per regis maiestatem liceret, in privatum fundum, curaturus regium pecus, videretur ablegandus. Esse quidem plurima de quibus Vngari quererentur, sed unum gravissimum, nullum existere regem, qui in extremo salutis discrimine, rebus afflictis opem ferret: nullum nobilitatis, populi nullum certum consilium, qui rege destituti, uno certo reipublicae auctore, et vindice publicae salutis, qua ratione tam saevam obortam tempestatem disiicerent, ignorarent, defixis animis tristi luctu, et comploratione malorum, quibus hebetati, minus ad suscipiendam communem caussam excitarentur. Eius rei culpam non in rege esse, sed in eorum dissimulatione, qui, malo consilio imparem creatum, deteriore tolerarent. Dedecus esse, diu pati viros fortes, regem imbellem; mollem, feroces; assuetos bellicis laboribus inertem; cuius esset negotium, quies, ignavia opus; bellum pax; vita mors. Quid vero excogitari absurdius, quid animo fingi foedius posse, quam natum in terris hominem (nondum regem, nondum mul-\*)

\*) Itt megszakad a bécsi codex.

tarum gentium populorumque moderatorem dici) nihil in terris agere homine dignum? Non eos homines qui tam perduto ingenio essent, sed tetra verius, atque abiecta cadavera, in quibus viventibus, et specie tuentibus hominis formam, vis et natura hominis quaeretur. Quod quidem si ita esset, quanto turpius id ferri in rege, in quo uno homines venerarentur in terris deum, gentium et populorum omnium rectorem? Vnum reliquum subsidium Vngaris, quod a rege desperandum esset, stertente in patriae exitio, et regni incendio, ab Vngaro, principe eodem nobilitatis petendum. Eum Scepusium esse, ita natum hominem ad regni, atque imperii decus, ut scelus videri posset, per fortunae temeritatem intervërso naturae ordine, non solum eum parere, in quo conspiceretur digna imperio maiestas, sed eum etiam agnoscere regem, cui deberetur una summa laus, si bene nosset privatus legitime imperanti obtemperare. Nihil caussae esse, quare poscenti opem patriae decisset, et iustis suorum votis; qui arcendis hostium telis a suorum iugulis non peregrinum regem quaerent, quem non sanguis, non genus, non communis patriae tangeret amor, ubi etiam summa virtus redderet insignem; sed Vngarum ducem, quem illustribus documentis cognita in patriam pietas, caritas in suos, animi virtus, perniciosissimo propulsando bello idoneum redderet. Satis ad eum diem Scepusium pudori modestiaeque suae consuluisse, cuius magnam saepe laudem ante acta in vita retulisset; alia tempora; aliam moderandae reipublicae rationem postulare: implorantibus opem suis, in quorum viscera intenta essent nefariorum hominum tela, quando nemo praeter eum esset, qui ea posset propulsare, qui provinciam nobilissimam eum imperio obtineret, viris, equis, omni bellico apparatu florentem

uni aliquando lucem ingenii, et consilii porrigendam; parendum conspirationi bonorum; adversus impotentem multitudinem oppressae nobilitati subsidio eundum, unum illum ducem, atque ultorem communium malorum poscenti; quocumque ille nomine honestandus, accedere ad regni gubernacula mallet, cum nullum quantumvis illustre, nomen non minus esset illius merito, futurum, praestandam hanc patriae pietatem, tamquam mediis fluctibus, in funestissimo rerum omnium naufragio periclitanti, ut, quod illi sui cives munus offerrent, suscipere alacri, ac fidenti animo auderet: Vni certe tantum munus deberi, cuius fidei et sapientiae, rege succumbente publico muneri, permitti regni salutem, et reipublicae procurationem recte posse crederetur. Ad regnum enim eum asciscendum, qui non sua caussa, sed suorum nosset regnare: eum, qui multo ante habitus esset regno dignus, quam esset adeptus; qui non largitionibus, gratia, vulgi favore, sed recte iudicantium studiis, unus e multis delectus accederet ad regnum. Specimen regiae indolis iam pridem Scepusium dedisse: cum vix edito in lucem, non obscura dei immortalis providentia, per Matthiae regis, quasi per divinae mentis oraculum, regiam dignitatem portendisset: ut si illi in longiorem diem honos differretur, non Scepusio-quidem, sed iis dedecori dari oporteret, qui multo ante promerito, non ultro maturius regni honorem detulissent. Longe vero eos falli, qui existimarent principum votis Ladislaum obstare, vel Ludovicum potius Ladislai prolem: cum quidem contenderent, vivo non licere, salvis legibus, regem surrogari, quem ipsi sua sponte patri, quantumvis inertis, atque imbelli, regni consortem collegamque viventi addidissent. Verum ne quis crederet huius

sententiae auctores recedere a maiorum institutis, qui semper superiorum regum liberis in creando regni successore prospectum voluissent, in filio puero aetatem, in patre impar ad res gerendas ingenium, omnium maxime rationem temporum, quibus semper parendum sapientes censuissent, facere, ut in simili re, esset ad maiorum consilium descendendum, qui prius sibi reipublicae habendam rationem, quam regum affinitatum, et necessitudinum statuissent. Ita ex Alberto Caesare, et Sigismundi filia nondum nato Ladislao Posthumo, regnum a patribus negatum, in Ladislaum Iagellonem huius ipsius Ladislai patruum translatum esse, laborante regno civilibus discordiis, et a Turca urgente Thracii belli metu: quod omnium maxime formidolosum, non regem solum, sed regem virum posceret, certe dignum quem Vngari regem agnoscerent: quod eorum de se iudicium minime Ladislaus fefellisset, pro suorum salute, ad Varnam inter confertos hostes pugnans interfectus, virtutis et fortitudinis primo flore aetatis insigni relicto monumento. Nam si modestia prohiberetur, non deesse summorum hominum exempla, quibus non solum ab aliis regnum oblatum, sed ultro expetitur etiam honori fuisset, Sigismundo olim Alberti socero, Ludovici genero, non solum fraudi non fuisse, sed vertisse etiam in summam laudem, qui Boemiae rex comitiis, quae haberentur de Caesare deligendo, se ipse, minime veritus hominum offensionem, nominasset: cum quidem ita esset praefatus, cum de summo imperio uni mandando ageretur, quem sibi praeferebat, verbo abesset arrogantia, habere neminem: non enim aequae atque ipsum se, alios sibi cognitos esse. Tanti vero apud omnes unius auctoritatem fuisse, ut suo iudicio visu

dignus, qui summum in Christiana republica imperium administraret, dignus idem videretur, a cuius iudicio principum alienum ne esset. Quanto vero magis Scepusium dignum habendum regni honore, qui non suo iudicio, sed aliorum suffragio ad regni honorem vocaretur. Ac si minus posset a modestia sua impetrare, ut de rege detractum sibi sumeret regium nomen: at eundem contentum hac moderationis laude non posse recusare, quin in ultimo discrimine labantem rempublicam pro sua in patriam pietate, capesseret, et suis subsidio esset, ad illum supplices manus tendentibus: modo enim re praestaret regium munus, parvi referre, quo se nomine a suis appellari mallet. Regnum quidem promereri, et domestica virtute, et suorum iudicio, haberi omni regno gloriosius, atque honorificentius. In eo statu rem Vngaricam esse, ut si quis eas propius intueretur, is facile posset intelligere, nisi mature impendenti malo occurreretur, latius indies proferentibus patriae hostibus belli flammam, regnum nobilissimum, et nulli in Europa secundum, foedo incendio conflaturum. Abscessisse tamquam in vasto corpore iam pridem e regni visceribus conceptum virus, atque in apertum erupisse; quod quidem per nobilium hominum dissimulationem usque eo serpendo inclusam mali vim in multos distulisset, ut non tantum spei ad salutem in opis acceleratione esset, quantum auxilii mora, afferret ad exitium metus. Atque haec quidem principes Vngaricae nobilitatis; quorum iudicio nihil poterat Scepusio accidere ad firmandam animo regni spem commodius aut opportunius, ut etiam cum regio honore conferretur; quem ita per quatuordecim annos gessit, ut non minore cum invidia Turcae bene-

ficiarius rex apud exteros aequae, et apud suos laborarit; quam gloriam privatus apud omnes servata patria funesto bello esset adeptus: quam tamen gloriam usque adeo adamavit, ut et videre potuerit, quae vera laus esset, et visam inani gloriae praeferre. Quae vero laus maior, quam oblatum remittere ultro deferentibus regnum? Eo quidem illustrior gloria in tanto reiiciendo honore; quo in promerendo certior laus. Nam regnum deprecari, per multorum caedem, urbium eversiones, provinciarum incendia comparandum, aliquanto maius hominis virtute, cum, eius unius causa, sibi magni homines ius fasque omne censuerint in terris violandum. Ad haec brevis oratio Scepusii, et tota fere in hanc sententiam. Quod adeo de se praeclarum iudicium sui cives fecissent, tanto id pluris semper apud se futurum, quanto minus conscius esset ullo documento virtutis et pietatis in patriam suae se id promeritum; nisi egregia quaedam voluntas de suis bene merendi, quam numquam desiderari a se esset passus, pro merito haberetur. Itaque id unum se modo queri, animum satis per se propensum ad veram pietatis laudem, haud viribus aequari: desperare enim se (id quod statueret sibi enixe agendum in omni sua reliqua vita) ubi etiam liceret in multos annos proferre, parem se gratiam suis, pro eorum tam prolixo, atque honorifico de se iudicio, relaturum. Nam quantum ad praesentem pertineret consultationem, etiam si quae imminerent reipublicae discrimina, graviora sibi effingerent animis, quam re essent, non desperare tamen, pro iustissima causa suscipienti arma, faventem et propitium Deum affuturum, cuius esset scele-ratis infestum numen, qui patriae illatis impiis armis iura omnia quae homines colerent, per omnia saevitiae

atque immanitatis exempla violassent. Summo studio a primis suis annis laborasse, ut dignus videretur eo loco, quem sibi maiores reliquissent inter suos honestissimum; quorum aemulatione ni incenderetur animus ad verae gloriae decus, non facile esset fidem posteris sui generis facturus: quod quidem tum se assecuturum speraret ubi ita se gereret omni sua vita agenda, ut quos sibi honores sui haberent, non illi maiorum nobilitati, sed propriae virtuti, meritisque in patriam insignibus tribuere crederentur: ea enim gloriae monumenta viro forti relinquenda, quae de patria praeclare a civibus suis deferrentur cuiuscumque fortunae, atque ordinis esset non quae a fortuna agnosceret statuarum, atque imaginum; quae posteris a maioribus relicta haereditate adirent. Regnum quod sibi deferrent, numquam se concupisse, observantiae suae in regem, et officii memorem: ut dignus suorum iudicio regni honore haberetur, iis excolendis artibus esse adnixum, quae viro principe dignae essent. Honores enim qui in summo homine fortunae testes, non virtutis haberentur, admirari imperitos homines; parvi ducere sapientes, qui non specie, et umbra rerum, quae saepius fallerent, quam hominum societati expediret, sed rebus moverentur. Quod cum minime ignoraret, studuisse semper se, ut quibus artibus honores compararentur, iis honores praecurreret, ea agendo quae patriae honesta, et salutaria essent: tantum quidem sperare numquam esse ausum, quantum sibi ultro sui cives deferrent, neque porro umquam ausurum. Regis maiestatem, quam par esset suis sanctam inviolatamque haberi, si expectatus agnosceret quod suum certum munus esset, atque ut aequum esset susciperet nobilitatis causam, adversus multitudinem scelere fu-

rentem, non solum non videri violandam, sed sustinendam, et fulciendam consilio, copiis, viribus omnibus: si deesset, ob id illi ignoscendum, quod non iis prius, quorum saluti prospicere, non oblitum regii muneris oporteret, quam sibi deesse videretur. Si quid enim patriae durius accideret, privatas fortunas alios, regnum Ladislaum, et quidem tantum regnum amissurum. Certe si tot malorum culpa in eo resideret, id quod ipse non auderet pronunciare, uno illi nomine videri totum condonandum, quod nihil de illius dignitate detrahi posset, quin idem in eorum dedecus infamiamque redundaret, a quibus delatum regnum, parum idoneus regio muneri administrando accepisset. Ita regem inertiae, et socordiae notam subiturum, quod tamen in malorum collatione, mitius malum haberetur; principes regni, aut temeritatis, qui regem creassent, cuius non haberent virtutem exploratam; aut inconstantiae, si magno consensu delectum, de regio solio, eodem consensu, praecipitem deturbarent. Sed ea in praesentia omittenda, et, aliquando quod urgeret, de ratione gerendi belli agendum. Multitudinem ingentem dici esse in armis, ac patriae infesta signa inferre, pestem atque exitium nobilitati; ruinam regno, atque excidium minantem: magnum discrimen, si gerendis bellis, militum numerum prius spectari, quam virtutem, viresque animorum oporteret. At si quae militum virtus, quod animorum robur, quae vires, qui usus, atque exercitatio videretur primo loco spectari oporteret; quanti fieri debere imbellem turbam, collectitium militem, agrestes homines, quorum arma essent ligones, marrae, sarculi, falces; campus, atque acies esset vinea, ager, pratium, caedua silva? Quanti id vero ad metum tollendum interes-



se? Ita multos esse, qui arma gerant, ut in magna, atque incondita hominum turba nullus, quo maxime indigeret, dux esset; cuius imperio regerentur, homines educere e septis pecus ad pastum, atque ex hara sues, non descendere in aciem, non manum cum hoste conserere, non classicum audire, non ire in expeditionem assueti? Id vero tanti esse, ut si cum veterano milite virtute essent conferendi, a quo longissime abessent; contemnendi tamen viderentur sine certo duce, a quo discerent obire militaria munera, suos servare ordines, sua signa agnoscere, ne hac, illac palantes, qua praecipites temeritas ferret, agerentur. Ac dici contra in magno improborum numero qui se profiteretur ducem, non defuturum, audacem hominem, et turbulentum. Nihil hoc quidem verius, sed quod huiusmodi tamen esset, ut verteret in maximum commodum, et minus a fortuna oblatum, ultro videretur expetendum: futurum enim, ut qui temerario consilio sibi amentiae ducem deligerent, cuius ductu atque auspiciis gerendum bellum (si ulla modo auspicia haberentur tantum scelus animis concipientium) par initiis eventus sequeretur. Neque vero continuo ducem, qui esset delectus militum suffragiis: non enim nomen in duce, sed rei militaris scientiam, consilii vim, animi magnitudinem, auctoritatem in primis partam multis fortibus factis spectari oportere; quae in quibus conspicerentur, ii vere duces essent, atque adeo tametsi nullis militum suffragiis delecti. Desperatae multitudini si dux esset maxime aptus quaerendus, cum qui probus esset, pudens, sapiens, magni animi, longe ab hoc munere crederetur abfuturus; improbum, sceleratum, nefarium inveniri necesse esse, qui quidem, ut cetera mit-

terentur, hoc nomine videretur contemendus, quod, quae virtutes conspici in imperatore consuevissent, numquam coniungi cum (im)probitate, et scelere potuissent. Neque tamen se fugere aliquando posse accideret, ut vir probus, quemadmodum olim Romae, in seditione militari, probus ac moderatus dux, imperare improbis, et seditiosis cogeretur. Id unum vero in votis maxime expetendum, (utinam aequae certa in spe) ut huiusmodi dux adversariis in quo animi moderatio, ac virtus par impotenti multitudini coercendae, et ad veterum disciplinam minime exculto militi contingeret. Quem enim si id usu veniret dubitare posse quin dux probus, ad sanitatem milite perducto, laetum belli exitum per civium concordiam, et iniuriarum oblivionem constitueret? Ita a duce improbo nihil timendum mali; ab altero, si id modo contigeret, plurimum etiam sperandum boni haud dubie suis ad pacem, otium, et concordiam auctore. Neque tamen cunctandum, aut mora occasionem corrumpendam, nondum ita confirmata adversariorum audacia, ut iis esset de victoria desperandum, qui et virtute, et caussa, et viribus adeo, adversus inconditam multitudinem essent superiores in acie futuri. Eundem ultro obviam sceleratorum hominum audacibus inceptis dum se occasio daret, qui neque certum adhuc ducem e suis ullum agnoscerent, neque aliunde sibi affuturum sperarent, nisi forte qui tanto muneri administrando impar, non prius hostium armis, quam imperii onere oppressus, succumberet, carentes duce, non secus atque hominum cadavera anima carentes aggrediendos, quamdiu destitutos consilio, opprimi spes esset, ne quorum virtute, et robore regni salus inniteretur, nobilitas et regni ordines, insigni cum omnium pernicie opprimerentur.

Se quidem quae partes laboris, atque industriae essent, ut rem gerendo militis, vigilando, mōnendo, explorando adversariorum consilia, audaciae occurrendo, ducis partes praestaret, operam daturum. Delatum sibi regni honorem precari deum immortalem, ut tacita opinione suorum iudicaretur promerere: ut crescere induceret animum ex cuiusquam ruina, regis praesertim, quem semper, ut sua in patriam pietas postularet, sancte veneraturus esset, nunquam ab se impetrari passurum. Haec ad hunc modum esse acta nonnulli sunt auctores: qui si vera afferunt, haud dubia suorum praerogativa, debitum sibi a suis regnum Scepusius, Mohacensi proelio Ludovico interfecto, petiisse, Vngari suae fidei memores desponsum detulisse videantur. Quod quidem si est, praeter ea, quae iam a nobis sunt commemorata, mirandum videri possit, nec Iovium, qui Panonicas res accurate persecutus est, nec Tuberonem, qui multo illo accuratius, eius rei, cum tanti praesertim momenti esset, mentionem ullam fecisse. Verisimile quidem est, quod iam monuimus, cum tanta belli moles in nobilitatem incumberet, iacente rege et publicis rebus indormiente, cuius voluntas probari magis quam virtus posset, illi spem regni factam, ubi rem impigre gerendam, pro causa nobilitatis adversus agrestes suscepisset, sed nulla, aut sponsionis, aut pacti, et conventi formula, nullis per iusiurandum conceptis verbis, quae eorum fidem illi obstringerent, quandocumque de rege surrogando comitia haberentur. Nam, quae eius sive pertinacia, sive constantia fuit, id quod studiosi illius nominis credi volunt, tuendo regno adversus Ferdinandi, et Caroli V. opes, non videbatur, ita sibi devinctae suorum fidei obliturus; cuius nusquam ab illo mentio-

nem factam legimus; cum quidem ita sui iuris esset tenax, ut etiamsi maxime laudis cupidus videretur, recuperandi regni caussa, magna sua cum invidia, ad poscendum a Turca auxilium descendere veritus non sit. Neque tamen illi erat maiori invidiae futurum, ubi, per principum conspirationem deiecto Ladislao, regnum occuparet, quod magna cum laude olim alii, et magno cum populorum plausu, per interpositam Romani pontificis auctoritatem egerunt, exemplo illustri posteris relicto, unius regno multorum populorum salutem praeferendi, ubi in rege desideretur sustinendo tanto muneri apta virtus. Nam tempora accedebant, quae eius rei invidiam elevarent, quae, ne quasi respublica everteretur, subito ex impiis hominum mentibus belli turbine erumpente, magni consilii atque usus hominem poscebant, qui iis moderandis cum potestate regii imperii praeesset; quae si uni esset mandanda, nemo erat qui eum in regni petitione competitorum ferret. Etsi enim non deerant, qui in tam amplo regno cum Scepusio, et generis splendore, et virtute certarent, praeter paternas opes tamen, quibus haud dubie omnibus anteibat, accedebat parentis memoria, clari viri, cuius ductu, atque imperio, qui militassent adhuc multi supererant, qui filio in patris gratiam suffragaturi crederentur. Adiuwabatur ad haec omnia, provinciae honos, unde illi tanto maior splendor, quanto a regia aberat longius, cuius maiestas, atque altitudo illi e propinquo loco officeret; ut quasi intra Vngariae fines inclusum regnum alterum videretur administrare. Insignis tum Transilvaniae praefectura habebatur, qua pridem Stephanus Bathorius functus, cum magnas res adversus Basiassetem ingenti sua gloria gessisset, earum recenti memoria profiteri se regni candidatum, haud veritus

erat, iis comitiis quibus Ladislaus erat regnum adeptus. Nam nostra memoria eiusdem nominis, et familiae Stephanum Bathorium idem provinciae honos extulit ad Polonorum regnum, quod quidem, magna gloria domi forisque parta per duodecim annos moderatus est. Eadem Scepusius potestate, non eodem iure, non secus ac si apud Transilvanos rerum potiretur, subiectas suo imperio civitates administrare, bellum finitimis inferre, propulsare illatum, Ladislao inconsulto, qui in his omnibus conivebat, facile patiens, hominem alioqui moderatum impotente legitimi imperii, procul ab regno Vngariae regnare. Atque ut appareret, non gratiae, aut nobilitati, sed virtuti a Ladislao habitum honorem, cum provincia ardui muneris, et quae non oneris minus, quam dignitatis obtinenti afferret, tum aetas maxime efficiebat. Vix enim pubescens praesse Transilvaniae erat iussus, quae aetas raro solet maiorem a virtute, quam a genere indolem habere. Dum haec ad hunc modum a nobilitate belli metu anxia administrantur, Zechelus cum usque eo esset audendo progressus, ut ab amentia nullum sibi poenitentiae locum reliquisset, iam variis artibus, et fallaciis, si qui dubii erant in sententiam traductis, ita omnia ducis munera obibat, ut nihil illi praeter nomen, ac ducis insignia deessent: quod ipsum quidem ne diutius sua spe desideraret, adire ipse multitudinem, atque hortari ad bellum, per suos iam satis animatos, primo quoque tempore constituit, satis gnarus, ubi de improvviso adversarios, nihil tale exspectantes opprimeret, insigne se operae pretium facturum. Inde, frequenti hominum multitudine coacta, ut legitimae concionis speciem praesferrent, dicitur ad hunc modum verba fecisse: Ea,

Vngari hactenus vestra fortuna fuit, ut nullum alium malorum finem, quae vos obruunt expedientibus non inimicorum magis viribus, quam vestra tarditate, et cunctatione fuerit una optanda mors, quae vos ab imminente exitio vindicaret: ea vestra fortuna, dei beneficio, nunc est, ut si amplecti animis velitis, vobis oblatam occasionem liberandi vos a nobilitatis iniusta dominatione, si, id quod semper vobis in votis maximum fuit, inimicos ulciscendi vestrorum malorum auctores: neminem vestrum dubitare oporteat, quin iustissima vestra vota, quem maxime optatis, sit finis secuturus. Id unum modo a vobis requiritur, ut experrecti letali somno, qui tamdiu vos vestri, et inimicorum oblitos tenuit; quam iam manu tenetis, non patiamini vobis occasionem e manibus effluere: id si potestis praestare, etsi, ut decet viros fortes, quantum potestis, tantum vos posse cognoscitis, atque adeo adversus communes inimicos audetis explicare vestras cognitatas vires; vos iubeo vacuo animo, et soluto omni cura de victoria esse. Frustra exoratus iustis precibus deus adest propitius opem poscentibus, ubi si (bi) opem ferenti, et porrigenti dexteram, qui ope indigent, subducant manum. Ita vero mihi videor videre vos affectos animis, ut si vestrae libertatis assertor, vos sperem mea magis oratione, quam vestrorum malorum recollectione commoveri, non iudicio vestro solum, sed meo etiam fatear me ineptissimum omnium hominum habendum. Nullae sunt adeo a vobis remotae gentes ad quarum aures non explicata vestra mala cladesque pervenerint, fama illas ad ultimas terrarum oras proferente. Quae quidem ne sanari mitiore remedio possint id quod vobis optandum esset; non solum earum magnitudo, sed adversariorum etiam immanitas

facit, a quibus vobis sunt illatae. Fames, egestas, squalor, servitutis teterrimae certa indicia, tum corporis immunda illuvies, pallor, macies vobis tacentibus, quacumque inceditis, incurrunt in hominum oculos: vestrae inquam sordes, luctus, lacrymae, perexiguo quidem cum vestro solatio, quibus nihil inde opis, atque auxilii accedit, sed magno eorum tamen cum dedecore, et infamia audiuntur, per quorum scelus factum est, ut vobis vita vestra invisā, mors expetenda sit, quae vos a tantis malis vindicet, quibus obruti, et circumventi estis. Usque eo male vobiscum fortuna egit, ut a qua re animantes omnes, naturae instituto, refugiunt, vobis victis magnitudine malorum sit ultro consciscenda mors. Huius lucis vobis usura deprecanda est, quae pessimo fato vos exceperit ita in vitam ingressos, ut nullus umquam dies non acerbior altero vobis illucēsceret, hoc scilicet, ut vestra vobis mala clariora, illustrioraque redderet, quae ne vos angerent graviore sensu, essent vobis aeternis oblivionis tenebris involuenda. Vos viros fortissimos, vere masculam maiorum prolem, a quibus ducta origine, per longum annorum spatium estis in lucem suscepti, impotentes homines, tyranni importunissimi, iniustissimo onere imperii oppressos, oblivisci antiqui generis, atque a natura insitae virtutis, et vitae odio mortem appetere coegerunt. Atque hoc quidem ab his impio scelere contaminatis, tetro atque immani consilio est factum; nequando vestri memores, fiduciam simul, et animos dignos vestris maioribus sumeretis ad oppressores vestrae libertatis crudelissimos, atque immanissimos homines ulciscendos. Iam quo sit in vobis acerbior sensus domesticarum cladum, eorum beata vita facit, cuius caussa vita vestra in moerore, luctu,

squalore ducitur; tum superba domesticae opulentiae ostentatio, divitiarum, conviviorum, epularum, quibus magno vestro malo diffluunt; quasi de hostibus victis iusto bello, de suis perpetuis aerumnis, atque infortuniis iactatis, triumphum agentes. Quae omnia si viri estis, brevi in eorum exitium vertent; qui vestrae libertatis, et salutis ereptores crudelissimi, ne paterent ad misericordiam vestris precibus, animos omnem sensum humanitatis exuentes, scelerum omnium mole obseperunt. Tanto vero ex fortunae commutatione eorum est futura gravior ruina, quanto illis magis licuit per vestram calamitatem in sublime tolli. Eadem vobis semper sententia stetit, quamdiu eorum eadem saevitia, et crudelitas in vos bacchata est, hoc a miseris fortuna extorquente, ut quae se cumque vobis occasio daret, ab eorum vos servitio asserendi, eam, in spem salutis erectis animis amplecteremini: fieri unquam, ut vobis frui optato liceret, numquam vobis ante hunc diem venit in mentem sperare: id quidem ob eam causam, quod vobis parum recte vestrae aestimatae vires viluerint; quas quidem ita nunc vobis benigna fortuna ostendit, ut minime verendum sit, quin animo amplexi tantam vobis occasionem oblatam, voti compotes perveniatis ad optatum finem. Ita enim vestra optata alere debet, bene rem gerendi certa spes, ut si parem vim roburque animorum in vobis excitet, et vestrae originis memoria; et eorum malorum recordatio, quae vos ad hoc consilium confugere coegerunt, haud dubie, id quod lubet omnari, laetus quoque eventus praeclare incepta sit consecuturus. Neque vero vos decet hoc a dicente munus expectare, ut vi et facultate orationis vestris exaggerandis, atque augendis malis, quo in oppressores



vestrae libertatis incendantur animi vestri vehementius, acerbiora illa gravioraque efficiam, quam per vos ipsi experiamini. Vnum est modo vobis agendum, ut conversis inter vos oculis, vos, quasi speculum unde inspiciantur vestra mala, alter alteri obiiciatis (eadem enim omnium vestrum calamitas), qui corporum habitus, vultus, oris qui cultus sit spectetis, tum si quis in vobis viget humanitatis sensus, statuatis id, quod necesse est ad vestra pervellenda, perfodiendaque pectora, non esse aliunde vobis exspectandos stimulos acriores. Equidem ubi vestra ora intueor pallentia fame, rugis horridam frontem, faciem exesam situ, adductam macie, ac torridam cutem, nisi me vestra virtus, in suscepta de vobis spe confirmet, vix mihi faciam fidem in adeo affectis, exanimisque corporibus, latere animorum tantum robur, quantum belli praesens requirit usus. Enimvero illi multis nominibus odio digni, sed uno maxime, quod obliti sui generis, dum vos ministros suarum voluptatum, et deliciarum faciunt, quas sibi per vestrorum corporum lanienam parant, non permittunt procul positos ab urbanis deliciis, maiorum avitam virtutem repraesentare, quibus beati homines, ut sibi videntur, ut aliis videntur, miserimi, Vngarorum genti iam inde ab ipsa origine vim insitam, et magnitudinem animi obruerunt. Vnum scilicet iis curae est, ut vestro squalore niteant; vestro labore partis frugibus saginentur; et referti regiis epulis, hinc crapula, et vino onusti, hinc luxuria perditis, curarum omnium expertes beatam vitam agant, id vero modo? immo, ut agere etiam conspiciantur, quo vos acrius vehementiusque afficiat ex vestris aerumnis susceptus dolor. Neque vero illi modo in vos crudeles, sed in parentem omnium naturam impii, cuius iniuriam cum ves-

tris cladibus, atque infortuniis sceleratissime coniungunt: neque enim haec naturae praescriptio, haec lex, ut nati in ea regione homines, quae non solum frugum ferax, sed aeris, argenti, auri omnium refertissima sit, quae vitae usus, atque elegantiae adeo requirat, ita habeant distributas partes, ut alteri suppeditent immensis laboribus, quibus aliorum vita alatur, semper ipsi fame enecti; alteri, cum alantur aliorum labore partis, ne hoc quidem nomine illis parcant, quod miserissimi homines, avarissimis dominis, et crudelissimis, vitam, quam coniugibus, liberis, parentibus debent, habeant mancipatam. Itaque non possunt eo esse contenti, ut spectentur generosis equis insidentes, ovantium similes, quocumque se vertant, splendore auri, et gemmarum nitore oculos perstringente, nisi fortunatos homines longis comitantibus clientium catervis, miseri conspiciant, scilicet ut sint, quorum solitudine, moerore, calamitate, fame, paucorum fortuna splendidior magnificentiorque, quasi ex adverso posita appareat. Haec una, inquam, illis caussa est, e vestris iugulis sanguinem hauriendi, mactandi liberos vestros, necandi fame, ut habeant, quo foris niteant, quo splendeant domi, quo maximorum regum in morem, undique magno sumptu conquisitis epulis alantur. Ita si ii estis, quos me iuvat sperare, et spondet vestra virtus, vitam quae iis addicta centies quotidie mactatur (est enim unum hoc vobis saepe repetendum) aliquando pretium repetitae a vobis libertatis, per summam vestram laudem, et decus constituatis. Ita, aut vobis, liberisque vestris, quibus debetur, vitam recuperabitis, aut crudelissimis dominis eripietis, quibus non est satis laute, et magnifice vivere, nisi vestra cum perpetua iniuria vitam, si ea potius eorum

vita, quam miserorum carnificina est, traducant. Quam tantam iniuriam si qui sunt, qui possint aequo animo ferre, eos vobis numquam veniet in mentem aemulari servituti natos homines, qui libertatem propterea contemunt, quod nullam noverunt: vos, ni me fallit spes de vestra virtute suscepta, et vestri homines similes, quidvis potius pati quam servire, et virtuti vitam exsoluere quam fato malint. Luculenta vero vobis conditio proposita est, et quam quidem, si viri estis, minime vestra virtus reiiciat: Aut victoribus, quo est vobis omine auspicandum bellum, licebit ex hostium ruina fortunatis esse; aut victis (quod omen deus in hostem vertat) e durissima servitute, qua immanissimi homines vos obstrictos vexant, aliquando emigrare per honestam mortem licebit. Contra adversariis vestris accidat necesse est; sive enim vincant, erit coniuncta cum vestro exitio eorum ruina; sive victi discedant, ea erit illorum conditio, ut prae iis, qui in bello occiderint, sint superstites miserrimi futuri. Vtrumvis horum contingat, dediscendae iis erunt urbanae deliciae, festi dies, chorea, lusus, computationes: quae quidem non magnificentiae laudem, sed luxuriae, crudelitatis, eorumque malorum significationem habent, quibus, exhausti infelices homines tributis intolerabilibus, ne vita quidem, quam vix ullam habent reliquam, sufficere dominorum immanibus sumptibus queunt. Agros discent ipsi colere, putare vineas, fodere, arare, silvam caedere, prae se agere armentum, frui maiore cum voluptate suo, quam aliorum labore partis. Equidem qua de re nonnumquam sapientes homines disserere audivi, militaris homo vobiscum recognoscere haud gravabor. Manavit in principio rerum hoc a natura, in omni multitudine, quae communis

salutis caussa eodem coiret, essent, qui, tamquam in humano corpore mentis et rationis vis, principatum tenerent; quique ea, quae a melioribus imperata essent, pro mandato sibi munere naviter industrieque exsequerentur. Sed tam laudabile naturae institutum, temeritas fortunae, ut solet alia omnia, pervertit, magno vitae humanae incommodo, quae nulla est futura, nisi, certis quibusque distributis partibus, rerum universitas suo statu incolumis custodiatur. Nam ad regni fastigium ita multi fortunae cursu secundo provehuntur, ut si naturae legibus oporteat obtemperari, quae aequae et ad imperandum idoneos homines, et ad parendum fingit; in infima parte positi sordida, et servilia ministeria obire ad aliorum praescriptionem, et normam inviti cogantur. Atque ut nunc alios omittam, quinam sunt ii, quorum imperio eiusdem generis homines, obnoxii estis, in eadem patria nati, alti, educati? Quae in his virtus ita excellit, quae ars viro principe digna, quae rerum cognitio, qui usus, ut digni habendi sint, qui, ut domesticis divitiis, et copiis, sic honore potestateque excellent? Quid, si ex iis, in quos sibi imperium sumunt, permulti sunt longe ingenio, virtute, consilio, animi praestantia, et fortitudine meliores? Sed esto: detur hoc maiorum meritis, ut eorum posteris, quamquam degenerantibus a virtute insita generi, subnixis avorum status, imaginibus, triumphis, illustribus aliis gloriae titulis, honos habeatur: liceat inertibus, fidentibus maiorum virtute, diffidentibus sua, conspici excelso loco, curules sellas conscendere, gestare sceptrum, et summi imperii insignia, converso naturae ordine, quae illos vix hominum similes, et vitam agentes bestiarum more, ad ima impellit: stet in aeterna dei immortalis providentia hoc alte involutum

consilium, ut tamen foeda monstra regnent, et quorum sit certius munus, aut suum haram purgare, aut cloacas tergere; iis populi principes, maximae civitates, opulentissima regna, atque imperia regenda permittantur, qui ipsi, ut habeantur in hominum numero, rectore et moderatore indigeant: cur non in eo saltem naturae instituto parent, ut, quemadmodum alendae animanti, non est illi modo una eximia pars, sed quidquid sumitur, aequa distributione in omnes partes deducitur, ita ipsi patiantur, in uno, atque eodem civium corpore, quae natura voluerit communia esse omnibus, sedula sui operis conservatrix, suis aequo animo communicari? cur sibi modo naturam consulere volunt? sibi modo fruges efferri? sibi effodi aurum e terrae visceribus? erui e fluminum ramentis? cur sibi tantum cudi, caelari? cur licere praepostera ambitione elatis unico convivio haurire, quantum ad pagum alendum sit per integrum annum satis? cur caput spectari volunt comptum, nitidum, unguentis oblitum: reliquas partes, manus, crura, pedes, tamquam alterius corporis sint, alto coeno inquinatos spectari? Quid vero aliud est, monstra gignere, prodigia, portenta, si hoc non est? Itane vero? hoc discrimen inter civium ordines habendum, ut meliore conditione sint, qui fortuna secundiore utantur; despiciantur, quorum res tenuis ne victui quidem sufficiat in summa egestate fame laborantibus? hoc potest probari, et sperari simul diu rempublicam incolumem, et florentem futuram? Satis diu vestra illos patientia efferavit: quamdiu vos ferendis, tamdiu inferendis vobis iniuriis illi obdurescent; ut nisi vos in eo modum aliquem statuendum vobis censeatis, ipsi sua sponte, male de vobis merendi, vos coniuges, liberos, vexandi, vestras fortunas

diripiendi, nullum sint umquam sibi facturi modum. Iam vobis, Vngari, erigendi sunt animi in spem meliorem, iam ad res dignas vobis, dignas origine exsuscitandi; aliquando vobis repetenda libertas armis, nobis erepta hinc nobilium hominum iniuria hinc nimia vestra remissione animi, et vestri iuris dissimulatione vel ignoratione potius, qua impotentes homines abusi in vestrum exitium insoleverunt; ferro, inquam, igni, arcium, pagorum vastitate, populationibus, omniibus belli cladibus sunt inviti ad officium revocandi, numquam sua sponte facturi, ut sese aliquando, et vos respiciant, quae una certa ratio est vitae communis tuendae. Expetendae sunt a crudelissimis hominibus scelerum poenae, quae, per tot annos in vos dura, acerba, non ferenda liberis populis admiserunt per omnia crudelitatis, immanitatisque genera, quae quidem tanta fuerunt, ut si, ad breve momentum vobis cuncta liceat sub aspectum revocare; mortem, quam non supplicii magnitudo acerbam reddat, levem pro iis irrogatam poenam contaminatis suorum paricidio statuatis: ita enim sese gesserunt, ut iis, ne in morte quidem, quod commune miserorum in malis subsidium est, debeat a supplicio perfugium patere. Me vestri ordinis hominem, et propterea unum omnium maxime nobilitati invisum, quo me cumque nomine placeat appellari, paratum semper habebitis ad ea procuranda agendaque omnia, quae vestrae saluti, et securitati conducere arbitrabor. Cum ita Zechelus perorasset: incensis iam sua sponte animis ad bellum, quos adeo seditiosa oratio multo vehementius commovisset; magnis clamoribus, atque ululatibus, ut appareret, a scelere coeptum bellum, dignum initio exitum habiturum, quod felix, faustumque esset vindici communium

malorum, salutis auctori, assertori omnium libertatis, simul Vngariae populis universis, non copiarum du-  
cem, non praefectum, non imperatorem, sed quasi de-  
missum e coelo hominem, non Zechelum latronem e-  
mersum e plebis sordibus, regem appellant. Nullus  
vero alius titulus, quo illum sibi ornandum, augendum-  
que censerent, non infra illius meritum esse imperitis  
hominibus videbatur, qui magis quid vellent elatis  
odio animis spectarent, cuius in moderatis etiam in-  
geniis raro summa virtus est potens, quam quibus ra-  
tionibus, id quod vellent per eum duces assequeren-  
tur, non cognitae, ac spectatae virtutis hominem, non  
belli, non earum artium peritum, quae permultae sunt in  
magno duce requirendae, ut cui sit adversus praepoten-  
tem hostem difficile atque arduum gerendum bellum.  
Non illis veniebat in mentem quanta res esset cum iis  
pugnare in acie armatis, quorum inermium fustes,  
lora, nervos, ergastula timere assuevissent; quorum  
iratos vultus horrere, formidare imperia; quantumvis  
iniusta, saeva, immania vi, malo coacti perferre.  
Nemo aderat qui rudes, atque agrestes homines re-  
vocare ab amentia, deterrere a scelerato incepto eo-  
rum exemplo conaretur, quos subnixos innumerabi-  
libus copiis, parva manu clari militiae gloria impe-  
ratores fudissent. Alexander qui victricibus armis ever-  
so Persarum imperio tanto, ad Indos usque penetras-  
set; populus Romanus, qui tot nationes, tot populos,  
tot gentes, non maioribus copiis parere suo imperio  
coegisset: at Zechelus ne qua re fallere suorum de se  
opinionem, et minus aequare animo tantum sibi dela-  
tum honorem videretur: quod a domestica disciplina  
non licebat, homini in taetra barbarie nato; ab auda-  
cia, et animi fiducia mutuatus, rudes homines, et mi-

nime assuetos militaribus imperiis, in ordines certos distribuere, deligere qui iis praeessent, docere militaria munera, accipere, imperia exsequi, petere signum, obire vigilias, duci in primis verbo audientes esse, alia, quorum plane non erat imperitus, diu pugnare cum Turca hoste in regni finibus assuetus. Erat, ut diximus, incredibilis hominis ferocia nondum inani regis titulo tumentis: aucto eo honore, tantum spiritus, et fiduciae accessit, ut tamquam regium nomen sua sponte ceterae virtutes regiae, quascumque res susciperet agendas, quantumvis inconsulte et temere aggressus laetus esset eventus secuturus; nihil certa ratione, et consilio agere, tumultuari, rapi quo casus et temeritas ostentaret, homo non ex certa sui conscientia, sed ex imperitorum vana opinione sibi cognitus, quae illi pro ratione erat. Quae quamquam ita se haberent, ob declinandam tamen invidiam, contentus titulo regii nominis, imperii consortes e multorum delectu assumpsit, quorum insignis audacia habebatur, sicarios, latrones, perditae spei homines, aptiorem manum qua spes praedae esset itineribus insidendis, quam constituendo regis consilio; in his Laurentium quendam, qui non ita pridem functus sacerdotis munere, oblata occasione armorum, et per eam scelerum impunitate se amentiae socium adiunxerat, tum Martinum eiusdem ordinis hominem, qui cucullo, et sacra veste indutus, palam in mendicantium collegio sacra fecisset, profligatum plane, atque infame hominum genus. Atque idem tamen sic de horum sententia omnia agebat, ut eos ipsos haberet in potestate devinctos sibi praedae spe, et praemiorum ingentium, quae, bello ex sententia confecto, illis ingentia ostentabat. Erat haec summa consiliorum, Nobilitatem in Vngariae regno igni, ferro-



que extincta, qui fere mos apud populos gentesque tenet, quae a Daciae finibus ad Pontum usque Euxinum pertinent, unum omnium aequabilem ordinem constituere. Hinc pontificum collegio sublato, quorum fuit semper, more maiorum atque instituto in Vngarorum regum consilio summa auctoritas, unicum creare, qui cum potestate sacri imperii divinis rebus praeesset, vectigalibus sacerdotiorum, pro cuiusque meritis, iis destinatis, quorum gerendo bello, fortia facta plura, atque illustria numerarentur. His ad hunc modum constitutis administratisque rebus, nullo adhuc militis periculo facto, ut, quando minus re alia liceret, quid de eo esset sperandum, ubi conserenda esset cum hoste manus, re atque usu experiretur, non regis exploratis, non principum consiliis, fretus modo hominum numero, agmen praedabundus ad Tibiscum amnem rapit. fallaci spe bene gerendae rei, ubi numerum militum par virtus aequaret, quacumque incederet barbarae immanitatis ultimis editis exemplis, et in omni hominum memoria inauditis. Erant spes illi omnes in celeritate positae, ut si prius quam regii colligerent vires, belli initium faceret, imparatos de improvise aggressus, id quod plane se effecturum sperabat, per facilem victoriam, sibi aditum ad cetera, quae animo destinaverat compararet, quibus foediora immanioraque nulla umquam veterum memoria homines erant passi: nullum quidem bellum dirioribus auspiciis coeptum, nullum in quo, parta victoria, tetrora in victos constituta supplicia legantur. Horrenda ubique facies rerum: passim incensi pagi, dirutae arces, oppida aequata solo, exusta templa conspiciebantur quae saepe a Turca hoste religionem expressissent; quacumque pervaderet funesti belli fax, omnia per foedam stragem, et ruinam

pertinaci flamma sternente. Iam illa inexorabilis odii, avulsi e matrum uberibus infantes liberi, et in parietes illisi, virgines nobiles vulgo prostitutae, matronae per vim stuprum passae; nullo discrimine sexus, ordinis, aetatis, promiscue omnibus oblata mors; excogitata in miseros supplicia teterrima, et quae indignitas augetet; palis affixi insignes nobilitate homines, iuvenes eximiae spei, sacris honoribus ornati alii, in his pontifices, quos non religio sacrorum, quam nullam ferocia pectora agnoscebant, non muneris maiestas, non dei immortalis numen, eius inter homines interpretes tutos ab iniuria reddebat: ut videri posset bene cum iis actum, quos tam truculentae barbariae ereptos, alia belli vis, ferrum, flamma hausisset. Subsederat fere per idem tempus ad Tibiscum cum exiguis copiis Stephanus Bathoreus summo loco iuuenis natus, cuius Stephanus patruus Transilvaniae praefectus, ut alibi diximus, Turcas memorabili proelio non procul Alba Iulia vicerat, cuiusque avus gloriosam mortem ad Varnam, pro Christi causa, occubuerat. Ad huius belli famam, quod aliquot oppida, sita ad Tibiscum habebat, collecta, ut licuit, subito exigua militum manu, eo contenderat, ut si Georgius, id quod facturus credebatur, ab ea parte belli initium faceret, laborantibus suis in tempore subsidio esset. Neque coniectura falsus; ab exploratoribus quos quaquaversum praemiserat, cognovit, haud longius Georgium cum copiis abesse, ac nisi se propere reciperet in tuta loca fore, ut, insigni accepta clade, cogeretur retro referre signa. Hinc crebris nunciis acceptis, qui iam hostem dicerent adventare. signo ad proficiscendum dato. vix ut trepidantibus suis ad arma capienda locus daretur, Nag Lacum concessit, nonnullis e suis amissis,

quos hostes, conserto cum novissimis proelio, interfecerant: simul dat ad Scepusium litteras quibus docet, Georgium cum ingenti peditum, atque equitum manu ad se opprimendum iter accelerare: eius inopinato adventu deterritum se, cum paucitati suorum diffisus minime in certamen descendere esset ausus; quamdiu sibi facultas ad receptum daretur, in praesentia sibi tempori cedendum statuisset: quod commodo republicae fieri posset, ferre auxilium ne cunctaretur. Intercedebant non ignobiles, inter Bathorium et Scepusium simultates, ita susceptae in contentione summi honoris, ut quominus utriusque in patriam pietas exstaret, minime prohiberent. Atque erat quidem Scepusius potentia superior, copiis, divitiis, clientelis, in primis clarus suorum studiis, ut facile iis fretus principem dignitatis locum secundum regem, ut iam diximus, tueretur: maiorum gloria, et antiquitatis monumentis, quae plurima, atque illustria numerabantur, Bathorius insignis, gratia et auctoritate par habebatur. Originem enim Bathorii referre in Batum Pannonum regem creduntur, a quo deductum nomen familiae manserit. Cetera paria, aetas, ut vix essent egressi pubertatis annos, ad res gerendas animi vis, in primis iis partibus, quibus adhaesissent, constantia, quae insignium malorum causa patriae fuit. Eventus porro in utroque ita dispar, ut superior Scepusius in regni petitione habitus, regnum magno nobilitatis consensu, et populorum sit adeptus; alter, desperatis suorum suffragiis, quorum studia in unum Scepusium incumbant, sua sponte de medio discedere sit coactus. Itaque hic regni palatinus, quamdiu Ludovicus rex vixit; eo mortuo, non ausus cum Scepusio in regni certamen descendere, ad Ferdinandum transiit, quo

potiente rerum, et palatinus regni, et prorex Vngariae praefuit. Scepusius ita regnum iniit, ut cum potentissimo adversario perpetuo de regni possessione dimicarit, atque adeo ita pertinaci studio, ut ne a suis quidem relictus cesserit, quibus acceptum regnum referebat. Ac ne Scepusiae familiae diu Bathorii regiam dignitatem inviderent, iam tum occulta fata, eiusdem et gentis et nominis Stephano Bathorio regnum destinabant, quem quidem, haec nobis scribentibus, Poloni regem venerantur. Ergo, ut in altero fuit pietatis insignis laus, qui privatis simultatibus publicam salutem praeferre coniunctam cum sua, et a gloriae aemulo poscere opem, animum induxerit; ita in altero magnitudo animi par, cui non fuerit impedimento aemulatio honoris, quo minus poscenti, dubiis suis rebus auxilium impigre ferret. Nam que his literis Scepusius acceptis, cum in uno Bathorio verti totius regni salutem intelligeret, optimo consilio occurrendum belli initio hostis audaciae existimavit, principum cunctationem et moram pro caussae praeiudicio sumpturi, ubi diutius, quam necesse esset ea corroborari sceleratorum audaciam licentiamque paterentur. Itaque ad veterem militem, qui ex superiorum annorum delectibus stipendia fecerant, novo milite conscripto, non die, non nocte intermisso itinere, primo quoque tempore ire obviam hosti pergit. Iam ventum ad Tibiscum erat, vix opinante Georgio, de primo belli motu adversarios nuncios accepisse: iam Scepusiani erant hostibus in conspectu, ut aut conserere cum hoste manum, aut retro cum ignominia detrectantes pugnam se recipere cogerentur. Quod tantum dedecus ubi admitteret; intelligebat Georgius. auctoritatem se omnem, qua una inflatus miseros conciverat ad arma, tum apud suos.

tum apud hostes amissurum: quorum alteris metum, qui diffisum suis viribus, minus congregari cum hoste ausum, essent existimaturi; fiduciam atque alacritatem alteris, quos hostium metu, quasi pro victoriae praerogativa usuros appareret, haud dubie videbatur iniecturus; quod ne accideret in primis illi erat laborandum. Praemiserat Scepusius equitum turmam ad exploranda hostium consilia, et locum castris idoneum deligendum, re vera, ut lacessitum equestri proelio eliceret e castris, arbitratus fore, id quod accidit, ut spe bene gerendae rei, et sui opinione inflatus Georgius, quod unum maxime optabat, potestatem pugnandi faceret. Id si accideret, minime dubitabat, quin penes quos ius fasque esset, cum imbelli multitudine, et collectitia exercitu pro iusta causa pugnantes victoria staret. Atque hoc tantum discrimen miseris subeundum, eo vehementius animos percellerat, quo magis acciderat inexpectatum. Non dux militem, non ducem miles agnoscebat fere e faece, et sordibus omnium gentium contractus; ut neque lingua ad accipienda imperia, neque fides, et animi vis ad exsequenda, ignaris ducis consilii adesset; cum pugnans pro aliena victoria, praeter unum iactatum nomen libertatis nulla spes praemii bene gesta re exstaret, quod ultro, appetenda morte, poscendum videretur. Nam dux non solum imperitus earum artium, quas rei militaris ratio requirit, sed vix ipse aptus ad parendum ducis imperio, non ita pridem gregarius, mox eques, temerario cum hoste concursu, et casu potius, quam vera virtute victor; ut nisi quisque sibi dux, re gerenda esset, quae virtus non temere, ne in veterano quidem conspicitur, haud dubitandum videretur, quin, ubi signa concinerent, rustica plebs

novo insueta malo, cum agro, atque area campum; cum falce gladium; desponsa belli praemia, cum certa frugum spe; cum securo otio armorum decus, vitae discrimen, et sanguine comparandum commutatum vellet. Omnia penes Scepusium ita comparata, ut rei militaris, atque eius temporis ratio postulabat: peritus belli dux: magna ex parte miles veteranus; novus, quem, etiam si minus usus adiuuaret, doceret veteranus et servare ordines, et inferre signa, et ubi cedendum esset, servatis ordinibus referre pedem, et quo expediret, quaerere receptum. Iam ita Scepusius suis praeerat, ut volentibus imperaret, et quidem, quorum permagni vincere interesset, minime verentium, quin cum patriae exscidio, interitus victae nobilitati immineret, quae una bello petebatur, victoribus ingentia essent speranda praemia, domi commoda multa, agros, fundos, honestiores nobilitatis titulos, quae numquam ii desiderant, quorum virtute est vindicata patria a sceleratorum armis. Neque iis minora proposita erant, qui e plebe urbana, intacti contagione belli, voluntarii pro nobilitatis causa arma sumpserant. Augebat vero eorum meritum grave suis factum praeiudicium, quorum causam, per defensam nobilitatem, haud dubie iugulasse videbantur. Vt vero militum numero cederet, praeter eos, qui vulgo stipendia merebant, intentissima cura conquisitos, ducebat secum voluntarios, et quorum multis magnisque in rebus virtus spectata erat, quibus accedebat nobilium adolescentium numerus non contemnendus, quibus vigentibus aetatis robore, virtutis aemulatio, et iustissimum, ut credebant, in adversarios odium fiduciam atque animum subministrabat. Iam Scepusiani equites, cum nihil sibi reliqui ad summam celeritatem fe-

cissent, propius successerant adversariorum castris, cum miseri id quod erat, adventare cum universis copiis ducem arbitrati, repente consternati animis, et instantis mali pavore trepidi, receptum ad salutem, et fugam, cuius erat omnis facultas praeclusa meditarentur. Hinc ducem circumstantes, quid consilii expediat, ducturus imparatos adversus iam inferentem signa hostem, quamve ferat opem, temere adductis suis in ultimum discrimen, oppressi angustiis temporis exspectabant. Iam ortus pallor, ab exitii metu, cuius horribilis facies ob oculos obversabatur, terrorem frustra dissimulantium prodebat, stupore animis haerentibus, quos salutis desperatio occupaverat. Nullum enim fortuna locum ad receptum, undique circumspicientibus ostentabat, cum maiore ex parte inermibus, tum, quae arma numquam viros fortes deficient, fiducia, et praesentia animi destitutis, quam quidem, unde abesse maxime par erat, in imbellium caede, quibus semper iusta etiam hostis ira pepercit, et innoxiorum hominum suppliciiis exhausissent. Iam quidem apparebat suas aestimantibus, et hostium vires, sed sero, et nullo cum usu, quam longe distaret vera virtus a stolidi ferocia, atque inani iactantia verborum: Nam illa semper et pace, et bello invicta: huius vis omnis, ubi faciendum virium periculum est, in acie concinentibus signis, et hostibus clamorem tollentibus, raro non fracta, et debilitate languens. Itaque intuentibus exsanguia ora et propinguo horrentium imminens fatum, facile praesagire licebat, ubi duae acies concurrerent, qui pugnae esset exitus futurus. Nullus clamor, qui alacritatem suis, terrorem hostibus adderet, moribundae voces modo, indices trepidationis, et pavoris, qui in

oculis vultuque exstabat, non pugnam victoriae spe, sed fugam, et caedem, cum nondum essent cum hoste congressi, meditantium. Subibat, qua peste carere non poterant, alte haerens animo scelerum conscientia, brevi expiandorum horrendis suppliciis, tum inexpiabile victorum odium, qui tot suorum immanes caedes, tot obiecta miseris funera, tot innocentium hominum strages, incendia, depopulationes ulciscerentur. Iam exciderant minae, et ardor ille animorum elanguerat, quem restinguere non potuisset effusus multorum innoxius sanguis; iam torpebant vires, validae numquam suo robore, sed hostium in quos saevirent, imbecillitate, multo maiore cum usu integrae in acie adversus armatum hostem servandae. Contra apud Scepusianos laeta omnia; spei plenus miles, et qui ultro posceret pugnae signum, non pavidus exspectaret, et virtute pariter, et numero fidens: dux cum sui fiducia, et suorum, tum pavore hostium, et trepidatione de victoria securus; ingens in omnibus ardor; consilium viribus, vires munitae consilio; ut et servaretur ratio et disciplina rei militaris, et nullus temeritati locus relinqueretur, tamquam cum fortissimo milite esset ineunda pugna, non cum territo, et prius victo conscientia scelerum, quam hostium armis. Omnis Georgii spes in eo posita, si omni damnata mora, praevertens belli famam gerenda re, perculsos subito armorum impetu adoriretur: quod consilium haud dubie omnibus praefendum, aviditas praedae corruperat, et tetra libido hauriendi inimicorum sanguinem, quae res longioris morae causa fuerat, omnem spem victoriae in una celeritate positam habentibus. Erat vero nemini dubium, quin si recta Budam exercitum duceret, attonitis omnibus miraculo rei, et aegre bell



consilia expedientibus, fuerit aliquid operae pretii facturus. Nam praeda, et direptio, unus militi expendendus partae iam victoriae fructus, saepe infelix ante tempus praecepta fuit: consequi enim, non praecurrere victoriam debet, qua parta, miles securus animo potiatur praeda. Numquam ille vero haud satis spatii futurum adversariis ad militem cogendum arbitratus, de victoria dubitavit, malo ille quidem consilio, et minime ex callidi, et prudentis ducis instituto: qui quidem in dubiis rebus, ubi rerum, et temporis ratio plura speranda, quam timenda ostendit, quam minimum fortunae faventi multis credit. atque adversus ea mala, quae quam longissime, et prolixè pollicenti abesse credantur, tamquam adversus praesentia se munit, et tutum reddit. Namque nihil verius, quam nimiam securitatem, in futurum consulenti saepissime obfuisse; plus aequo dubitasse de fortunae inconstantia, nemini umquam fraudi fuisse, id quod saepius quam expediat hominum rebus est animadversum, in iis quae casus, et fortuna moderatur. Ergo cum contra, atque ipse existimasset, ultro adversarios occurrere armatos, et adoriri se suis locis animadverteret, fiduciae caussam ex conscientia maiorum virium, atque ex hostium contemptione suspicatus, deplorata victoriae spe (quod unum victum manebat decus) laudem petere invicti a malis animi, honesta morte constituit, habiturus insignis victoriae loco, si ereptam vitam hosti in suam perniciem inhianti, a cruciatu, et contumelia vindicaret. Quae virtus si aequè in milite, atque in duce exstitisset, insigni clade, eius diei erat victoria Scepusio statura. Ita fretus Georgius eadem ferocia animi, qua sui impotens ducis sibi nomen, et regiae maiestatis usurpaverat, alacri vultu, et magis audaciae

suae, quam fortunae memor, suos, utcumque consternatos brevi oratione, ut audacter pugnam capessere, et rem gerere impigre vellent adhortatur. Aliquando iis oblatam occasionem, quam tantopere pridem optassent, precibus votisque omnibus expetiissent, de infestissimis hostibus poenas exigendi. Dandam operam pro suorum libertate pugnantibus, ut, quam hactenus ferociam, in contuberniis suas iactando, hostium vires deprimendo, magnificis verbis, et multis ostentassent, ea ne videretur, inter verba effluxisse, in acie, ubi maxime expetenda esset, desideraretur. In aliis omnibus pares adversariis, eiusdem originis, et gentis: superiores tum caussa, tum viribus esse; quae si in crudelem hostem intenderentur primo congressu, iactantes superbos nobilitatis titulos, quae eorum essent arma, tota acie fusuros. Auderent feminas viri contemnere; fortes, inertes, et molles, fortunae alumnos, ventoso nobilitatis nomine tumentes, vera virtute homines freti adoriri, cui numquam non fortuna immensis etiam exercitibus, et classibus circumsepta cessisset. Adesse tempus, ut eam patriae operam, coniugibus, liberis, navarent, quam saepe adhortanti polliciti essent, quorum preces, lacrymae, obtestationes, supplicantium vota si menti obversarentur, haud possent dubitare, quin arma inania omnia essent futura, quae sceleratorum pectora adversus vim atque impetum una virtute innitentium armarent. Irent deo immortalis bene iuvante, libertatis suorum vindices, adversus ereptores, ultores patriae adversus oppressores; pro iustissima caussa, pro legibus, patriis institutis, adversus immanissimos, atque importunissimos hostes pugnaturi. Ne plura diceret, prohibuit advenientium equitum

clamor, qui iam iam affuturi ad portas, atque impetum in castra facturi nunciabantur. Ita omnes se sequi, contento cursu, atque ire obviam hosti iubet, quid suos facere aequum esset, non se speciosis verbis, sed fortibus factis moniturum. Erat turmae Scopusianae praefectus Petrus Petrovitus genere Croata, quem eximia virtus ad honestiores militiae ordines pro-  
vexerat, quemque aliquot post annis ob singularem fidei, et sapientiae opinionem Ioannes rex in interiorum amicitiam acceptum testamento filii tutorem instituit, eundem secum sanguinis necessitudine coniunctum. Is Georgium exsultantem ferocia, atque in se acrius irruentem, cum in eum, quam concitatissimo cursu infestus equum admisisset, hastae cus-  
pide in femur adacta, fibulis, qua femori thorax aptatur, laxius oras adstringentibus, equo saucium deturbavit, ac suis vincendum, asservandumque tradidit, insignis cum temeritatis, atque audaciae, tum verae virtutis, atque animi magnitudinis posteris proditurum exemplum. Dicitur quidem ex ingenti armorum acervo, quae multa ex incensis, ac direptis nobilium arcibus eodem coacervaverat; quae temere sors obtulisset quamquam illa minus apta induisse, equitatu hostium, qui iam in portis erat delectum adimente. Id postea  
versum in religionem est, tamquam numine vim mentis, et consilii scelerato homini illius maxime necessario tempore adimente, quo citius praeceps in exitum ruens eorum scelerum penderet poenas, quibus se suosque contaminasset. Quis vero prudens belli  
dux non solum, cum est committendum proelium, quo tempore adversus armatum hostem sunt necessaria arma, sed ubi etiam hostis longe abest, memor, quam varii immineant casus magna gerentibus bella, cum

adversus alia quae foris a fortuna impendent, tum adversus suorum coitiones, et occulta consilia, non sese muniat armis? Haud dubia inde Scepusianis victoria, hinc cum universis copiis imperatore adventante, hinc, rusticis, duce amisso, pavidis impendentis exitii metu, ad preces confugientibus, minime tamen miseris profuturas, qui sibi ipsi omnem veniae spem, multa avare et crudeliter in nobilitatem admittendo praecidissent. Itaque ad terrorem sua sponte fractis inferendum imperator, vetitis militibus quemquam vivum capere, interfici omnes ad unum iubet. Hinc tanta edita strages, quantam edi in semiermes ab armatis iisdem, et avidissimis caedis, verisimile est. Temperatum ab iis modo, quibus necandis, aut non suffecit rem gerenti dies, aut fessae vires iratum victorem defecerunt, qui ita tamen victis pepercit, ut ad graviora, et taetriora supplicia reservatis licuerit iis invidere, qui honesta morte functi in acie cecidissent: neque enim in eo proelio caussa magis, quae raro est prima ferro in acie pugnanti, quam odio certatum est, quo efferati victorum animi, in hostium caede victoriae fructum constitutum, et pietatis laudem maximam positam credebant. „Raro quidem in mitissimis etiam ingeniis crudelitas a victoria abest, in civilibus bellis praesertim, in quibus non de bellica gloria, aut de imperii finibus, sed de partium exitio dimicatur“, ut ne in ducis quidem potestate sit a caede in victos temperare, ex qua unicum solatium victor miles quaerit. Augebant odium saevientium, memoria repetita eorum immania facinora in quos saeviebant, quae numquam non maioribus suppliciis expiantur, ubi eorum magnitudine misericordiae fontes animis exaruerunt. De Georgio mox, a duce, de more consilio

advocato, consultari coeptum: quem, ne per omnia suppliciorum genera excarnificatus. scelerum poenas persolveret, ea ipsa scelerum magnitudo adiuvabat: vix credentibus, quorum erant placabiliora ingenia, ubi, pro eorum magnitudine esset supplicio afficiendus, sese quamdiu essent, humanitatis suae memores, par supplicium posse excogitare; ut in constituenda in sceleratum poena, non homini omnium mortalium teterrimo, sed sibi parcere videri vellent. Itaque iam inclinantibus in leniorem sententiam, qui praecipui ex nobilitate aderant, quorumque erat maior in consilio auctoritas, hoc enimvero minime ferendum, dicere, ut cuius impium, et sceleratum animum, nulla supplicia expiare possent. quamquam nova, atque inaudita, is per leve supplicii genus, maleficiorum poena defungeretur, quibus excogitandis tyrannorum omnium crudelitatem saevitiamque superasset. Teterrimum monstrum, belluam immanissimam, quae adeo truculentum, atque importunum ingenium diu sub hominis forma occultasset, novo supplicii genere afficiendum, obiiciendum feris ad pastum, dilacerandum, dilaniandumque adeo: qui temerario incepto regium nomen sibi sumere, tantae intra homines maiestatis, incitare innoxiam multitudinem ad arma, contaminare maleficio, et scelere, ne locus resipiscentibus ad sanitatem relinqueretur, latrociniis, incendiis, direptionibus vastare, atque evertere regni provincias nobilissimas esset ausus, quibus saepe hostis Turca pepercisset, quem in Christianos homines insitum odium, et regnandi immanis cupiditas concitaret. Quae cum ab omnibus fere certatim iactarentur, non oratione minus, quam animo infesti, supplicium, quod sua sponte acerbissimum videri posset, ubi eo etiam momento temporis defungeretur, augendum sibi statuunt longioris temporis mora. Regis clarissimum insigne, quod

homo amens temerario, et praecipiti consilio regio nomine oblato usurpaverat, coronam e ferro candentem capiti imponunt, ut contumelia, et ludibrio gravius malum, barbarum, superbo hominem ingenio, vehementius torqueat quousque ignis saeviens vis capitis ambientia per ingentes cruciatus populata ad interiora perveniens tostum, ustumque conficiat. Ita de illo sumptum supplicium Tubero tradit, qui fere cum aliis omnibus convenit. Illum quidem tam immani ferendo supplicio tanta animi praesentia fuisse, ut ne gemitum quidem semel edere auditus sit, qui victi dolore animi, index esset: dignum certe hominem ad hunc usque diem Vngari fatentur, qui pro meliore causa pugnaret, quemque tueretur a furore, et scelere invicta virtus impiae mentis, et scelerum potentem, quibus ultra omnem veniae spem se suosque contaminasset. Tum nemo erat, cuius etiam sana mens esset a partium sensu, quin, pro scelerum magnitudine, parum severe animadversum in tam nefarium hominem existimaret: quae enim fert belli vis, quae sua natura insolens, raro novit ullum in saeviendo modum, ferri aequo animo possunt; cum tempori, non hominum ingeniis, ut maxime sint acerba, et non ferenda, tribuantur; incendio absumptae villae, urbes solo aequatae, direpta oppida, arces dirutae, quae pati necesse est aut inferentes, aut illata propulsantes arma: in hoc uno homine ea violata expiabantur, non quae ius belli permittit, cum rem gerentium calent animi in promiscua caede, sed ea, a quibus abhorret hominum natura, non a feris bestiis verenda, non a monstris illis immanibus, quae excogitavit antiquitas apud inferorum impias sedes sceleratorum manibus excrucian-  
dis. Commemorabantur, per datam fidem in frau-

dem nobiles homines, mox variis suppliciis, et nusquam antea excogitatis interfecti; lento igni tosti alii, atque vivi exusti, alii exanimati, palis per sedem adactis; vivi alii in terram defossi; mediis nonnulli secti, foedo spectaculo etiam hosti Turcae futuri: in his Cianadensium pontifex, atque adeo ut nihil subsidii religio ad leniendum crudelem animum contemptori religionum omnium, materiae plurimum ad ludibrium afferret. Idem enim iudex, idem mox futurus carnifex, ante se stantem et foeditatem supplicii infimis precibus deprecantem, non passus moram supplicio interponi, quae voluptatem praeceptam animo moraretur, clavae ferreae ictu exanimatum ad terram stravit. Nam nobiles virgines permultae, ex his, quae in sacris collegiis pro populo operarentur, tum matronae, lectissimae feminae ferebantur, violato pudore, vulgo prostitutae, ac fanda infandaque passae, ut qui auctores tam tetri supplicii essent, non se crederent in Georgium Zechelum saevire nobilitatis hostem, sed in hostem humani generis, cuius sensum omnem ingeniumque ferarum immanitate assumpta exuisset. Quorum memoria animis recrudescens, ut in homine exeruciando minus animum in potestate haberent, humanitatis suae memores, effecit. Nam Iovius, sive ingenio, quod solet morigeratus, immodicus in utramque partem augendis rebus, atque elevandis, sive mutuatus a peritis, id quod Vngari tradunt, multo his foediora addit: Ita quidem si sunt administrata, ut ab illo memoriae prodita leguntur, in eo etiam homine plectendo, in quo uno sceleratorum omnium horrenda coacervata facinora expiarentur, transgressi nobiles humanitatis iura videantur. Iniectis catenis, arcte vinctum, ne ex motu, atque agitatione corporis ratio ulla levandi do-

loris superesset, cum excruciantium odium, miserandum in modum, artibus membrisque omnibus excarnificato, omne solatii genus negaret, inde nudum in equuleum coniectum, capite corona ferrea igni candente redimito, ad poenae atrocitatem ut dictum est, ludibrio adiecto. Mox quamdiu visum, capite deusto, cum vererentur, ne per celerem mortem graviori supplicio eriperetur, incisis venis, ex his profluentem sanguinem Lucam fratrem sugere vi tormentorum coactum, nequidquam clamante Georgio, et vociferante, abesse a scelere fratrem, quod quidem, etiam si haud ab eo falso tortoribus obiiciebatur, dicenti et quiritanti tamen fidem abrogabat verisimilis coniectura, tamquam excogitatum mendacium ad fratrem poena levandum. Ex his, qui capita seditionis fuisse, et munere aliquo militiae functi dicerentur, tum quorum furor, atque amentia in scelere eminebat, circiter viginti, per trium dierum inedia aestuantes edendi cupiditate, anhelantia membra morientis lacerare morsu, mandere infelicem escam coactos, quae destinatos exsecrando supplicio aleret, natura ad tam dirum, atque immane facinus reclamante. Hinc fessis tortoribus Georgio cruciando, eo cruciatus perferendo fesso, tandem victum pertinax odium, ac vix per tot crudelitatis exempla restinctum torquentium animis, naturae cessisse. Mox in mortuum saevitum: cadavere visceribus avulsis, frustratim dissecto tabo, et sanguine fluentia membra veribus tosta, semicoctos artus, iis mandendos obiectos, quorum usus opera infelici bello esset, quo tamquam funebri epulo inviti, et refugientes expleti, mortui ducis manibus parentarent. Ita satiatos detestandis mensis, atque perpressos omnia tormentorum, et cruciatuum genera



interfectos. Dum ea ad hunc modum a regiis geruntur: parte regni alia Ioannes Bornemissa, quem hominem virtutis ergo ex humili fortuna Tolnae natum Ladislaus ad honestiores militiae ordines promoverat, sive sua sponte, ut gratius officium regi esset, ultro susceptum reipublicae difficillimo tempore; sive regiis litteris evocatus, quingentis quibus praecerat secum equitibus assumptis ad Budam Danubium transmisit, ac Pesti consedit. Coierat per eadem tempora in Pestanum agrum agrestium ingens multitudo, qui ad primam belli famam iisdem de caussis, quae supra a nobis commemoratae sunt, ierant ad arma. Iis praecerat Ambrosius quidam Salerius, in perdita caussa haud plane improbus, id quod locuit eventus. Cum eo Bornemissa astu magis et consilio quam vi aperta agendum arbitratus (non enim erat par futurus, ubi cum viribus vires essent conferendae) equitibus in oppidum receptis, certum e suis hominem, cuius habebat perspectam fidem, ad Ambrosium cum mandatis mittit, non desperans per obiectam spem impunitatis, ubi resipisceret, atque a scelere revocaret animum ad sanitatem revocatum regi conciliaturum. Summa haec mandatorum: Se a rege missum, ut cum eo de communibus rebus colloqueretur, quibus expositis, quam diu rex spem veniae resipiscentibus faceret, hortaretur, si saperet improbatum sceleratorum hominum consiliis, se regis, et nobilitatis caussae adiungeret, quam quidem ius, fas, et religio tueretur: certo quidem scire se eo animo illum esse, ut quae honesta sibi esse, quaeque conducere publicis rationibus, privatisque suis intelligeret, ut deceret civem patriae amantem, et sui officii memorem, facile esset sibi persuaderi passurus. Minime vero regem veritum, ne

parum memor suae maiestatis, aut iuris videretur, si cum iis lenius ageret, a quibus esset, per apertam defectionem in se tam nefarium scelus admissum. Nullius in eum posse tam tetra esse, atque immania facinora, quibus non illius lenitas, et clementia esset maior. Mirari enimvero, cum suae facilitatis, atque indulgentiae iam pridem documenta multa in Vngaros dedisset, inventos qui ea vi, atque armis extorquere conarentur, quae nullo negotio a rege profusissimo iuvandis, sublevandisque suis sperarent se consecuturos. Esse autem, quae a suis, ni tanto infra suam dignitatem maiestatemque esset, rex percunctari vellet: quae secedendi illis caussa fuisset, quae deficiendi a rege, quem secundum deum parentem omnium coli a suis summa pietate, sanctimoniaque aequum esset: cuiusque una certa cura haberetur, communis omnium salus, pax, otium, libertas? Quo vero auctore ausos per speciem religionis, quo execrabile magis facinus, et detestabile videretur patriae impia arma inferre? in communem parentem omnium, tamquam in sua viscera ferrum intorquere, cui omnia quae in vita essent expetenda, salutem, libertatem, vitam deberent? potuisse inducere animum, ut patriam peterent infestis signis, hostilem in modum vastando depopulandoque urerent, quorum armis esset usura adversus Turcam Vngaris inferentem bellum? quamnam audaciam, quam amentiam fuisse, quem furorem, quod scelus tantum, ut eo inconsulto, quem regem et agnoscerent, et venerarentur, occulta consilia inire, hominum coitionem facere, non prius indicere, quam gerere bellum auderent? certa servari iura cum externo hoste: quanto aequius, si qua occasio civilis tumultus exoriretur, adiri regem, moneri apud eum

ex legum, et iuris praescriptione, ut otii, et pacis amantes cives deceret, de communibus controversiis disceptari? Cur illi vero, si quid haberent, quod de nobilitate quererentur, non summo iure apud eum experi, cuius esset in suos summum ius, lenitas, atque indulgentia par, quam certare armis mallent? Cur diffiderent, nisi iusta modo in speciem caussa, furorem, atque amentiam non ferendam praetexeret, suum se ius apud regem aequissimum positum armis, quae indicarent feroces, et contumaces animos, legibus et moribus obtinere? Esse sanctius regum consilium, in quo summae prudentiae, et consilii homines, iis consulentibus decernerent de publicis rebus, patres e pontificum collegio, regni principes, Vngariae lumina, quorum auctoritate, legitimo iure iudicis comitiis, de componendis communibus controversiis ageretur? Non esse Ladislaum unum principibus modo regem creatum, non nobilitati, non ulli praecipuo ordini, quem eximium haberet; sed universis populis, et nationibus, quicumque in Vngariae regno longe lateque continerentur. In honore mandando, cum de eo esset inter virum principem, et de plebe hominem, instituta contentio, nullum esse discrimen, ubi illud tolleretur splendens in obscuro, et infimo homine illustris virtus; in nato summo loco, insigne, aut flagitium, aut scelus: ut si virtus excellens extolleret infimum hominem ad summum gradum; nequitia in excelso positum deturbaret, semper virtus obscura (si obscura modo umquam esse posset) nequitiae, quae generis splendore esset insignis ad infamiam, anteferretur. In eadem iuris aequabilitate eandem omnium, pro cuiusque merito rationem habendam, ut sutor veteramentarius, ubi eum insignis virtus commendaret

haud deteriore conditione esse deberet, quam qui positus esset principi loco, et summum gradum honoris, et gratiae apud regem obtineret. Nihil umquam a rege commissum omnium suae aetatis clementissimo, ac miti, et placabili ingenio, quare Vngari ab eo alienati per apertam vim regni ruinam, atque exitium molirentur. Sed quando quae facta essent, fieri infecta non possent: permittere iis regem, utrum mallent, sive sua sponte ad sanitatem redire, accepta fide, quod a rege defecissent, multa in deum, et in homines scelerate admisissent, fore se dedentibus impune; sive, nulla cum veniae spe, de communi iure armis disceptare, quod obtinere summa cum regis, atque omnium ordinum voluntate, qui furentium mos, et ferarum esset inermibus liceret. Intelligere se, plurimum imminui suam dignitatem, quod mitius cum iis ageret, quam aut regii imperii maiestas, aut eorum amentia postularet, sed non posse a se impetrare, ut discederet a vetere superioris vitae instituto, severius cum suis agendo, quorum salutem non prius negligere, quam suam posset. Itaque quorum esset sana mens a sceleris labe, tametsi regis laesae maiestatis convicti ultimum essent supplicium promeriti, iubere eos extemplo facessere ab eorum coetu, a quorum scelere abessent: id si facere animum inducerent, quod illos facturos speraret, cuperet certe, a sceleris illos poena quoque abfuturos. Nam quorum animi obfirmati adversus sana consilia essent, eos brevi intellecturos, neque consilium regi, neque animum, et vires ad sceleratorum hominum audaciam, atque impetum reprimendum defuisse. His Ambrosius auditis, quae, ut vere Bornemissa non haberet in mandatis, facta coniectura de Ladislai ingenio, vere habere poterat videri, communi-

cato cum suis consilio, magna cum eorum manu, quibus praeerat, in partes regis transiit, cum non deessent in magno numero, qui desperato eo rerum eventu, quem sibi animis spoponderant, tutiora turbulentis consiliis praeferrent: verisimile est Ambrosium, sive sua sponte exsecratum animo tam atrox scelus, nondum plane odio depravato, sive delinitum Bornemissae oratione facile in optima causa deserti, regi se conciliari passum, cum praesertim virum conscius minime dubitaret, quin, si esset cum regis configendum, minime dubius eventus proelium consequeretur. Nam id percubuerat, consulto ad id ipsum dissipata fama, Bornemissam cum ingenti militum manu in oppidum receptum. Quod quidem ubi etiam fama tantum vulgatum crederent, ratio tamen suadebat, in magno armorum motu, missam ad bellum tumultum sedandum, hostium copiis parem militum manum, cum praesertim in magno rerum discrimine tum regis dignitas, tum publica salus versaretur. Non enim creditur, ubi de summa rerum proelio discernendum sit, temere aleam iaci, et obici inferiorem viribus superiori ad caedem. Nam, ut Bornemissae fidem haberent, illud etiam faciebat, popularem hominem, et suo, non splendore natalium nitentem, creditum tacito naturae instinctu suorum magis, quam nobilitatis caussae favere: ita vero delectum, qui rem adversus suos gereret, ut appareret, separatam regis caussam, a principum caussa habere multis nominibus nobilitati parum aequi. Accedebat et illud homini a natura insitum, ut in dubiis rebus, quidquid quantumvis leve praeferat timoris umbram, in deterius accipiatur, eoque trahat prava opinione imbutum animum, non quo certa ratio, sed quo obiectus error

nutanti atque haesitanti inclinat. Malus vero animus vates, ad credenda quae deteriora sint, et quae quis minus velit fere semper praeceps fertur. Vnde vero Bornemissae animi ortam tantam fiduciam existimarent, ut, mali metu iniecto, deterrere ab incepto armatos homines auderet, nisi misso a rege explorata esset victoriae spes? quae quidem quam firma erat futura, ubi, euntem adversus multitudinem armatam, non valida equitum, et peditum manus, ac par militum numero belli apparatus sequeretur? Neque cuiquam magis poterat probabile videri, sua sponte illum, et privato consilio sumptis armis leges praescribere gerentibus arma, invitare ad deditionem, spem veniae facere audere. Igitur per alterius partis secessionem, alterius viribus, quod necesse erat, debilitatis, ea pars, quam caussae aequitas, et ius tuebatur, cum ventum ad arma, et proelium commissum esset, Bornemissa eodem tempore, cum regio equitatu ex oppido erumpente, atque in trepidantes, et fluctuantes inferente signa, superior fuit. Magna inde, calentibus utrimque odio animis, e suorum discidio, edita caedes in percussos, et perturbatos, nullo duce certo, qui territos sua sponte ad rem impigre gerendam excitarret, qui iam cum meliore copiarum parte, ad regem transisset. Ita vix primam impressionem sustinentes, terga verterunt, desperata salute, cuius oblatam certam spem, pertinaci odio obstinatis animis, abiecissent. Inde qua praecipiti fuga elatis spes effugii patebat, non uno defuncti mortis genere, ad unum fere interiere. Haec res ita feliciter, atque ex sententia administrata, magno honori apud regem Bornemissae, atque apud nobilitatem fuit, id quod alii etiam testantur, quos sumus auctores secuti. Nam et habuisse

rationem suae humanitatis, et morigeratus regis ingenio ad misericordiam proclivis, simul id quod erat agendum, consuluisse regni otio videbatur, callido. commento ille quidem, sed cum nullius fraude reipublicae salutari, conservata multitudine innoxia, quae inducta in fraudem a seditiosis, et turbulentis hominibus, per speciem recuperandae libertatis in sui certam perniciem, et pestem esset rapta. Quae dum ad Pestum geruntur; in Colocensi agro, iam longe lateque belli flamma pervadente, concitata multitudo, duce Antonio Longo seditioso, et nefario homine, cum multa hostiliter agendo infesta circa omnia fecisset; oppressa a regiis disiectaque est. De Longo cum vivus in potestatem venisset, Budae supplicium est sumptum. Iam tot cladibus a victoribus multitudini illatis, cum neque iis trepidis animus, neque amissis amentiae ducibus. incertis consilii spes salutis ulla superesset, principes, magna concepta spe, ubi paullulum adniterentur, tantae pestis ex Vngaria delendae, undique armati ad persequendas belli reliquias iam sua sponte senescentis, incitantur. Ita, magno successu, cum nulla esset certa manus, quae occurreret armatis, brevi interfectis aliis, aliis dissipatis, et disiectis; vix passi a se impetrari ut in puerorum, et mulierum imbellem turbam non stringerent ferrum, nullos sibi reliquos fecerunt, quorum exitio sitientes animos, ad invidiam usque, miserorum sanguinem, in quo quidem, per tot hominum supplicia, et caedes volutati essent, exsatiarent. Duo adhuc erant in armis, qui se duces multitudinis ferrent, Martinus, et Laurentius (cognomina non feruntur) quorum supra mentionem fecimus egentis homines, et qui, propter edita multa tetra in nobilitatem facinora, haud dubitabant, quin, ubi vivi

venirent in potestatem, dignas iis scelere persolverent poenas, quibus nullo genere supplicii se satisfacere posse sperarent. Horum alter initio tumultus in Agriensi, in Varadinensi agro alter, spe praedae multitudine traducta in sententiam, magnis nobilitatem cladi- bus affecerat: mox cum, languentibus partium studiis, ob rem male ad Tibiscum gestam, nobilitatis se praedam futuros non ignorarent, ubi infelicibus auspiciis ingressi in caussam, pergerent pertinacius susceptam tueri, sive defuncti mutua caede, quod nonnulli tradunt, sive per noctis tenebras digressi quo facilius captata fuga, custodias fallerent, quibus erant circumsepti, se magnitudini suppliciorum, quae nondum in Georgio excruciendo laesa nobilitas absumpsisset, subdlexerunt. Augebat hominum invidiam violata ab illis religio, cum uterque sacerdotio functus, damnato vitae instituto, cui se devovisset, a sceleratis armis, militiae initium fecisset, prius impii, et scelerati in deum, a cuius cultu defecissent, quam crudeles, atque immanes in homines; ne quis dubitaret quin facile ad quodvis facinus possent impelli, qui se periurio, et scelere in deum, omni maleficiorum genere in homines obstrinxissent. Cum vero alia eorum facinora commemorabantur, quae per se atrocia, et nefanda, sacra persona, quam gerebant, execrabiliora efficiebat, tum unum maxime crudelitate, ut barbara diritate insigne. Captum enim Nicolaum Solohominum praecipuae hominem nobilitatis, et cum eo tres fratres, viros lectissimos, foedissimum in modum, prius direptis, atque incensis eorum aedibus mactaverant, in una morte multas coactos experiri amissis domesticis copiis, et maiorum nobilitatis monumentis, ut adhuc viventes suorum malorum spectatores, acerbiorem doloris sensum haurirent. Hunc finem habuit, ut



inconsulte, et temere susceptum, ita infeliciter gestum a rustica plebe, adversus nobilitatem bellum, memorabile semper posteritati futurum, cum ob alia, quae supra sunt commemorata, tum ob innumerabilem secutam hominum caedem, qui si diuturno bello, non eo, quod vix ortum, oppressum extinctumque est (quarto enim mense est debellatum) desiderati essent, potuerit Vngarici regni iactura insignis, in omni consequenti aetate haberi. Auctor quidem est Ioannes Cuspinianus gravis magis quam disertus scriptor, cum Maximiliani Caesaris legatus eodem anno in Budensi conventu interfuisset, inito numero eorum, qui eo bello occidissent LXX hominum millia desiderata esse, in his, qui ex amplis familiis essent nati, quadringentos. Idem affirmat, quod iam supra commemoravimus, fuisse eorum consilium, deleta nobilitate, atque eorum bonis per agros viritim distributis, e quatuordecim pontificiis sedibus, ut vocant Vngari, ceteris pontificibus abdicare coactis, unam dioecsim constituere; cuius qui esset, administrator, sacris, et religionibus procurandis universo regno praeesset; cetera sacerdotia, quorum essent peropulenta vectigalia in proemium iis cederent, quorum praeclara opera bello gerendo exstitisset. Rem, ut a nobis exposita est, adversus rusticos gestam Tubero tradit, quem sumus secuti auctorem, id quod videri vult, unius suae fidei, usque ad offensionem, memorem in scribendo. Ita quidem nemini addictus promiscue in omnes stili aculeum dstringit, ut non summis regibus, non principibus populis, non Romanis pontificibus parcat, quos unos ipse sacerdotio praeditus, tristis, ac severus censor durissime, atque acerbissime insectatur. Iovius variato rerum, ac temporum

ordine, multa quae a rerum serie minus potuit, mutuatus ab ingenio litteris prodidit: cum ob eas causas, quas a principio commemoravimus, effusa agris multitudo, magno undique concursu ad Pestum urbem confluxisset: inde, ut fit, horum aemulatione atque exemplo audacia et licentia aucta, popularium ingentem manum, cum alii alios ad bellum excitarent, armatam coisse. Nihil autem fuisse facilius, quam fame atque egestate confectos, a cultura agrorum avocari ita ingentibus laboribus perfunctos, ut necessario victu fraudarentur, laborum suorum fructum ii referrent, qui ab his quam longissime abessent, fortunati homines miserorum aerumnis. Mox, ut diximus, cognitis per hominum coitionem suis viribus, quae deductae distractaeque laterent, coepisse impune in principum fortunas insultare, diripere oppida, arces igni, ferro omnia vastare, multo acerbiores reponendis iis malis, quae passi essent (quod in ulciscenda iniuria passim fieri animadvertimus) quam ii fuerant inferendis, a quibus praecepta crudelitatis hausissent. Cum in dies maiore licentia, atque impunitate arma circumferentes magnum nobilitati metum iniecissent, praeter suam expectationem, repente pernicioso bello oppressae: principum adhortationibus precibusque motum Thomam cardinalem, quem in speciem ostentata hominum religio in fraudem induxisset; per aquae et ignis interdictionem recipi cuiusquam nomen, cuius ipse non esset auctor, vetuisse. Ad novi edicti famam honestos homines nonnullos, quos unum pietatis studium armasset, execratos sceleratae militiae infamiam, quae religionis falso titulo, in patriae perniciem a nefariis hominibus obduceretur, et arma simul, et, quo illa honestabantur, crucis

insigne, Ambrosio principe, cuius supra meminimus. uno e multitudinis ducibus posuisse. Alios, quibus insigne sacrum, latebra hostilis odii esset, quo in nobilitatem flagrabant; contumaces animos adversus legati obnunciationem retinentes, multo maiore, quam antea audacia, populari agros, publica iuxta et privata loca, sacra, profana omnia nullo discrimine diripere, scelere simul imbutis animis, perrexisse, tamquam contempta legati censura, nihil superesset sceleratis hominibus timendum. Non in eo scelus hominum constitisse. Ne inauspicatum, quod animis agitarent, gererent bellum, Georgium Zechelium qui cum summa potestate praecesset, ducem eundem, imperatorem, regem, quo maiore cum auctoritate rem gereret, sibi, magno consensu delegisse: quasi per adeo nefariam coitionem non satis peccatum esset, ad tam dirum facinus ingenti sceleris accessione quaesita. Eum, copiis divisis, quo in plures partes effusa belli vis, simul maiorem terrorem nobilitati inferret, simul suis praedae maiorem spem faceret, locupletium pagos, arcesque diripientibus, copiarum parte alia Lucae fratri attributa, validiorem ipsum, et in qua quidquid esset roboris haberetur, assumpsisse. His instructum copiis ad imperitos fallendos, crucis insigni praelato, spe praedae opimae illectum Varadinum duxisse: in itinere quoscumque e nobilitate fortuna obiecisset, quod iam commemoravimus, interficiendos, odii feritate in nullo supplicii genere inveniende modum, dilacerandosque curasse: ad mortis acerbiter contumelia adiecta matronarum, atque ingenuorum pudore per infinitam licentiam violando. Qui Varadini in praesidio essent; sub agrestium adventum, qui ab effusa populatione infestius se invehentes prohiberent, misisse

equitatum: inde equestri proelio commisso, male gesta re, percussos equites, multis e suis amissis, sese recipere in oppidum coactos. Ladislaum sero expectatum, quem nihil minus expectantem subito tanti belli moles oppressisset, cum neque ineundi, neque explicandi consilii ulla ratio occurreret, territum improvise malo, milites e praesidiis eductos, qui permulti in Vngariae finibus regni provincias, quos comitatus vocant, a Turcarum excursionibus tuebantur ad signa convenire, ad certam diem iussisse, eodem tempore missis legatis ad Sigismundum fratrem, ad Maximilianum Caesarem, ad Germanos, Boemos, Moravos, qui partim opem auxiliumque implorarent, partim voluntarios mercede conducerent, quorum opera, diffusis praesentibus suis viribus, ad bellum uteretur. Quarum in rerum apparatu, dum rex occupatus esset, Georgium elatum successu, copiis Cianadum adductis, quo, territi metu oppidani citius deditionem facerent, milites aedificiis ignes subiicere iussisse, quae fere, ut in suburbiis solet, congesta temere e silvis materia, erant exstructa: tetro, atque immani consilio eventum respondisse: oppidanos simul, et quem unum maxime odisset, Cianadiensium pontificem vivum, eodem incendio absumptos, ne qua effugiendi facultas relinqueretur, undique veprum, et virgultorum exstructa congerie qua oppido circumvallato, exitu inclusi prohiberentur. Nondum exorto incendio, Cianadiensem episcopum cum imminens sibi a barbaro homine exitium animo horreret, ex iis coniectura facta quae ad eum diem adversus sui ordinis homines administrata essent, clam oppido egressum in vicinas silvas quae sisse receptum praecipiti fuga, haud satis tutum futurum se a sceleratorum hominum consiliis ratum, nisi

inclusus ferarum latebris, induceret in animum, et famem, et omnia alia extrema pati. Ita cum hinc late effusa flamma, hinc milites qui per stationes dispositi, attentissima cura exitus omnes ingressusque observarent, fugam miseris interclusissent, ancipiti maló, aut ferro, aut igni circumventos interiisse. Ad tantum editum facinus, barbaram immanitatem accessisse, et raro auditam superioribus saeculis Cianadiensi excrucian-do, cum quidem non religio, non pontificius honor, non amplitudo sacerdotii, flectere; atque emollire obduratos in scelere possent animos, miserum retractum ex fuga, palo per adversam sedem; in humeros inserto, multis antea laceratum probris, et elavae ferreae ictu exanimatum, supplicii genere teterrimo per lentum mortis genus interfectum. Eadem saevitia, quam nulla excogitata in miseros supplicia emolliabant, nullo aetatis discrimine, dignitatis, ordinis, sive insignis honos quem, sive generis splendor, sive religio commendaret, quae omnia apud crudè lem, et barbarum animum ad contumeliam valebant, odii poenas a ceteris expetitas, sive acti casu, sive elati fuga, ad nobilitandam teterrimi hominis carnificinam in manus incidissent. Incensam tot malis nobilitatem, quorum nullum apparebat futurum finem, nisi peteretur primo quoque tempore praesidium ab armis, sceleratis hominum inceptis aliquando obviam eundum statuuisse, satis gnaros, ubi diutius hoc agere cunctarentur, audacem hominem in totius regni pestem, atque exitium augendo indies vires sumpturum. Ita cum per crebra colloquia, de ratione belli gerendi consultantibus, quantum quisque virium in medium conferret, cognitum esset: Ioannem Bornemissam ad Budam regiis copiis annum traductis, cum hostium copias, quibus Lucas praeerat Georgii

frater, patenti planitie esset adeptus, transeuntibus ad regem facta veniae spe, magnam militum partem, sive desperato belli eventu, sive conversis animis ad meliora consilia, iis artibus quibus supra demonstratum est, resipiscentium, in potestatem redegisse. Alios quibus insigniora scelera spem veniae ademissent, perterritos defectione suorum, crebris tormentorum ictibus disiectos, regio equitatu, qui ad intercludendam fugam dissipatis itinera obsedisset, caedendos obiecisse: Lucam, nondum inita pugna, cum qui eius eventus futurus esset, haud dubitaret, omnia autem integra ad fugam essent, perpaucis secum adductis, quos consilii conscios haberet, conscenso equo, ad Georgium fratrem incolumem evasisse. Bornemissa cum victore milite Budam regresso, cum in consilio de iis ageretur, qui ad regem transissent, nonnullis censentibus iis datam fidem non servandam, quos ultimi supplicii metus, non religio redire ad sanitatem coegisset, mitiora aliis suadentibus; veniam dari multitudini placuisse, de iis modo supplicium sumi, qui aut fuisse defectionis auctores, aut inter ceteros scelerum magnitudine excellere dicerentur. Atque haec quidem Iovius, qui quidem nemini facile hoc persuadet, religione regem adductum, servandam sibi fidem, legum et iuris gentium violatoribus statuisset. Neque ille tamen accusandus, qui dedit quam nec dare debuit, nec datam praestare, sed stulta eorum temeritas, qui fidei, et religionum omnium hostes, se permittere alienae fidei, et regis praesertim perfidiae vindicis ausi essent. Ita octo, cervicibus securibus subiectis, matatos, quinque palis affixos, quod genus supplicii, cum per se teterrimum, redderet atrocius mora, gratum spectaculum nobilitati praeberet, quae solati-

um malorum, e longo supplicio nefariorum hominum peteret. Inde proclivi fortuna ad victoriam, cum agrestes viribus in plures manus distractis, ita regias copias distinerent, ut quidquid in his roboris haberent, quod totum numero constaret, extenuaretur; ad Nadlacum primo, mox in Agriensi, et Varadiensi agro, non meliore eventu pugnasse. Quibus cladibus Georgium permotum, cum non ignoraret, quantum sibi auctoritatis, et apud suos pariter, et apud hostes decessisset, quae una res semper magnum ad summam victoriae momentum afferret; quod fortuna adversa negaret, rebus suis parum aequa, petere ab animi magnitudine, et praesentia statuisset. Ita ad eam exercitus partem, quam haberet, reliquiis suorum additis, quas cum cura conquisisset, et si qui abessent longius, revocatis ad signa, ad Tibiscum, bello instaurato exercitum duxisset. Cum copias traduci nisi pònte facto haud facile speraret: iussis militibus materiam e frequentibus aedificiis comportare, quae plurima circa haberentur; e doliis, quae perpetua serie catenis revinctae, ad utramque ripam fluminis pertinerent, insuper tignis asscribusque iniectis, atque humo stratis, pontem effecisse: eo, cum omnibus copiis, maiora tormenta, quae ex captis, ac direptis arcibus nonnulla avexisset, atque exercitus impedimenta, magna usum celeritate traduxisset. Hoc quidem fuisse illius consilium, ut cum parum suorum virtute confideret in regni finibus, validiore oppido aliquo occupato, id quod sperabat haud difficile sibi factu futurum, militem terrium ex tot acceptis detrimentis, ad bellum de integro capessendum, temporis spatio instauratis viribus, redderet alacriorem. Ut hoc facere acceleraret, haud dubios nuncios effecisse, auxiliariorum ingentem ma-

num e Boemia regi subsidio venire: ut si dimicandum esset, minime dubitaret, quin, nova accepta clade, in vitae, et salutis discrimen adduceretur. Ita traductas copias, quarum numerum tot adversae res plurimum minuissent, Themesvarum duxisse; quod oppidum situs opportunitate magis, et natura quam opere munitum, magno imposito praesidio, Vngaria Turcarum excursionibus tutabantur, gentis instituto, belli pariter, et pacis tempore omnia armis infesta facientium. Minime vero dubitasse, quin, ubi id in potestatem redigeret, aut meliore conditione cum rege de compositione ageret, aut si nulla spes veniae a rege ostenderetur, suae dignitatis magis, quam ingenii memore; ad Turcam transiret quod consilium sceleratum hominem extremum sibi reservasse, omni alia spe deplorata, verisimile esset: a Barbaro certe Vngariae regno imminenti, peropportuni oppidi deditioe voluntaria, ingentem, ut credebat, gratiam initurum. Cum tormentorum nullus esset usus, oppido egregie munito fossis compluribus, idoneo loco in iustam altitudinem perductis, qua amnis Themessa urbem alluebat, flumen avertere conatum esse, magna spe, ubi id ex sententia succederet, urbem ab ea parte capiendi. Quae dum pararet administrare, non malo quidem illum consilio, ubi inceptis cetera responderent, nunciis de Scepusii adventu acceptis, qui magnis instructis copiis, ad solvendam urbem obsidione ferretur accelerare, irrito incepto absistere coactum, copias abduxisse. Hinc quamquam tot malis circumventum, cum omnia agredienti irritos conatus cadere, ac certum instare exitium animadverteret; audacia praecipitem, et ferocia animi, cuius impotens erat, elatum, virium periculum facere, et de summa rerum decernere cum



Scepusio constituisse. Eo animo cum esset, ut sua fiducia atque alacritate deiectos suorum animos, terribitosque confirmaret; eos brevi oratione ad pugnam capessendam adhortatum, potestatem hostibus pugnandi fecisse. Commisso proelio, haud dubiam victoriam penes Scepusium stetisse. Addit Iovius etiam Georgii laudes, cum in gerenda re, tum in toleranda cruciatuum acerbitate; quos, ut diximus, constituenda poena in crudelissimum latronem, nobilitas extrema in humano ingenio diritate excogitasset. Nam in acie instruenda, in monendo, suos adhortando, ad virtutem incitando, optimi ducis partes, in pugnando, militis fortissimi praestitisse; ut si pari animorum robore praeditum militem in aciem educeret, haud esset verendum, quin, ubi is rem gereret, illic minime dubio pugnae eventu esset victoria futura. Collocasse in prima acie, quorum sibi magis esset perspecta virtus, minus dubia fides, optimam in eo rationem secutum; ut essent qui virtute, et rei militaris peritia adnixi, adversus omnem fortunae casum, exceptum primum hostium impetum frangerent, victoriam certe de qua ipsi desperarent nobilitati cruentam, quae una voluptas victos maneret effecturi; quod si minus contingeret, materiam in victos saeviendi, victoribus hoc unum maxime expetentibus, honesta morte praeriperent: eos collocasse . . . . .



societati tuendae conservandaeque per mutua officia addixit? Quae porro ulla iusta caussa hominem instructum iis artibus, quae sint suis civibus subsidio atque ornamento, per sacrorum occasionem, quorum religione maxime homines tenentur, a reipublicae administratione ablegandi? At hoc rationis habuerunt sapientissimi homines, qui iura populis legesque primi descripserunt, ut sacrorum cultum verae religionis ignaris hominibus inveherent, ita fore sperantes, ut captis religione animis, sensim discerent magistratum agnoscere, legibus parere; vigilare, publica munera obire; multos perferre labores; militare pro communi salute; vitam contemnere, cum patria posceret; subire omnia mala, atque incommoda, quae morte graviora homines, spe una incitati immortalis vitae, quam religio spondet, alacres statuunt sibi obeunda. Cur vero quorum ordo amplissimus in hominum societate est reipublicae caussa constitutus, legibus prohibeantur, ubi virtute, et consilio excellent, reipublicae incolumitati, et civium salutis inservire? neque enim, ubi quis in sacerdotum collegium cooptatus est, continuo aut est factus alter, aut civis esse desiit; neque patria in eum suum ius amisit, cui una caussa gravissima est sacrorum cultum retinendi, ut civitas habeat dubiis temporibus, aequae ut laetis, reipublicae utiles cives, cuiusmodi qui esse possunt, nisi cum civili virtute religionem habeant coniunctam? Tanta vero vis est in religione ad homines in fide continendos, ut si legibus sacri homines a publicis functionibus prohibeantur, quo hac parte respublica suorum praesidio non careat, sint legibus soluendi: namque in maximarum rerum consultatione, non solum sapientiam, et consilium, sed etiam religionis auctoritatem secum afferunt,

qua maxime multitudo movetur, facile iis assentiri assueta, quibus accedere divinam auctoritatem existimat, atque adeo, ubi minus etiam salutaria habentur. Quemadmodum vero insanire, et furere credantur, qui cum exorta adversa tempestate naufragium immineat vetent navigandi peritos quicumque illi sint ad gubernacula accedere, ita videantur insaniae morbo laborare, qui arceant a reipublicae procuratione peritos homines earum artium, quibus civitates, atque imperia administrantur, quod sint religioni, et cultui sacrorum addicti, quae nemo umquam dubitavit, quin in bene excultis ingeniis plurimum adiumenti ad obeunda civilia munera afferrent. Quid enim si civitatum, et populorum rectores, quod saepius accidit, quam res hominum requirant, sint ipsi regendi? si ii, quorum consilio debet regia muniri, et procurari multorum salus, ipsi consilio indigeant? non eo descendendum videatur, ubi vera vigeat virtus, quocumque illa loco exsistat? Accedit vero, quo magis hoc sit discrimen tollendum pravus nobilium hominum mos; qui, quasi sit satis ad honores capessendos nobilem nasci, aut niti regum gratia, et populi suffragatione, contemnunt earum artium studia, quibus certa disciplina administrandi rempublicam comparatur, contenti iis, quae conducere credantur corporis viribus firmandis, quas Graeci uno gymnasticae nomine comprehendunt: quae quidem ut minime sint nobili homini negligendae, haud tamen iis praefereendae videntur, quibus excoluntur animi, ad munus imperii recte administrandum, cui obeundo, nati homines claro atque illustri loco destinantur. Tanta vero vecordia est, ut apud nobilissimas etiam gentes patres inveniantur, quibus una caussa sit liberos exhaeredandi, quod acrius quam decere no-

biles homines credant, in studia ingenuarum artium incumbant, digni vero parentes, a quibus, pecudes, quorum non sunt dissimiles, non homines gignantur. Et passim quidem videmus honori esse adolescenti ingenuo, viribus, aut pernecitate praestare, qua parte hominibus nonnullae bestiae antecellunt; sapientia excellere, atque iis artibus, quibus animi ad virtutem, sapientiam, magnitudinem animi conformantur, quae sunt vera ornamenta, et propria hominis, credatur ad quemvis potius, quam ad eos, quibus hae sunt certae a republica impositae partes, pertinere: ut aequum sit, nobiles homines, qui sibi sumunt in alios principatum, ferre non iniquo animo eos, qui se a prima adolescentia iis artibus dediderunt, a quibus ipsi refugiunt, deterriti labore, sive ex sacerdotum ordine sint, sive ex infima plebe ad rempublicam accedere: ii enim apti modo populis imperio regendis, in quibus virtus eluceat undecumque illa existat, etiamsi absit fortuna alienae virtutis, non patriae testis. Quae quidem gravis caussa nobilitati est visa, et in aliis regnis, et in Galliae in primis, ut cum aegre ferrent claros sapientia homines ad summos honores pervenire, non generis splendore, sed suo fretos: neque iam se indignum ducerent honestioribus studiis operam dare, et sacerdotia ambitiose peterent, quibus qui funguntur minus instructi ingenuis artibus, etiamsi regiam sanguinis propinquitate attingant, in regni administratione iis cedunt, qui ita honoribus honestantur, ut sint ipsi honoribus quos gerunt ornamento. Nam si quid aliquando ab his incommodi manat: non est ordo accussandus, qui sive probus quis, sive improbus, neque auget, neque minuit editum insigne facinus aut ad gloriam, aut ad dedecus, sed

ultro suscepta aut virtus, aut improbitas, quae non iis in rebus, quae casus, aut fortunae sunt, sed in animo sita suum domicilium habet: non enim persona, sed ingenium, et mores qui persona teguntur, sunt spectandi, ubi eorum hominum, qui sunt summae rei-publicae profuturi, delectus habeatur.

IO. MICHAELIS BRVTI  
VNGARICARVM RERVM  
LIBER QVARTVS.





## LIBER QUARTUS.

---

Bellum ex sententia a nobilitate gestum, cuius tristem ac funestum exitum anxii homines metu ultimi discriminis, patriae ominabantur; magni in principio motus, maioris inter rem gerendam per ingentes populorum clades saeviente belli flamma, quantum Scepusio apud nobilitatem gloriae, tantum Ladislao invidiae conciliavit; per quem unum factum credebant, ut multitudo, captata ex illius cunctatione, et tarditate occasione, praeberet aures improborum hominum ferocioribus consiliis, qui sua sponte imbelles homines, atque innoxios ad studium rerum novarum excitarent, et ad scelerata arma patriae inferenda, cuius caussa, si ulla agnoscerent humana iura, mortem appetere natos homines deceret. Neque regem fallebat, se apud nobilitatem, et aliis multis olim, et uno hoc maxime nomine offendisse, iam ante belli initium monitum a fratre, cui nihil eorum erat obscurum, quae in Ungaria gerebantur, sibi insidias a nonnullis ex principibus parari. Nam et illius studiosi homines, sive adducti officio, sive Scepusii odio, cuius potentiam plus aequo indies crescentem horrebant, principum coitiones fieri, coetus haberi privatis locis, ac perniciose reipublicae consilia agitari, in his de regno illi abrogando, docuerant: cuius rei fidem faciunt Sigismundi fratris ad eum litterae, quae adhuc exstant. Neque

vero illa occulta esse poterant communicata multis; in quibus raro est fides, et constantia, ingenii levitate maior, accedente praesertim regis contempta auctoritate, qui in magnis opibus impar ulciscendis suorum iniuriis, quidquid in illum moliri dicerentur dissimulare cogebatur, neque hoc quidem malo consilio, ne frustra tentanti, quod non erat assecuturus, contumelia accederet ad animi dolorem, malum in rege, et viro principe maius. Hoc vero quasi consulto egisse fortuna videbatur, ut per delatum Ladislao regnum, non secus, atque per iniustum onus impositum imbecillo maior illius infamia, magnitudini muneris succumbentis appareret. Ita cum animi aegrum, amici alia ratione diffiderent se posse consolari: iam pridem inchoatam actionem, et temporum potius varietate interruptam, quam certo omissam consilio de iungenda cum Maximiliano Caesare affinitate, renovare aggrediuntur, fore arbitrati, ut per eam coniunctionem, principum ferocia Ladislai solitudinem, atque orbitatem contemnentium, reprimeretur. Id occulte agi coeptum aliquot antea annis, ut videtur, in scio Sigismundo fratre, ob minime obscuras simultates, quae illi, ut iam dictum est, cum Maximiliano intercedebant. Quae causa Sigismundo fuit fratrem monendi, misso superiore anno Petro Thomicio magni consilii homine, et perspectae fidei ad illum legato, ut ab occultis suorum insidiis caveret, suspicatus, per speciem affinitatis cum Ladislao iungendae, Maximilianum ad Vngariae regnum aspirare; quod quidem videbatur, propter Ladislai iners ingenium, Ludovici aetatem nondum maturam regno, subnixus domestica potentia, et Caroli nepotis viribus, maximorum regnorum potentis, facile in potestate habiturus. Augebat Sigismundi suspicio-

nem antiquus Maximiliani mos, per exterarum gentium connubia, domesticas opes augendi, angustis finibus conscriptas, ni ultra paternae ditionis terminos imperium proferret; qui mos quo pertinacius haereret animo, numquam praesentibus contento, longa fortunae indulgentia effecerat; quae illius spem ultra optata, et vota successu fovisset. Ita meminerat se per Mariae nuptias adeptum longe lateque patens Caroli Burgundi patris imperium.....

*(Itt négy levél hiányzik).*

me ex eorum genere, qui inanibus praedictionibus, regum gratiam aucupantur, fuisse in mora: ex situ siderum praescire se, frustra tum regem ad fratrem iter suscepturum, quo quidem faciendo cum ingenti apparatu indigeret, nihil operae pretii esset relaturus, ut facilitatis, et comitatus regiae esset, non pati diutius suum adventum desiderari, ita non esse dignitatis plus aequo aliorum exspectare; quod quidem, quin esset futurum, haud oporteret dubitare. Licere, nulla cum suae fidei iactura, in longiorem diem profectio- nem differre. Atque haec quidem Michovius; profectio- nis moram facile Sigismundi constantia discussit; cum ita dixisset: cuiusmodi suae profectio- nis eventus esset futurus, qui totus in divinae mentis penetralibus reconditus esset ignorare se; quae suae partes essent, praestanda fide, quam Maximiliano obstrinxisset, quod totum a se esset, et minime posset ignorare non pas- surum a se desiderari. Itaque daturum se operam, ut cuius rei omissae culpam a se praestari oporteret, fidem suam citius etiam omnium spe repraesentaret; eventu toto dei immortalis providentiae permissa, quam vitae, et consiliorum omnium auctorem haberet. Comprobavit casus, Michovii praedictionem; quae

quo facilius imperitos fallat, numquam nisi cum eventus inceptis respondet, notatur; cum multo saepius tamen quae praedicuntur irrita cadant, ita elusa eorum fides, quibus secus evenit, atque expectabant, ut facile suum dedecus alto silentio obrutum exolescere patiantur, certi enim subsecuti nuncii a Maximiliano, ut Ladislao scripserat, regi afferuntur, Mathaeum Gurcensem Cardinalem Viennam praemissum, unde mox esset Posonium iturus, ut illius nomine de communibus rebus cum fratribus regibus colloqueretur. Movit hoc tum multos alios tum Polonos in primis, qui plus aequo in eo detrahi de Sigismundi maiestate contendebant. Iniquam rem videri, cum ipse esset adfuturus, per legatos Maximilianum, quaecumque illi morae caussa esset, colloquium obire. Nam quod ex belli tempore moram praetexeret, nihil esse: bellum enim per legatos geri, ut illi ad caetera munera tum privata, tum publica administranda satis otii superes- set; certe, ne parum videretur tantorum regum maiestatis rationem habuisse, ultro illi fuisse integra adhuc re postulandum, ut per legatos rem agerent, et quidem multo maiore moderationis, atque aequitatis suae laude. Mansit tamen Sigismundus in suscepta sententia, et mathematici vanitatem quantumvis celebris atque illustris nominis, et suorum de se sollicitudinem minime necessariam aspernatus; cum unus esse certum regis munus contenderet, a quo abduci non posset, ubi omnia etiam contra acciderent, atque ipse censeret semel datam fidem, quisquis ille esset, cui obstrictam haberet non violare. Ita VI. Non. Mart. Cracovia proficiscitur, nunciis ad Ladislaum praemissis, qui eum de profectione, et mox de propinquo suo adventu docerent. Verum Ladislaus ex temporis ra-

tione haud dubiam coniecturam secutus, Georgium Brandenburgensem sororis filium, cum Quinqueecclesiensi episcopo, magnae homine dignitatis praemisit, qui fratri ad Tirnaviam occurreret, atque honoris caussa Ponium deducerent, magna nobilitatis parte prosequente. Neque interea minus negotii Ladislao cum principibus fuit, ita a Caesaris, et regum congressu aversis, (ut) undique occasionem omnem, quae dirimendi colloquii esset. captaturi viderentur: quam cum non facile affuturam a Ladislao appareret, Sigismundo fratre, cuius nutu pendere credebatur, eum ad officium revocante, si quando sperarent, id quod multis aliis in rebus vel leviter adnitentibus licuisse se eum in potestate habituros; alia eum via aggredi constituentur spe suscepta ex Gurcensi legatione, qui adventare Viennam diceb(atur) eum ab incepto deterrendi, neque vero principes ignorabant, etiam . . . . . eos Ladislaus celaret, quae summa consiliorum esset, quae quidem, s . . . . . animis, in deteriorem partem trahebant, eo spectare suspicantes, non . . . . . illi quidem coniectura, ut per Caesaris coniunctionem tanti principis, . . . Ladislaus animi fiducia elatus iugum legum, ac regii imperii, quod excep . . . . . cogeret invitos, et detrectantes subire. Neque hoc tamen erat, quod . . Vngari vererentur. Perosi suo ingenio Germanorum gentem, moribus, legibus, institutis a suis diversam, verebantur, ne molli atque inertis (rege) minus suum ius potestatemque agnoscente, ipsi caperent reipublicae, (procurat)ionem, et specioso regis titulo Ladislao contento, ipsi in alieno regno iniustam dominationem exercerent, certe eo duriores, quo magis per regis indulgentiam metus summi imperii expertes diu egissent. Vt vero alia caussa Vnga-

ris dissentientibus a fratribus regibus esset, quam ea, quam prae se ferrent, de qua non necesse habemus quae nostra sit sententia commemorare, eorum tamen in speciem honesta ratio atque e republica vi(debatur,) de cuius salute, ubi etiam plus aequo solliciti essent, ne quantum quidem debita ab his patriae pietas postularet, solliciti esse crederentur. Igitur cum per se apta temporis oratio de hac regum congressione querentium videretur, haud esse tamen e tanti regis maiestate contendebant, extremis agentem regni finibus, parum munito oppido ses . . . ., liberos, universas regni fortunas, certo olim inimico permittere in praesentia amico dubiae fidei, et quem verisimile esset colloqui occasionem ad suum, et regni exitium captare: in rege enim, cum tuta omnia etiam essent, propter personae, et muneris maiestatem qua multorum populorum, et gentium salus inniteretur, omnia timenda. Vnam vero certam rationem haberi tutissimam regnorum (admi)nistrandorum, ut qui iis praecessent, vicinum potentem, male praesertim . . . .atum, crederent tum sibi esse minus infestum, cum apertus hostis neminem falleret; amicum eundem, et quiescentem semper suspectum haberent: . . . non solum, quid eum aequum esset cogitare, sed quousque odium dissimulanti progredi liceret esset cogitandum, ubi id minus vellet, quod aequum esset; qui fere morbus vigeret in imperantium animis, quos raro ulla fides, aut officii religio cuiquam obstringeret, cuius ruina crescere sperarent. Itaque, ut, mutato consilio, indictum Posonium conventum Budam revocaret postulabant, nulla spe tamen regem e sententia revocandi; qui, quantumvis temporis causa dissimularet, non illos moveri reipublicae incommodo, id quod prae se ferrent, ar-

bitrabatur, sed quod ex Maximiliani, et Sigismundi fratris congressu vererentur, ne quid novi consilii ad minuendam paucorum potentiam iniret. Equidem non usque adeo male sentiendum de Vngarorum nobilitate existimo, ut sit credendum, unam hanc satis gravem causam offensionis principibus visam, quam diximus: utrumque enim simul spectare visi sunt, et in republica privatorum incommodum, et in privatorum re incommodum publicum, Germanis rerum in Vngaria potentibus, memores patrum memoria, magna cum utriusque gentis clade eius rei periculum factum, Alberto Caesare ex eadem familia regnum obtinente. Tametsi vero rex tegere quae agerentur, variis nominibus conatus esset: haud dubia tamen fama erat ex Vngaria ad gentes externas perlata plena regia exploratoribus, de contrahenda cum Germanis affinitate agi, cuius superiore conventu, occulte facta mentio ferebatur. Id omnium maxime Scepusii studiosi homines agebant, cuius spei quantum obstaret animo maiora agitantis non ignorabant, ubi Anna iam nubilis desponderetur extero regi, Maximiliano in primis, quem quidem potentiorum, quam publicis rationibus expediret, parum aequum certe semper nobilitati futurum, ubi Ladislao auctor consiliorum esset, veterum controversiarum memorem credebant. Neque ea modo nobiles homines iactabant, sed, ut idem etiam esset multitudinis sensus, ea crebro per clientes inculcando urgendoque efficiebant; quae etiamsi recenti adhuc memoria belli minus animi coaluissent, cum crederent tamen agi communem omnium causam, facile patiebantur se in sententiam traduci, tacito quodam naturae instinctu, lingua, moribus, institutis a Germanis abhorrentes. Magnus vero metus iniiciebatur, ne

tractationi de nuptiis pernicioso consilia reipublicae immiscerentur, et, vivente adhuc Ladislao, et Ludovico filio regni herede, Vngaris, Germanus dominus quo nihil illis posset accidere acerbius, quaereretur quid enim aliud portendere, duas regias Vngarorum, et Germanorum, uno quasi nexu, nuptiarum foedere devinctas, quibus nihil in terris esset disiunctum, aut dissociatum magis, quam certam paratam regno Vngariae pestem? Quem vero posse dubitare, quin, decedente Ladislao, liberorum tutor princeps Maximilianus nominatus, magna etiam cum pietatis laude, esset regni gubernacula aditurus? Quanta id cum Vngarorum infamia, si id permetterent nobilissimae genti iniqua fata, usu venturum? Quod iudicium de his exterarum gentium futurum, ubi percrebresceret, exclusis a regni procuratione Vngaris, hoc est, per vim deturbatis, atque eiectis e patriae sinu, Germanis summam reipublicae permissam, genti, ut nulla alia magis, ab Vngarorum gente aversae? Non hoc iudicatum iri in Germanorum gente spectatam fidem, sapientiam ceteras artes recte administrandi imperii, quae frustra in Vngaris quorum hae certae ac propriae partes haberentur, essent quaesitae? Quid autem certius, quam, si quis casus Ludovicum humanis rebus eripiat sive relinquat superstites liberos, sive minus, manente eodem affinitatis iure, eadem consecutura mala; in his unum Vngaris non ferendum; ut Germanorum superbum imperium velint nolint perferre cogantur? Nondum satis multis cladibus Vngaris iactatis, Ladislao obtinente regnum, hanc quaeri accessionem maiorum, ut quem morem traditum per manus a maioribus incorruptum, inviolatumque per tot saecula retineant, quibus visum sit, legitimis suffragiis regnum



mandandi, ad ius hereditarium transferatur, ut quod omen deus avertat, Maximiliani Carolo nepoti, multorum regnorum haeredi, additamentum fortunae tantum ex maximi, atque opulentissimi regni haereditate quaeratur, quod accidere non possit, nisi plane maiorum legibus atque institutis, armis et violento imperio sublatis, quae sapienter priscis temporibus sancita, et summa semper religione a posteris culta, non patiantur per fortunae temeritatem regnum adiri, quod perspecta virtute multis iustitiae, et sapientiae documentis melioribus aequum sit conciliari. Non nunc primum hoc a Germanis tentari. A Friderico olim Caesare Maximiliani patre, foedus percussum cum Matthia rege atque adeo sapientissimo eodem, et fortissimo rege habito, iis conditionibus, ut, nullis superstitionibus liberis; eo decedente, regni Vngarici iura, ad Friderici heredes pervenirent. Scilicet hoc Ladislao dandum, quod optime olim meritis regibus de Vngaricis rebus, Ludovico Vngarorum, et Polonorum regi, Sigismundo Caesari regi Boemorum atque Vngarorum, ultro et volentes Vngari dedissent, ut imbecillioris sexus heredes, quibus nupsissent, viros evenerent ad regnum. Quibus vero meritis freto Ladislao tantum sibi de Vngaris spondere licuisse? Illudne pro merito haberi oportere, non illum volentem quidem, sed tamen imparem ferendo oneri, quod maius suis viribus sustineret, everterit regnum? Aliis in rebus tuto posse homines connivere, in quibus unius, aut alterius vertatur salus: in iis quae ad summam reipublicae pertineant, peccari sine multorum maleficio, et iniuria non posse. Pro peccato voluntario gravissimoque adeo habendum; ubi quis conscius suae imbecillitatis subeat onus, sub quo intelligat sese cum

multorum exitio ruiturum. Atque haec quidem Vngari, quae quamquam pervenirent ad regis aures, perseveravit tamen Posonium ire, semel tuendo suo iure, cum liberorum ratio constantiam in magno rerum momento postularet, rex visus. Itaque prior Buda profectus, Posonium venit XV. Kalendas Aprilis, cum iam Gurgensis praemissus a Caesare VII. Kal. Martias Vienneam esset ingressus. Inde Sigismundus Tirnavia, qua illi Brandeburgensis sororis filius, ut dictum est occurrerat, IX. Kal. Aprilis Posonium movit, equitum mille quingentis sequentibus, partim Vngarico, partim Germanico ornatu egregie instructis. Accedebant Poloni equites multi e praecipua nobilitate, tum Rutheni, Borussi, et qui quasi testes Polonorum victoriae de Barbaro hoste conspicerentur, Scythae, et Moschi, barbarico ornatu regem victorem, qui instar celebrem triumphum agentis incedebat, ordine praeceuntes. Certatum inter duos fratres omni genere officii, cum nihil sibi reliqui ad summam humanitatem fecissent; inter Polonos et Vngaros pompae magnificentia et celebritate, etiamsi in eo minime facilem aemulationem laudis, domesticae cladis Vngaris efficiebant, florentibus tum maxime Polonorum rebus, ob res a Sigismundo rege, domi forisque praeclare gestas. Processit fratri obviam Ladislaus altero ab urbe milliari quem cum propius adventare audisset, iussis suis se e rheda in regia sella collocari, excepit, insigni significatione amoris cum aliquantisper haesisset in complexu, quae illius mollitia erat, lacrymis effusis, quae diuturni desiderii significationem non obscuram haberent. Inde Sigismundus, ad laevum eius latus Ludovico puero succedente, (Ladislaus enim aetate gravis rheda vehebatur) Posonium eques invehitur, praeceuntes

bus e praecipua nobilitate multis, quorum qui dignitate excellabant honoris caussa regem sequebantur, in his insignis fidei, et sapientiae laude, Matthias Drevecius, qui trium regum Cancellarius, quae magna dignitas est in Poloniae regno, Alberti, Alexandri, Sigismundi, tum Vratislaviensis, postremo Gnesnensis Archiepiscopus a Sigismundo est creatus. Quanta haec pompa fuerit illud indicio est, praeter equitum ingentem numerum, ad quingentos nobilium currus, qui quattuor equis agerentur numeratos cum a quarta ante meridiem hora, ingredi coepissent, vix ad primam pomeridianam rem peractam. Sub regum adventum Thomas cardinalis Strigoniensis princeps senatus, atque eiusdem ordinis alii, quorum erat maior apud Ladislaum auctoritas, urbem ingressi, quod de Maximiliani adventu nihil adhuc certi afferebatur, ut ea mora ex usu reipublicae et fratrum regum esset, de communibus rebus, quae tum ad Vngariae, et Boemiae regnum, tum ad Polonos pertinebant, summa animorum concordia egerunt. Multa de quibus disceptandum esset fuisse dubii, et controversi iuris verisimile est, cum Poloni, tum Boemorum fines, tum Germanorum, et Vngarorum attingant, quorum tuendorum caussa, saepe in aliena iura migrant, novis semper controversiis exorientibus, quibus finiendis raro accidit, ut de eo quod quis partum habet, sive id iure, sive iniuria, non sit aliquid remittendum. Qua ex re fit, ut raro otium, et pacem colant; nonnumquam efficiant pertinacius suum ius tuendo, ut e privata caussa, publica facta, cum alia desit disceptandi ratio, sit veniendum ad arma. Auget vero hoc incommodum multitudini insitum in eos odium, a quibus, ut moribus, et vitae rationibus, sic animis et studiis dissident, ubi a suis commodis discedant nul

lam amoris, atque odii caussam aliam agnoscentes: Itaque qui ea impugnant, oderunt, quacumque caussa adducti id sibi agendum statuunt; qui promovent, audent, tuentur, amant, etiam si palam illos improbos, et nefarios. Accedit aliud malum, et quod cuique expediat maxime suorum caussa vitare, magna scelerum impunitas, cum improbis hominibus, ubi pedem proferant patrio solo, e propinquo-loco admissio facinore pateat ad salutem receptus; ut propter hanc scelerum impunitatem locus proverbio cesserit, raro populis, qui regionum, et civitatum fines incolant, quae diversi iuris, et ditionis sint, esse sancta humanitatis, atque hospitalitatis iura. Quo minus vero tum de communibus controversiis, Ungari armis cum Polonis disceptarent, a quibus alioqui aegre essent temperaturi, occurrebant communi consilio reges fratres, per quorum auctoritatem optime inter se consentientium, si quid existeret inter privatos controversi iuris, a vi et armis, ad iuris aequabilitatem, qui de eo dissiderent, revocabantur. Itaque eius rei caussa, id quod necesse erat, agebantur crebri populorum conventus, quibus regii magistratus, et publicas, et privatas controversias, pro sua aequitate, et maiestate, regum, minuiebant. Intercedebant vero inter Polonos, et Vratislavienses haud ignobiles simultates, iam inde ab anno MDXI. quas vix ulla spes esset regum auctoritate posse tolli. Impetraverat enim a Ladislao Vratislaviensis senatus, ut celebre emporium, quod maiorum memoria, Vratislaviae a vicinis populis frequentabatur, et sensim incuria, ut fit, in desuetudinem abierat, instauraretur, magna Polonorum et Sigismundi offensione, de quorum commodis plurimum, per eam rationem, detrahebatur: perpauci enim commercii caussa, Poloniae mercatus,

nundinasque obibant, quam quidem quasi claustris cinctam undique hinc Silesiae, hinc Boemiae, et Vngariae finibus, quae Ladislai imperio parebant, non poterant exteri homines, neque curabant adeo adire, cum propioribus locis, commodiori itinere, et facilio-ribus vecturis, forum, ubi sua distraherent, coemerent, quae importarent ad suos, pateret. Quod quidem accidebat gravi provincialium incommodo, tum quod minus ad eos quibus indigerent importarentur; tum quod iis deessent, quibus privatos fructus divenderent, assueti cultura agrorum, et perpetuis arationibus victum tueri; postremo quod regni portoria, ob exterorum infrequentiam, insigni regii aerarii iactura minuebantur. Quod potuit Sigismundus, suos vetuit forum illud obire; quo minus ultra progrediretur suorum dolore ulciscendo, fraterna caritate impediente, cum, ut maxime Ladislai indulgentiam accusaret, plus aequo per exterorum iniuriam suis morigerantis; minime tamen vindicandam armis censeret: sperabat enim per colloquii opportunitatem, quidquid controversiae, ob eam caussam, ortum esset, sublatum iri. Tenuit tamen, frementibus et frementibus Polonis, Vratislaviense emporium aliquot annos, quousque Ladislaus, urgente Sigismundo, qui diutius suorum precibus resistere haud posset, pertinaci studio id poscentium, in fratris gratiam novo edicto tollendum, abrogandumque curavit. Interea Maximilianus, cum veritus regum offensionem, meliore consilio, potestatem sui facere ad colloquium constituisset, quod longius sua spe, et regum expectatione dilatatum iri intelligeret, novis semper caussis suborientibus, quae properanti maiorem iniicerent moram, in primis animo angebatur. Neque tamen facile erat, quae vera tam diuturnae morae caussa esset,

divinare: sive enim minus mature adesse liceret belli occupationibus impedito; sive consulto traheret moram, quo diutius expectatus gratior adventus esset; sive spatium quaereret ad ea comparanda, quae excipiendorum regum causa maiora hominum expectatione agitabat, vix potuit eam ipsam regum offensionem vitare; res quidem ipsa docuit, veram fuisse cunctationis causam, quae ab ingenio manaret; cui cum plus aequo indulgeret, nactus occasionem animo morigerandi, cuius erant vasti, atque immoderati fines, ita excipere tantos hospites constituerat, ut ad apparatus magnificentiam longiore temporis spatio opus esset. Accedebat, et illa causa, quod speraret, per hanc rationem fore, ut sua comitate liberalitateque Ladislao, et Sigismundo delinitis, aequioribus in conditionibus ferendis de iis quae in controversiam venerant, uteretur. Id vero, ut, quemadmodum vellet, succederet, cum studio, curaque attentiore, tum productiore die indigebat, quae moram, cunctationemque suspicantibus regibus fratribus tergiversationem esse a colloquio refugientis, invisam reddebat, metu saepe fallaci interprete, ubi rerum verae causae latent, ad deteriora animos trahente. Itaque, ut eos ab omni suspicione averteret, Gurcensis Cardinalis, cui erat Maximiliani sententia explorata, missis ad Ladislaum, iam antequam Buda moveret, qui simul excusarent Caesaris moram, et simul de suo adventu docerent, Vienne VII. Kal. Martii erat profectus. Mox cum audisset, utrumque regem Posonium convenisse: V. Kal. Aprilis Vienna profectus, secundo flumine Posonium soluit sexcentorum equitum conitatu septus, qui terra iter habebant, praeter ingentem currum numerum qui Cardinalem plus aequo suo ingenio tumidum, et Caesaris lega-

tum, honoris ergo sequebantur. Neque est statim in urbem ingressus. Inclinato iam in vesperam die, Posonium navi appulsa, cum celebrem adventus sui pompam, et populi frequentia, et regum occursum speraret futuram, in urbem, quae eum spes minime fefellit: Ludovicus enim, et patris regis nomine, et suo a deo medius inter Episcopum Colocensem, et Georgium Comitem Frangipanem Cancellarium regni, magno cum honore, ac multitudinis plausu adveniendi occurrit, atque oratione luculenta exceptum ad hospitium deduxit. Non est operae pretium, quae quotidie sint inter reges, et Gurcensem gesta, percensere, quo animi legentium spectant ad rerum summam properanti; illud quidem minime praetereundum, quod argumento esse possit, intentissima cura omnia acta, cum in magna eorum frequentia, qui interesse regis consilio consuevissent, non facile esset, ob sententiarum et studiorum varietatem, quidquam certi de iis rebus constituere, quae in disceptationem venirent; convenisse, ut Gurcensi, quattuor delecti e senatorum numero praesto adessent, Ioannes Meraxius Caesaris consiliarius, Laurentius Saurerus, Gabriel Vogtius, et Cuspinianus, qui quae singulis quibusque diebus agerentur in ephemeridem referrent, eo consilio, ut Caesari antequam Oeniponto moveret, mitterentur. Ladislai nomine Thomas Cardinalis, et duo episcopi Colocensis, et Quinqueecclesiensis: Sigismundi, Petrus Thomiczus episcopus Premisliensis, Christophorus Schidlovicius regni Cancellarius, et Nicolaus Palatinus Vlnensis. Per hos cum de aliis rebus, tum de affinitatis conditionibus actum, cuius rei causa potissimum reges convenerant callido consilio, ut creditum est, Maximiliano absente; ut si quid esset, qua de re minus conveniret, minore cum vere

cundia; contentione animi maiore, per alienam personam suum ius tueretur, solitus facile de suo iure decedere, et obsecundare ingenio, ubi suscepta contentione de rebus etiam gravissimis, victo esset magnificentiae speranda laus. Per aliquot dies cum res, quamquam attentiore cura acta, variantibus sententiis, non facile perduci ad exitum posset: varii generis edita spectacula, et equestres ludi: quibus morae taedio fessi regum animi levarentur. In his institutus nobilium equorum cursus, quibus Georgius Scepusii frater magnae spei, atque indolis adolescens victor palmam tulit. Sed omnium oculos Moschus novo spectaculi genere in se convertit. Insidens Thracio equo ducebat alterum manu, ita utriusque aut adductis aut laxatis habenis, quemadmodum cursus ratio postulabat, qui quam concitatissimus erat, ut ex uno in alterum, crebra vicissitudine, in medio cursu insiliret, rei miraculo stupentibus omnibus. Neque inter ea tamen quidquam de pristina diligentia remissum, quo semel incepta actio sublatis controversiis omnibus perageretur. Ita, cum, post longam disceptationem de affinitate in certas condiciones convenisset: placuit de regum sententia, ut eae ad Caesarem Augustam Vindelicorum, ubi tum substiterat, perferrentur: quas si probaret, id quod futurum sperabant, iam nihil subesse causae crederent, cur ulterius suum adventum differret. Ita pridie Idus Aprilis Gurcensis, id unum votis omnibus, regibus exposcentibus, Viennam rediit, spe certa confirmatis animis, Caesarem propediem affuturum: simul ad eum mittit certos nuncios, Augustae de his, quae acta essent operientem, Guilelmum Regendorfium, et Laurentium Saurerum magni consilii, et virtutis homines, qui eum docerent quando iam esset dei be-



neficio ex sententia de aliis rebus omnibus transactum, unius Caesaris adventum qui illas, ut convenerat, ratas haberet, fratres reges opperiri, quos diutius frustrari sua spe, neque eorum dignitas, neque Caesaris constantia adeo pateretur, cum illius fidem secuti, magno reipublicae incommodo, Sigismundus maxime, Posenium venissent. Perturbavit reges iam per se nimium anxios de Maximiliani in se animo tristis per eos dies quibus haec agebantur subsecutus casus; cum apud captos superstitione animos facile in omen vertisset: Nondum enim Cardinali Posenio profecto, Bartholomaeus Minsterburgensis a Caesare ad reges orator missus, cum, secundo flumine Vienna Posenium navi veheretur, annis vorticibus contorta, ac retro acta navi, fluctibus obrutus interierat. Quo quidem casu, ut vehementius quam par est commoverentur, alius hunc statim secutus effecit aequae tristis, et funestae memoriae in omnem posteritatem, si quis, imbuto prava superstitione animo quae tum acciderunt ad ea referat, quae aliquot post ea annis, regnum poscente Ferdinando, Joanne tuente armis ab Vngaris delatum, accidere: qua de re quid sit statuendum ii viderint, quibus non satis est plecti praesentibus malis, nisi impendentium metu ex vanis mathematicorum praedictionibus prudentes, et volentes torqueantur; quorum cum dubius eventus sit, et ad multo reconditiores causas, quam ad eas quas nobis fingimus referendus, certo ex his sensu atque animi angore affici, extremae dementiae est: eodem enim fere tempore, quo haec, ut diximus, ita administrabantur, tetro incendio Posenii exorto, cum late conceptam flammam venti vis distulisset, magna urbis pars, atque in ea Ladislai regia hominum sedulitatem, atque industriam vi incendii

superante, ad solum usque conflagravit. Sigismundi domum, quo minus absumeret foedum in modum saeviens flamma, sedula opera suorum, et studium, cum a principio statim accurrissent, perfecit. Iidem magno fuisse usui oppidanis ad restigendum incendium dicuntur, cum ipsi suo ingenio impigri, atque acres, tum ad huiusmodi casus maxime exercitati in Polonia, praeterquam in paucis admodum urbibus, aedificiis fere ex temere congesta materia instructis, quae abunde incolis suppetit ob crebros saltus, et campis interiectas siluas, quas quidem feracitate soli, et clementia coeli succrescentes, ne ad hunc diem quidem hominum solertia his exscindendis, et ad culturam agrorum subigendis laborantium potuit vincere: ut incendiis urbes opportunae vix per nocturnos vigiles tutae a tanto incommodo servari queant. Accidit hoc pridie calendas Maias ad ceteras curas futurum magnae accessionis loco regibus per se plus aequo sollicitis; cum prava opinione proclives sua sponte in errorem impellente, certum eventum malorum portendere credidissent, quod casus, atque hominum incuria invexisset. Reversi a Caesare legati, ut Gurcensis Posonium rediret effecerunt, cum regibus retulissent, in his, quae acta essent, quaedam minus Caesari probari. Ita post aliquot dierum colloquia, accuratius exquisitis sententiis XI. kal. Iunias tandem et de his transactum; cum regum signis, manuque obsignata, et de more, magna cum omnium approbatione in consilio perlecta essent. Postridie eius diei apud Ladislaum magnificentissimo apparatu instructum convivium concelebratum est, cum, praeter reges, Gurcensis Cardinalis, et sex Caesaris consilarii primae dignitatis homines accubuissent, ingenti omnium laetitia.

Inde placuit mitti a regibus tam longa mora haud dubie offensis, communi nomine ad Caesarem oratores, tum illius honoris gratia, tum ut de adventu urgerent: qui quo minus ultra ab iis desiderari posset, effecissent adversi allati nuncii ex Vngaria, regio haud procul Tauruno nobili urbe, ad Danubii et Savi confluentem sita, quam Nandoralbam Vngari, nostri Belgradum appellant, Scepusio duce insigni clade a Turca victos et castris exutos, tum una cum tormentis atque impedimentis omnibus, Cernovicium arcem praemunitam venisse in victoris potestatem. Movit haec legatio Caesarem, ut sui officii esse duceret, quantumvis graves caussae subessent, quae properantem morarentur, aliquando regum desiderio occurrere; haud ignarus, quanti sua interesset, quae per alios acta accepisset, se praesente, confirmari. Nam reges instare, urgereque de adventu non desistebant, ad priorem legationem alia decreta, qua Hieronymus Balbus functus, vir cum primis disertus, et acerrimi ingenii, Caesarem quem Oeniponti adierat, maiorem in modum movisse dicitur, ut aliquando vere statueret tantorum regum maiestatis habere rationem, quam illi minime vilem esse crederent, certe crederent minime esse debere. Nam etiam si de illius fide, et constantia non dubitarent, dandam tamen operam existimabant, ne quod esset temporis, esse aut voluntatis, aut ingenii suspicarentur, quorum utrumque illi esset omni ratione deprecandum. Nam, si minus duceret dignos (quod tamen ut suspicarentur, vix possent inducere animum) quibuscum congregaretur, at minime indignos statueret, quibus quae esset sua de ea re sententia, litteris nunciisque, cuius rei illi non deesset facultas, significaret. Quae quamquam Balbus satis acriter, accurateque egisset; distulit ta-

men Caesar responsum, in aliquot dies, ut videtur, regibus subiratus, qui visi essent, non sine sua magna invidia suam fidem in dubium vocare. Neque in eo tamen eorum constitit sollicitudo. Nam, et alius ab his missus orator, Protesislaus Scemihaus Boemus, quem Maximilianus iussit secum ad suum adventum manere; et mox Nicolaus Siculus Vngarus eques, et cum eo eiusdem ordinis Petrus Polonus; quos comiter, humaniterque acceptos dimisit, datis ad reges litteris, quibus se, posthabitis rebus omnibus, quantumvis illis magni momenti, Posonii citius omnium spe, atque exspectatione affuturum spondebat. Inde omni reiecta cura, quae adeo necessariam profectionem moraretur, accelerato itinere VI. Idus Iunias Viennam pervenit praemis ad reges nunciis, qui eos iam de discessu cogitantes de suo adventu docerent. Quo illi nuncio accepto, quam honorificentissimam ad illum legationem decernunt, delectis ex principibus magnae estimationis hominibus, et praecipuae nobilitatis, qui illi adventum gratularentur, laeti constantiae sibi, et moderationis fructum quem optaverant, quam speraverant magis constare. Inde missi a Ladislao Quinqueecclesiensis episcopus, Ladislaus Boemiae Cancellarius, et Moses Buslarius summus aulae praefectus; a Sigismundo episcopus Posnaniensis, Lucas Poloniae regni praefectus, Christophorus Schidlovicius Cancellarius, quos equites quingenti egregie instructi ad regiam pompam magnificentiamque sequebantur. Hinc remissis ad regem legatis, ipse Idibus Iul. Vienna proficiscitur stipatus ingenti equitum, et peditum manu, cum nemo in magno numero haberetur, quem non aut usignis nobilitas, aut honestior militiae ordo commendaret: simul Ioannem Cuspinianum cum mandatis

ad reges ire, et cum his de loco, ubi congregari placeret, deque ceteris rebus, quae ad colloquii summam pertinerent agere diligenter iubet. Per eundem, ne quid esset in congressu, qua in re, aut nimium reges ambitiose agendo de suo iure decederent; aut offenderent nimium sui iuris memores, quid et qua ratione placeret agi, ubi ventum in congressum esset, constituitur. Ita autem convenit, sive equo vehi, sive rheda, lecticae mallet, non Caesar, non reges salutandi causa equo, rheda, lectica descenderent, et amicitiae munere, amabili aequabilitate et plane vacuo ambitione animo, stantes suo loco fungerentur. Ita visum iri, humanitatis simul, et dignitatis tum fratrum regum, tum Maximiliani habitam rationem. Id quidem a Maximiliano consulto excogitatum ad moderationis, et temperantiae laudem captandam, paullo post apparuit. Locus, de gentis more, qua fines utriusque ditionis arbor dirimebat, congressui delectus. Quae quamquam magna concordia animorum ita essent acta; cum Sigismundus Hamburgo una cum liberis, Ladislaus eodem tempore Bruggo movisset: Caesar contra, atque convenisset, alligari nullis conditionibus animi magnitudinem suam passus, simulatque eo accessit lectica delatus, descendit, quaesita comitatus, et moderationis tanto maiore laude, quanto superior muneris, et personae maiestate haberetur. Certatum equestri pompa, et splendore comitatus inter Germanos, Vngaros, Polonos tres nobilissimas gentes, ut numquam antea magis ad summae aemulationem laudis incensis studiis. Germanis pro gentis ingenio, et maiorum gloria, cura omnis in cultu armorum, quae animi magnitudinis, fortitudinis decus ostentarent ita corpora militiae laboribus durare assuetis: ut ubi arma niterent, quod

alibi a nobis demonstratum est, reliquum cultum, qui, praeter necessarium usum, parum virilem ornatum, unam modo divitiarum ostentationem haberent, aspernarentur: id enim iis persuasum est, per huius unius rei studium flecti ad mollitiam animos, atque enervari vires, quas quidem, ubi rei militaris ratio postulet, quam unam artem nobilitas novit, in gerenda re, fatisce, et relanguescere existiment. Aliarum gentium, ut varii mores, atque instituta, ita haud dissimilis ornatus: in quibus Vngari Polonique excellabant; cum quidquid auri, gemmarum, purpurae, peregrinae vestis apud eos reconditum esset, tamquam in eius unius diei celebritatem, et pompam paratum protulissent. Cum vero omni alio genere magnificentiae, et splendoris, tum equorum ornatu in primis ceteris anteibant, quos stratos auro gemmisque, quasi eductos in pompae certamen, aemuli peregrinae laudis ostentabant: utriusque enim gentis cum equestris rei cura, et studium par, tum minime varium iudicium genere equorum probando, quos e Thracia fere, ut moroso, atque anxio delectu, sic sumptu ingenti quae-sitos haud malam rationem secuti, omnibus praeferunt, levi armaturae aptiores in pugnando homines, quod militiae genus generosae indolis equos, atque eximiae pernicitatis ad cursum requirit, qua laude Thracii equi ceteris fere antecellere creduntur, assueti tenui pabulo contenti magno ferendo labori. Nam gravis armaturae usum nullum noverunt, rei minime necessariae iis, qui virium robur a virtute, et magnitudine animi, non ab armorum onere petunt, quo viri fortes, ut ipsi contendunt, non indigent; inertes, et diffidentes domesticae virtuti obruuntur. Vbi in complexum ventum est, Caesar bene rebus ominatus, cum

non pateretur prius ulla de re mentionem fieri, utrumque regem per Gurcensem rogat, quod iis posterisque felix faustumque sit, suisque, animum inducant colloquium indictum Posonium, et coeptum iam adeo Viennae peragere, atque apud se in regiam divertere: hoc sibi, et in praesentia perhonorificum, et magnificentissimum ad posteritatem futurum de sua fide, et constantia tantos reges iudicium dignum sua virtute, et magnitudine animi fecisse, et ad comparandam sibi apud omnes gentes comitatis, et moderationis laudem peropportunum. Visa regibus invitatio Caesare digna, et cuius altitudo animi maiestatem imperii aequaret. Itaque, quamquam principibus Vngaris spatium ad deliberandum sumentibus, sive illi recte censerent, in minime necessaria re, non esse trium regum salutem alienae fidei permittendam; sive insito in Germanos odio insignem magnificentiae laudem Maximiliano inviderent, quae illum minime dubia apud nationes omnes, et gentes manebat: Sigismundus, quidquid morae iniiceretur id totum de sua laude, et de Maximiliani in se animo detractum iri arbitratus, (non enim erat dubitandum, quin magna cum illius offensione eius fides revocari in dubium videretur) simul veritus, ne aequitatis, facilitatisque suae famam, quam minime sibi praereptam vellet, cunctatio, et mora corrumpere: Enimvero, inquit, nihil sibi caussae videri subesse, cur non aequae illius fidei vitam, fortunas, salutem permitterent, cuius affinitatem, et sibi, et posteris futuram honestissimam maturo consilio, maximorum in Europa regum praeoptassent. Iret secum frater deo immortalis bene iuvante, et quando referre primam laudem non licuisset, ut in munere hospitalitatis fungendo non au-

teverterent, agnoscenda Caesaris facilitate darent operam, ut quae proxima laus esset, discerent ab eo qui vere nosset, quod regum munus haberetur, reges esse. Vbi contentio de officii laude susciperetur, quibus non liceret referre primas, quas sibi maior virtus vindicaret, eos haud turpiter secundas petere; quae eorum laus esset, qui meliora docentibus inducere(n)t animum parere. Praeclare vero secum agi, qui ei se crederent cuius esset multo maius futurum dedecus violanda fide, si hoc modo de Maximiliano esset statuendum, quam eorum, in quos violata esset, incommodum, et detrimentum: ita enim posse reges tolli, ut manerent regna, atque illa adeo neque facile, neque temere innitenti malis artibus invadenda; in eo qui fidem violasset, manere etiam vita defunctum, in multa saecula infamiae, et dedecoris aeternam labem. Ita Viennam, assentiente Ladislao fratri vera dicenti, itum triumphali pompa, quasi e suis sedibus convulsa civitate, magna frequentia, et celebritate omnium ordinum obviam egressa: certe ita video inter omnes convenire, nullum unquam clariorem diem Viennensium Civitati, quantum memoria repetere grandes natu homines possent, ad eum diem illuxisse. Non est operae, neque si esset, nostrum consilium est, diu morari iis describendis, quae, deducente reges in hospitium Caesare, ad domesticam magnificentiam ostentandam sunt excogitata: et quod ab aliis, litteris prodita leguntur, et quod statuimus aliena a scriptoris gravitate, qui paucorum iudicio servit, multorum non temere indulget, cum gravius illi in scribendo munus propositum sit. Dati perpauci dies exhilarandis, relaxandisque animis, quos anxios curis Maximilianus dubii eventus exspectatione, distinuerat. Hinc XIV.



kal. Sextil. Caesar principibus ascitis, quorum fidei arcana consilia credebantur, brevi oratione fratres reges allocutus: accidisse vero, inquit, praeter animi sui sententiam insigni fortunae iniuria, ut, quod unum semper maximum in votis habuisset, non licuisset per occupationes suas gravissimas, de quibus non esset consilium pluribus agere, cum ea neminem fugerent, hominum spe, atque opinione maturius, amicissimis regibus adventus sui diem repraesentere. Difficile quidem dictu, molestiusne hoc sibi acciderit, cui solida voluptas, ex officii accelerati laude esset speranda, an iis ipsis, quibus ea mora minime illa quidem ex eorum temporis ratione, gravis, et molesta fuisset: certe in eo suam conditionem esse deteriolem, quod, et suum dolorem simul, et amicissimorum regum doluerit, quos gravissima incommoda perpessos diuturnae morae taedio, non ignoraret, atque id quod minime voluisset adeo sua causa: ex qua molestia sua tanta uberem se tamen fructum consecutum esse, ut, quod sibi de eorum in se benevolentia pollicitus esset, minime se eo intelligeret falsum fuisse, id quod totum eorum aequitati facilitatique sibi intelligeret acceptum referendum. Quae de foedere, et pace sancienda, acta audisset, eo censere sibi magis rata habenda, quo magis intelligeret, cum ea esse Christianae reipublicae salutem, otium, et securitatem coniunctam, a qua numquam, pro sua religione, et pietate separata consilia habuisset. Ita vigere Christiani nominis hostem regum discordiis, discidiis populorum, ut nihil sibi certius esset, quam illum, ubi vere coire eodem consensu in sacri belli expeditionem vellent, per eorundem coniunctionem, deiectum sublatumque iri. Eo quidem semper sua consilia omnia spectasse, cuius rei testem

deum immortalem, quem eundem haberet auctorem rerum omnium, ut coniunctis viribus, cum ceteris Christianis regibus, in Turcam hostem salutari expeditione suscepta se duce, atque imperatore arma converterentur: quae sinistro reipublicae fato inter se Christiani populi exercerent; ut ab eorum commemoratione abstineret, in quorum improba cupiditate, Christianae reipublicae summam moderantium, tanti incommodi culpa resideret. Ita semper se cupidum fuisse verae laudis, ut eam certam, et solidam sibi sperandam statueret, unde materia suppeditaretur ad orbem terrarum importuna barbarorum dominatione liberandum. Quo minus id licuerit volenti, Gallorum olim bella gravissima sibi partim a Ludovico Vndecimo illata, partim a Carolo VIII. eius filio, impedimento fuisse: quorum quam insignes iniuriae, quamque acerbae, atque graves in se domumque suam existissent, qui ignorarent, ii simul ignorare se quoque ipsi viderentur. Quod reliquum esset, rogare obstarique adeo si id modo a se fieri pro sua fide, et constantia paterentur, quod paullo ante omnis causa praefatus esset, darent operam, ea meditando, quae digna maiestate summorum regum haberentur, ut quo vinculo amicitiae, atque affinitatis tres reges in terris maximi essent iuncti, eodem Christiana respublica adversus Turcam hostem perpetuum devincta staret. Ac quando tum a romano pontifice, tum a ceteris fere Christianis regibus, et liberis populis, legati viri amplissimi in eo conventu adessent, censere eos etiam atque etiam orandos, darent operam, ut positis armis dissidiisque omnibus, et controversiis sublatis, in eam se traduci sententiam paterentur, in quam sententiam propendere animadverterent trium

regum inter se consentientium animos, quorum virtute, consilio, copiis Christiana respublica inniteretur. Effecturum se quidem, ut, quod illis verbo sponderet, non suae, non suorum salutis, non vitae memor, quam naturae deberet, et necessario aut domi in otio, aut foris in acie defungendam sibi intelligeret, sed personae, et muneris, quod sacrosanctum, atque augustum, dei immortalis providentia, ut credere fas esset, in terris gereret, consilio, auctoritate administranda re, manu in hostem pugnando praestaret. Dei beneficio esse in sua ditione, atque imperio, Christiani orbis magnam, et luculentam partem bellicossimas nationes, Germanos, Belgas, Italos, Hispanos, Galliae populos nobilissimos, et fortissimos; ut si optimae caussae accederent ceterorum regum, et populorum coniunctae vires, minime esset dubitandum, quin ubi tantis copiis tot praesidiis Christi caussa munita esset sua sponte firmissima, illic quoque esset victoria futura. Cum ita Caesar perorasset: cetera, quorum caussa convenissent, uti acta per suos legatos primum, et mox se praesente essent, in easdem leges percusso foedere, se rata habere, confirmareque dixit, atque adeo, ut nihil adderet, tolleret, mutaret. Ita XI. Kal. hinc Caesar ornatus imperii insignibus, illinc Ladislaus medius inter Ludovicum filium, et Annam mox, ut credebatur, Caesari nupturam, sequente Sigismundo cum regio Polonorum comitatu, ad Stephani, quae est in urbe omnium aedes magnificentissima facta populo ingrediendi potestate convenere: cuius frequentiam, cum satis per se magna sit semper quippe urbis peropulentae, et opportuna in primis ad commercium exterarum gentium, ingens hominum multitudo augebat, qui permulti non solum e vicinis urbi-

bus, sed e longinquis etiam - regionibus spectaculi caussa confluxerant. Attollebatur in superiore parte templi per aliquot gradus, suggestus peramplus, atque in omnes partes aperto prospectu, ut quae agerentur a populo spectari commodius possent. In eum Caesar, de more, sacris peractis conscendit, duobus regibus eum medium accipientibus : mox Strigoniensi Cardinali verba praeunte, Annam Ladislai destinatam adhuc incerto viro, (Maximiliano enim adhuc in integro res erat, utrum sibi illam mallet an uni ex nepotibus nubere) sanctissimo iureiurando patri patruoque obstricta fide, datam in manum accipit, et simul ornata corona aurea reginam salutatur. Atque hoc loco non est praetereundum Maximiliani cum ea de re ageretur, scite, et venuste dictum : cum non deessent, qui illi essent auctores, ut viginti adhuc aetate, et firmo constitutionis robore, quamquam grandis natu, egregia atque eximia forma puellam duceret: se vero a parente principe sapientissimo accepisse, cum de re haud dissimili esset mentio orta : Seni iunctam puellam, dulcem quidem, et suavem potionem haberi, sed eandem dilutam veneno : per brevem voluptatem, quae pararetur vitae iactura prudenti homini, et sui potenti magno cum dedecore quaeri, non magna cum laude contemni. Aliud Vngaris traditur, qui iis agendis interesse potuerunt, haud alienum a Maximiliani ingenio: cum illi data nuptiarum optio esset, Annae puellae amore captum noctem ad deliberandum sumpsisse, quam cum animo versaret, quanta cum brevi voluptate esset coniuncta dignitatis iactura, ubi percrebresceret intempestivo amori senem indulxisse, anxium curis insomnem traduxisse : recens exemplum Ludovici regis Gallorum effecisse, ut sau-

ciam amore animum haberet in potestate, qui ingravescenti aetate, Henrici Anglorum regis Mariam sororem, uxorem duxerat, puellam vix maturam viro, et forma excellenti : cuius magis, quam valetudinis memor, cum ea ipsa vitam simul, regnumque amiserat. De duobus, utri magis Annam nubere expediret, Carolo, an Ferdinando, aliquamdiu aiunt consultationem tenuisse. Atque e Germanis quidem pluribus desponderi Carolo placebat, praesertim cum Ferdinandi proclivior animus ad pacis artes, sacra et religionem spectare crederetur, caste a primis annis in Hispania, ad interiorem cultum Christianae pietatis institutus. Quae quamquam ita essent; ut tamen Carolo Ferdinandus praeferretur, effecisse adversa Vngarorum studia, recusantium Carolum tot regnorum potentem, et certa spe imminentem Germanorum imperio, Vngarici regni successorem; id quod moliri animo Maximilianum, si quis casus Ludovicum de medio tolleret, suspicabantur. Mox eadem ceremonia Maria puella Ludovico nupsit, et regina appellata est, parum laetis Vngarorum auspiciis, haud multo melioribus suis. Quibus ita administratis, V. kalendas sextilis foedus in eas leges ictum, et publice populo per Cuspinianum perlectum est, nonnullis suppressis, quae fugere multitudinem vellent, cuius ea cognoscere parvi interesset: quae inter magnos reges acta, ut nihil commodi, sic nihil damni, aut detrimenti cuiquam magis, aut minus perspecta afferrent. Ita a Caesare fratres reges digressi, in Pannoniam alter, alter in Poloniam rediit, uterque quidem ita animo affectus, ut existimaret non solum affinitatem cum Maximiliano, verum etiam per eam, amicitiam solidam, perpetuamque iunctam : id ita esse dies declaravit : ictum enim foedus

inter utramque regiam quamdiu fata tulerunt, ne mors quidem, quae alia omnia dirimit, violare frangereve potuit: posterius quidem aemulati eorum laudem pari constantia religioneque sancte coluerunt. Fuit hic regum congressus Maximiliano magno honori apud exterarum gentes, longe lateque fama eorum, quae acta Viennae essent ex Austria et Germaniae finibus egressa. Atque inerant quidem Maximiliano a natura insitae virtutes fere omnes, quae in summo rege sunt conspiciendae, animus augusto honori par, peracere ingenium, et supra fortunam suam sese efferens, quam indulgentissimam semper esset expertus; ut neque praesentia explerent animum poscentem semper maiora iis, quae parta haberet; et, ubi liceret iis potiri in quibus esset acquiescendum, iis quasi illecebra, ad ea concupiscenda, a quorum spe longe abesset, incenderetur, unus non aliis modo, sed, si mos esset ingenio gerendus, se ipse etiam maior. Idem omnium prodigus, quae aut fortuna, aut industria hominibus largitur, unius laudis, et gloriae tenax ad invidiam usque, cuius studio cum haud raro spe longius progredere, et nullos haberet cupiditati praescriptos fines; nihil erat quod impleteret plus aequo cupiditate, atque ambitione elatum; in omni fortunae varietate, sive illi secunda adspiraret, sive reflaret adversa eundem animum gerentem. Ita illius cupiditatem, ne ea quidem fortuna aequavit, qua nulla habetur in terris maior. Accedebat formae dignitas, et oris decus, par magno gerendo imperio, ut si eo modo standum esset, abessent cetera, quae vere in homine nomen, et maiestatem regiam tumentur, non ille a fortuna, aut ab hominum suffragiis habere regnum, atque imperium, sed fictus naturae manibus, ac conformatus ad imperandum videretur.

Tuebantur haec, quae conspiciebantur, animi aequitas, facilitas, comitas, et quidem non Maximiliano solum, atque eo quidem multorum, ac maximorum regnorum moderatore; verum etiam principe orbis terrarum digna: ut ad gloriam natus, atque ad eas excolendas artes, quibus fama inter homines, et nomen comparatur, omnia contemneret, quae parta fortunae indulgentia destituerent concitato cursu ad summum gloriae verticem contendentem. Saepe illum aerarium, cum tot populi, ac gentes unius imperio parerent nullum in dando, ac profundendo invenientem modum; numquam animus sumptui faciendo largiendoque defecit. Neque cum aliis magis certabat magnificentiae laude, quam ipse secum: ut cum nihil omitteret, quod esset magnifice agendum, et pro nominis maiestate, quidquid deesse crederet properanti ad summam laudem, quamquam id esset omnium opinione maius, id totum de sua laude detractum iri existimaret. In hoc quidem regum congressu, centum quinquaginta nummum aureorum millia, perpaucorum dierum spatio, quo peracto, colloquium diremptum est, Cuspinianus affirmat impensa fuisse. Quae quidem summa, ut inmanior videretur, frugalitas eorum temporum efficiebat; certe eiusmodi, ut hac ipsa etiam aetate cum luxus, epularumque magnificentia in immensum modum, atque infinitam licentiam excessit, summis etiam regibus possit magna videri. Mansit Anna apud Caesarem Vienna ad nuptiarum usque tempus, ut discendae Germanicae linguae, cuius illi erat necessarius usus nuptae Germano, operam daret. Neque vero cuiquam verisimile videatur, id quod Tubero tradit, caussam Ladislao fuisse relinquendi filiam Vienna, cum liceret cum fratre una in Poloniam mittere, qui id enixe praeser-

tim postulabat, quod vereretur, ne Barbara regina, quae soror eadem Scepusii erat, memor veterum simultatum, quae inter fratrem, et Ladislaum intercedebant, minus prolixè, et liberaliter puellam tractaret: reiicit enim tam impudentem calumniam, Barbarae reginae sanctitas, atque exculi ad veram pietatem mores quam, ad hunc usque diem Poloni laudibus maximis in coelum ferunt. Sed haec ille, ut pleraque alia temere et nullo certo auctore, quaecumque in partem elatus odio, intendit stilum, quo nullo discrimine in omnes utitur, numquam magis suae fidei, quam ingenii memor. Per id tempus, quo Ladislaus abfuit, ut supra commemoratum est, minimae quietae res in Vngaria fuerunt, per speciem pellendi Turcas, vetere consuetudine, in Vngariae fines excurrentes, a Scepusio sumptis armis, consulto dissipatis rumoribus, ut nonnulli crediderunt, barbaros magnis contractis copiis, in regni fines, quo magis necessaria expeditio crederetur, irrupisse. Fuisse autem hoc excogitatum, ut per excitatum belli tumultum, dirempto regum colloquio, Ladislaus, omissis in praesentia parum regno salutaribus consiliis, quod Scepusii studiosi homines vulgo persuadere conabantur, ad eum rerum motum compescendum in Vngariam rediret. Hanc ortam suspicionem auxit non obscura fama, quae per aliquot dies tenuit, duobus fratribus regibus, cum nondum Posonio movissent, sub Maximiliani adventum insidias in itinere comparatas, quo, per hanc rationem redacti in potestatem, in eas quas mallet condiciones descendere, vellent nollent cogerentur. Quae exorta fama, ut videtur ob nimiam Maximiliani cunctationem, raro umquam fere non fallax, cum longius paullo a sua origine progreditur, facile, ut diximus, est Sigismundi gravitate, et constantia discussa,



cum sibi aequae, et fratri meliora ominatus, colloquii dirimendi causa, falsos rumores dissipatos a cupidis rerum novarum hominibus demonstrasset, quorum consiliis, haec regum coniunctio, affinitasque obstaret: neque enim ignorabat, quo spectarent a fratre aversi nonnullorum e principibus animi, quibus asuetis per regis indulgentiam regnare, esset gravis futura Maximiliani potentia, ubi per accessionem regni maximi, atque opulentissimi, altius efferret per se omnibus, ut cetera abessent, iam plus aequo formidolosae vires. Neque vero credebant contracta ea affinitate, permagni interesse, Ladislausne, qui totus futurus esset in alterius potestate, an Maximilianus regnaret, qui minime Ladislai ingenii ignarus hoc spectasse in iungenda affinitate videretur. Praeclare Maximilianum sensit, cautum magis principem declinandis inimicorum insidiis, quam aptum struendis: male de eo inimicos iudicasse fallacibus innitentes coniecturis, brevi rei eventus indicavit. Neque interea tamen Ungari reprehendendi, quod nimium cauti in procuranda regni salute haberentur. In dubiis enim rebus, si quando de summa imperii agatur, in eam partem peccare, quae est tutior, sapientium hominum est, qui male ad eo speciosum titulum tumentur, ubi temere quae obiciuntur sibi statuunt assentiendum. Nam si quando plus aequo solliciti de rerum eventu, quae veri similia sunt sumunt pro veris; in eo videntur laudandi quod nullius cum incommodo statuunt vitanda, quae neglecta sibi possunt esse fraudi: ut maxime ex sententia eveniant, nimiae sedulitatis accusari queant; quae nunquam nimia sapientibus iis malis declinandis est visa, quae undique vitam hominum circumstant, saepius impendent unde minus fuerunt expectanda. Nam quod

nonnumquam coniectura falsis, minus recte de eventu rerum licuerit iudicare; natis hominibus est error humanitatis condonandus; quos quidem ita natura condidit rerum maximarum potentes, ut futurorum scientiam, quam supra humanae sortis captum sibi uni Deus reservavit, et superbe sibi plerique sumunt, negarit; usque eo homini indulgens, ut exploratis certis rerum et temporum caussis, conicere ventura possint; futura affirmare non queant, quae in divinae mentis penetrabilibus recondita, hominum solertia, ut acuti maxime perspicacesque sint, assequi non potest. Est vero tolerabilis error, et in sapiente homine etiam dissimulandus, non in aliis solum, sed in iis etiam falli quae esse exitio minus caute declinata potuerunt, non neglecta nemini umquam damno, aut dedecori fuerunt. Nam, et qui arma gestant, quae nemini noceant, et sint adversus vim, atque iniuriam subsidio, nihil malint, quam sua opinione falsis tutum iter a latronibus conficere licere, ut solutioribus metu animis iter faciant, non inviti gestent arma. Interea Scepusius, ut parta gloria superiore bello, et suorum iudicio inflatus, qui ultro auctori communis salutis, regnum, ingens praemium, eius in patriam pietatis, despondissent: cum iniquo animo ferret, sibi aditum ad spem regni per Ladislai, et Maximiliani coniunctionem intercludi, finitimos Turcas bello aggredi constituit, sive ut per eam occasionem, id quod nonnulli, ut iam diximus crediderunt, Ladislaum a privatarum rerum cura, advocaret; sive speraret fore, ut, re ex sententia gesta, ad confirmanda suorum studia materia sibi uberius ostentaretur: quam quidem unam rem, ubi incepto eventus responderet, maiora ambienti maxime opportunum crederet fore. Augebant illius spem domesticae vires,

quae haud modicae erant : praecerat enim iisdem fere copiis, facile id rege patiente, quibus civili bello usus erat : quae quo minus numero, eo virtute maiore, atque robore praestabant. Eo accedebat minime dubia fama : Selimum longissime ab Europa Euphratem transgressum, magnis acceptis detrimentis distineri gravi adversus fratrem bello : quae maiora aliquanto, quam re erant, ut facile homines susceptas spes quarum sibi laetum eventum spondent, quantumvis rerum fide dubia, tuentur, Scepusii animum ad suscipiendam eam expeditionem incitabant. Qui quidem, ut rem aggredienti cetera prosperum expeditionis exitum portenderent, in eo tamen fallebatur, vir alioqui prudens, et magni consilii, quo saepe alios deceptos vidimus, quibus rerum longo successu inflatis nimia sui fiducia hostis contemptus exitio fuit. Nam quo se longius Selimus, ab Europa abfuturum putabat, eo validioribus praesidiis ea oppida firmaverat, quae in regni finibus opportuna hostium incursionibus habebantur, non ignarus hostem Vngarum, si quis durior incidere casus, gerenti adversus fratrem bellum suo exemplo, non ex gentium iure, sed ex ratione suorum temporum, de quibus quid statueret non habebat, subiturus ultimi discriminis aleam, sanctam fidei religionem habiturum. Ita locis omnibus, qua ratio situs permittebat praemunitis, aditus omnes difficiles, tentantibus in interiora regni irrumpere, attentiore cura, et sedulitate effecerat : ut qui vera coniectura inniteretur, haud multo laetiores exitum, quam qui secutus est, Scepusio sponderet. Non desunt qui affirmant, cum militem Scepusio ducenti, nulli obviam hostes occurrerent, religionem foederis non Selimi fide magis, quae nulla erat, quam opinione barbarorum tuente, qui, quam fidem ipsi non

essent praestaturi, ubi spes bene rem gerendi affulgeret, minime Vngaros violaturos existimarent: quod casus afferret, Scepusium in occasionem bene gerendae rei vertisse. Ita barbaros, non exspectati belli fama oppressos, sub Vngarorum adventum cessisse, quaesito receptu intra regni fines. Qua re animadversa Scepusius spei plenus, suos ad rem capessendam sua sponte alacres non longa oratione adhortatur: Quamdiu occasionem secunda fortuna offerret, rem ex sententia gerendi quae raro iis diu faveret, quibus semel se benignam ostendisset, beneficio fortunae utendum, neque abscedendum a cedentium vestigiis, qui, praeter expectationem, peti bello, spem salutis in turpi fuga, virium suorum, et Vngarorum conscii positam haberent; quibuscum pari Marte congregi numquam essent ausi, numero, qui haud obrueret veram virtutem, non disciplina militari, non animorum robore umquam superiores. Qua virtute freti, ingenti sua gloria patriam domestico bello liberassent, positam in magno discrimine, eandem in Turcam aeternum hostem ostenderent, futurum iis praedae, a quibus vinci, quamquam circumvallatus immensis copiis, constantia et magnitudine animi potuisset. Neque vero esse, cur quemquam foederis religio moveret, cum expressi per principum infrequentiam a parum sanae mentis rege, tum icti cum eo hoste, qui haberet adversus religiones omnes perpetuum indictum bellum. Vnam religionem haerere animis, et sanctam esse Vngaris debere, ut nullam sibi colendam religionem, cum eo genere hostium statuerent, in quos sumpta honesta arma, et gloriosum bellum efficeret toties ab iis violata pietas, prodita fides, terra marique infestis armis oppugnatum Christi nomen; tot vastatae provinciae profanis

atque impiis manibus; tot eversae urbes, tot templa sanctissima, quibus Christi sacra colerentur, solo aequata; incensa antiquitatis monumenta; quibuscum una liberales omnes artes, atque omnis humanitatis cultus concidisset. Vaderent vero animis alacres in hostes barbaros, eius signa atque auspicia secuti, quo duce, vincere sceleratos cives didicissent inferentes patriae impia arma; onusti praeda, et gloria aucti, in patriam ad suos penates redituri. His incitatum militem Cernovicium ducit; quod oppidum edito loco in modum arcis situm, haud longe Belgrado distat, qua Danubius superiorem Moesiam ab Vngaria disternit. Erat in eo oppido non contemnenda militum manus, quorum praesidio Turcae, nostros, manente etiam vetere instituto religione foederis, ab effusa populandi, ac praedandi licentia prohibebant. Eam arcem, quod hostibus propter locorum propinquitatem, magno erat usui ad exploranda nostrorum consilia, qui Belgradi in praesidio erant, adoriri, atque maioribus tormentis adductis, ne quid spatii relinqueretur ad militem et propinquis praesidiis accersendum, subito oppressos improvise malo, oppugnare constituit. Non procul a Cernovicio Samandria aberat, quam urbem Iacius Turcarum praefectus, magni animi vir, et spectatae virtutis, valido munitum praesidio defendebat. Nihil vero a nostris agi tam occulte, quin continuo ad hostes perlatum, pari celeritate Samandriam ad Iacium deferretur, ad quem iis in locis summa imperii spectabat. Interea Scepusius, qua tumulus modice acclivis, faciliorem ad oppidum ascensum praebat, tormentis ad arcem traductis, muros summa vi verberari iussit. Erant Scepusiani ad V. hominum millia, magna equitum pars, ut parum valida manus, si quis modo nume-

rum spectaret, ita virtute, et rei militaris usu, ut dictum est, in primis, ad rem gerendam apta. Iam deiecta muri parte, qui in praesidio erant, cum, propter militum exiguitatem non essent, qui integri fessis succederent; veriti ne, si nostri oppido per vim potirentur, quod quidem futurum non dubitabant, victi omni suppliciorum genere Vngarorum odium explerent, de arce iis dedenda, quo in se aequioribus agentibus de conditionibus uterentur, consilia agitare coeperunt. Quod flagitium indignum Turcarum nomine, cum nonnulli morte quavis luendum censerent, pervicerunt; ut nuncii ad Bassam Samandriam mitterentur, qui docerent, quanto in discrimine versaretur omnium salus; minime dubii, quin Iacius, cognita re, ferre suis auxilium ne cunctaretur, vir, ut postea docuit eventus, magnitudine animi, et rei militaris peritia insignis. Ita prima noctis vigilia falsis nostrorum custodiis, dimissi nuncii Samandriam proficiscuntur, quod oppidum, ut diximus, haud ita procul Cernovicio abest, ac barbarum adeunt, docentque quibus rerum angustiis milites qui sint in arcis praesidio Cernovicii laborent, adversus hostem ferocem fiducia virium, et Turcarum paucitate, opem atque auxilium implorantes. Ni properet oppressis, atque in extremum vitae periculum adductis auxilio ire, brevi futurum, ut quaecumque arces Selimus in Vngariae finibus habeat, in potestatem hostium redigantur. Neminem vero posse dubitare, cui Selimi imperatoris severum ac triste imperium suorum socordia vindicanda exploratum sit, quin, si quid inde incommodi, et detrimenti accipiatur, id magno cum eius periculo sit usu venturum, cuius fidei provinciam tradiderit administrandam; de qua nihil detrahi possit, quin simul plurimum de imperatoris maiestate detraha-

tur, quam inviolatam intemeratamque servari adversus superbi hostis insultus omnes, vita suorum et sanguine, si usus requirat, aequum sit : nihil quidem certius esse, quam eum cuius non sit fortuna maior, quam animus, et ingenio insitum gloriae studium, magnam inustam maculam Turcarum nomini, multorum flagitio multorum pariter supplicio sublatum ire; eius in primis, cuius aut inertia, aut perfidia sit flagitium admissum. Permagni interesse communis salutis, quam habeant cum Selimi maiestate, et publica caussa coniunctam, omni praecisa mora, occurrere hostium audaciae, ne, si quid durius accidat, id suae virtuti tribuant, atque ulterius elati successu, in interiora provinciae irrumpant, cuius retinendae, ut lingua, et moribus, sic hominum ingeniis, et studiis a Turcarum gente aversae, nulla sit spes futura: haud diu enim manere in fide consuevisse, quorum animi non religione officii, sed metu mali, qui unus fere multitudinis consilia moderetur, et commodi spe contineantur. Nam, simul atque succedat a quo plura habeant, quae aut metuant, aut sperent: ab eo refugientes, quem faventem frustra respiciant opis atque auxilii indigentes hostem, qui infestus immineat vereantur; quo spes certior, et metus adigat se conversuros. Quantam vero infamiam praefecti futuram, si hoc percrebrescat, eo per otium spectante, eversa, atque excissa arce munitissima, fortissimos milites, quorum praesidio maiestas tanti imperii tuenda permissa sit, aut vivos captos venisse in hostium potestatem, aut desertos et proditos a suis, crudelissime interfectos? Affuturum divinum numen pugnantibus adversus foederis ruptores; cuius quidem religionem usque adeo contempserint, ut eorum tempori insidiati, quos per

interpositum insiurandum data, et accepta fide, abstinere ab iniuria, et maleficio omni aequum fuerit, aggredi incautos imparatosque veriti non sint. Cognito Bassa suorum periculo quamquam minus a bellicis copiis paratus, consilio agendum, ubi deficerent vires arbitratus, nuncios remittit; atque bono animo obsessos esse iubet: simul hortatur ut viros fortes deceret et Selimi milites tanti imperatoris, pergerent impigre, uti ad eum diem fecissent arcem adversus vim hostium tueri: daturum se operam ne diutius, quam necessé esset, qui tam scelerato incepto ius gentium, et foederis religionem violassent, impune ferrent: tolerarent modo paullisper hostium impetum, et consilio, atque animi magnitudine eluderent se invehentium ferociam, simulatque in congressum venirent; audaciam verae virtuti cessuram, quam numquam feliciter sceleratorum hominum perfidia, atque arma oppugnassent. Ne plus aequo deiicerent animos; eorum spe celerius se auxilio suis affuturum. Ea re ita administrata, ne magnificis, et speciosis verbis videretur parum virtus, et magnitudo animi respondere, deductis ex proximis praesidiis militibus, atque, ut subito potuit, coacta agrestium manu pari adhibita celeritate, suis ire auxilio pergit. Quamquam vero agrestes homines, et cultus idem religionis, et lingua eadem suis cogeabat favere, metu supplicii tamen inviti, et tergiversantes quod in praesentia satis esset, imperata faciebant. Quod cum minime Bassa ignoraret: antequam propius accederet ad Scepusii castra, ab arte, et consilio, quod minus a virtute, et numero militum suppetebat, petere subsidium constituit. Ita quosdam ex his nactus, qui Vngaricae linguae periti, atque eiusdem gentis, cultusque essent, quo magis dictis fides exstaret, transire,



per speciem transfugii in castra hostium iubet, ingentia praemia pollicitus, ubi impigre atque industriè mandata exsequerentur: simul docet, quae eos facere, et qua ratione velit. Neque secus quam cogitaverat accidit, metu ab invitis, quod nulla religio efficeret, et spe praemii exprimente. Ita temere accepti a Scepsio in castra, et ad se perducti, facta loquendi potestate, se pastores esse ex proxima Illyrii regione, aiunt, quae in Turcarum ditione sit: quod detrectantibus imperium intelligerent, ultimum supplicium subeundum, coactos metu adversus eos arma sumpsisse, quorum maxime victoriae faverent, eiusdem generis homines, et iam inde a maioribus Vngarorum affines, et consanguineos. Sperare, sibi eo facilius fidem haberi, quo minus aut simulandi necessitas, aut dissimulandi apud notos sibi homines, et quibus noti essent ipsi. alienam personam eminentibus esset. Habere se compertum, Turcarum maximas equitum peditumque copias ad arcem obsidione liberandam adventare. Ita vero illis cum militibus, qui in praesidio essent convenisse, uti eodem tempore, his ex arce erumpentibus illis, de improvviso a tergo castra adorientibus, circumventi mediū utrumque Vngari caederentur. Ut fides sua, et communis caussa postularet, monere de eo ducem constituisse; atque adeo etiamsi non ignorarent, ubi maneret, quae se supplicia apud Turcas manerent hoc pietatis officio functos, quos nullo officii genere ita delinire possent, ut in se minus crudeles, experirentur. Quibus auditis et in vulgus militum relatis, cum transfugis, quod a vero oratio non abhorrebat, haberetur fides, magnus repente omnium animos timor incessit, ut fit in dabiis rebus, et quarum est metus interpres raro non fallax, pro suo sensu, iis quae

transfugae afferrent, maiora etiam existimantium; nihil ut proclivius fuerit, quam, ut soluta statim obsidione, qua fors perterritos casusque ageret, turpi fuga se eriperent, imminente malo. Vnius Michaelis Paxii summa virtus, viri nobilitate et animi magnitudine clari, quo minus tanta labes Vngarorum nomini haereret, fertur obstitisse: cum milites ultro adhortando, castigando interdum severius, atque a metu, et trepidatione territos revocando, in officio continuisset: rogare cum ordines circumiret concionabundus, quae metus, quae trepidationis caussa, viris fortissimis esset; unde repente invictos illos Vngarorum animos tantus invasisset pavor, ut, ne exspectato quidem certiore nuncio, qui aut refelleret, aut confirmaret, quae afferrentur, transfugis levissimo hominum generi, exteris numquam fido, qui inducerent animos, temere sibi fidem habendam censerent? Sed fingerent ita esse; usque eo diffidere domesticis viribus, horrere hostes, de quibus clarissimas saepe victorias retulissent, ut cum imbellium turba, quos Turca mali metu ab vomere, et stiva ad arma rapuisset, conserere manus vererentur? Vnde vero repente tot natos milites, pacis atque otii tempore, quorum perpauca in praesidiis, magis moris servandi causa, quam defendendi provinciam numerarentur? cur, nondum viso hosti trepidi darent manus, obliti se prolem eorum esse, quorum gloriae monumenta illustria, tot victi populi, tot gentes externae nationes testarentur? Enimvero abiicerent maiorum virtute indigna consilia, ac rerum gestarum memores, et pristini roboris, ut Vngaros deceret, quibus a maioribus cum tanto imperio esset haereditaria relicta virtus, sese animis ad pugnam compararent. Manendum ne, discedendum, obviam hosti eundum statuere, eius unius partes esse,

cuius ducis atque imperatoris virtuti, et felicitati ita republica credita esset, ut nihil non ageret de prudentium hominum sententia, quos in consilio haberet. Quod certum esset militis munus, ut obtemperarent imperanti salutaria, et quae maiorum gloria digna haberentur ea singuli pertinere modo ad se, cetera uni sibi permittenda existimarent, cuius virtutis, et fidei periculum non ita pridem, magna cum gentis gloria bello domestico fecissent. Huius oratione confirmatis animis, ad pristinam alacritatem, et studium dicuntur milites plurimum addidisse, cum in gerenda re pollicerentur, nihil sibi reliqui ad delendam turpis metus infamiam facturos. Turca interea optimo consilio existimans, non esse interdum virium periculum faciendum, ne conspecta ab Vngaris agrestium multitudo inermis in ludibrium atque exitium suorum verteret, totum diem suos in castris continuit, iussos primis tenebris expedita arma atque animos habere ad ea agenda, quae imperasset, et signum ad proficiscendum expectare. Inde Turcarum delectis, faces, quarum per ea loca est magna facultas, taedasque accensas, inanes quidem oculorum praestigias, sed quae noctis beneficio, magno usui ad hostes fallendos essent futurae, distribuit: alios in oppidum ingressos, qua forte erant hostium stationes intermissae, iubet milites, qui in praesidio erant, monere, ut exaudito pugnae signo ex arce eruptionem faciant, atque eodem quo ipse tempore in percussos, perturbatosque noctis errore impetum faciant. Praeclaram oblatam bene gerendae rei occasionem, modo cunctatione, et mora non corrumpant, eventum sua spe, atque expectatione dignum secuturum. Quibus rebus ita administratis, inter primam, et secundam vigiliam, militum partem quibus

id negotii datum erat, subire per adversum collem facibus ad oppidi muros praelatis; simul iis qui in arce erant signum ad erumpendum dare; parte diversa alios contento cursu, in eos invadere, qui tormentis praesidio erant, atque ea, militibus de praesidio deiectis, quos prius conceptus animis pavor opprimeret, quam hostium arma, abducere iubet. Inde signo dato, cum barbari inter se cohortati in nostros impetum fecissent; qui ad tormentorum custodiam vigiliam agebant, noctis tenebris, et hostium audacia facile transfugarum dictis faciente fidem, metu ac trepidatione acti, praecipiti se fugae mandant: maior pars quibus deplorata salutis spe praeclusa erat fugae facultas, interfecti. Multo maiorem caedis occasionem, ii praebuerunt, qui inter primum tumultum evaserant, cum fuga effusa, se in castra recepissent: sua sponte enim iam percussis eorum metu, atque exspectatione, quae transfugae attulissent; taedarum flammae quas Turcae, ut iis erat praeceptum, incensas praeferebant, sensum omnem attonitis miraculo rei ademerant. Hinc pari terrore trepidationeque ceteris perturbatis, cum quidvis potius, quam, id quod erat suspicarentur, omnes receptum, et fugam spectabant, usque adeo omnium obliti, ut non duci, non praefectis, non centurionibus verbo audientes essent, minime se castris valloque satis munitos arbitrati. Ita vero consternati dicuntur, ut ne exspectato quidem die, cum vererentur, ne lux hosti palatos proderet, qua disiectis, et dissipatis noctis tenebrae, et pavor iter aperiret, sibi fuga, desertis castris fuerint consulturi. Ita Turcae in oppidum ludicro commento nostris elusis, recipiuntur, militibus qui erant in praesidio paullo ante ad extrema quaeque descendere paratis, et oppido simul saluti

futuri. Paxius, sub primam lucem, non mala coniectura arbitratus hostes fessos itineris, et pugnae labore alto somno obrutos, de improvise opprimi posse, cum ea militum manu, quibus ipse praecerat, sive ipse sua sponte, sive ducis imperio, cuius rei tamen nulla apud eos, qui haec scripserunt mentio est, ad tormenta recipienda proficiscitur, quibus magno cum dedecore nostrorum, erat potitus barbarus hostis. Inde levi proelio cum iis commisso, quos Turcae tormentis praesidio reliquerant, atque facile in fugam coniectis, dum tormenta conversis vehiculis, quibus avehebantur, retro agi in castra iubet, lapideo globo, ex arcis muro emisso ictus interficitur. Ita non illius milites solum, sed universi etiam e castris effusi, tormentis, et impedimentis relictis, fugam capessunt, quod turpissimum est, qui iis infestam faceret fugam aut a tergo fugientibus instaret, urgente ac persequente nemine: Turca enim ad id quod constituerat satis profectum arbitratus, arce obsidione liberata: quantumvis perculsum, ac territum hostem, diffusus suorum viribus persequi non est ausus, quod praeter spem acciderat, insigni sua cum laude, nostrorum magna ignominia castris, et tormentis potitus. Quae per se expeditio, magnae erat Scepusio futura invidiae, ubi etiam sortita esset laetiozem eventum, cum unam ob causam suscepta crederetur, ut per eam, occurreret regis consiliis, a quibus alienus esset, ea tam foedo, ac turpi exitu, cum apud regem, tum apud alios, quos aemulos domesticae gloriae acerrimos habebat, magnae offensionis fuit. Ita quem paulo ante, res adversus Zekelum gestae laudibus extulerant in coelum, magna commutatione fortunae, cuius temeritate, cum de summis hominibus iudicandum est, multorum iudicia pendent, conscindi ab inimicis, et ma-

ledictis vexari est coeptus; quorum quidem magnum numerum, illi ex bene gesta re orta invidia, numquam fere non recte factorum comes, conciliarat. Ita vero natura comparatum est, ut nihil homines arctius devinciat, quam rebus adversis quaesitum auxilium; nihil quo citius effluat inventum, quam beneficii memoria, ubi quis rebus adversis est defunctus; quod minime tamen sine certa ratione usu venit: nisi enim adsit summa virtus, quae a tam foedo lapsu sustineat animos eum fere homines oderunt, cui se esse obnoxios norunt; cum ea vis beneficii sit, ut ei qui benigne facit eum devinciat in quem est beneficium collatum; quod cum sua sponte grave sit natura homini libertatis amanti; ita ab eo refugit, uti ab eo vulgo solent, in cuius aere sunt, malam gratiam bene de se meritis referentes. Oppressa nobilitas pernicioso bello, et imploravit opem a Scepusio, et impetratae praemium maximum obtulerat regnum, cum tota in unum effusa, vix illud ipsum tantum in terris praemium dignum illius in patriam merito credidisset; exolescente mox periculo perfunctis beneficii recordatione, quae semper est gravis, nisi in animo grato haereat beneficium, praepostera gratiae relatione, in odium vertit. Itaque per magnam licentiam cum aliorum, tum eorum in primis, qui ita se plurimum Ladislao gratificari putabant, liberae voces, atque omnis generis probra adeo in eum iaci audiebantur, quem non ita pridem summis laudibus, et divinis honoribus erant prosecuti: Recte vero Scepusio, et pro illius merito evenisse, cum aliis muneribus amplissimis à rege aucto, tum in summo praefecturae honore omnibus praelato, quorum permultos, et generis splendor, et maiorum gloria minime illo inferiores redderet, ubi de eo esset certamen institutum:

quorum enim consiliorum unum sibi finem proposuisset, ut deturbato de regia sella Ladislao, non regis, non regni iura, non hominum existimationem veritus, per paucorum factionem, in regiam conscenderet; ea, deo immortalis humanorum scelerum ultore, regis optimi, et sanctissimi innocentiam respiciente, quem par erat, exitum tristem, atque infelicem consecutum esse: ita enim consuevisse hominum malefacta vindicare, ut qua illi parte laederent, ea acrius, vehementiusque ipsi plecterentur; quae tela intenderent innocentium iugulis, ea in eorum viscera, qui intenderant, retorquerentur. Referre enim vero Scepusium aequo altius elati animi uberem fructum, regi infestum, quo semper indulgentissimo usus esset, ut sua spe deiectus, per fracta foederis iura, et iurisiurandi violatam fidem in suorum iustissimum odium incurreret, quibus adeo foedam ignominiae notam inussisset, contemptus a barbaro hoste, illusus, inani commento impulsus in fraudem, ut inde, insigni accepta clade sibi salutem quaerere turpi fuga cogeretur; qua utinam contentus Selimus, Asiatico bello confecto, ulterius persequendo armis foederis ruptores, non progredere: cuius si ingenium recte Vngari nossent, tum, quo esset futurus animo, ab iis lacessitus armis, a quibus minime deberet, iurisiurandi vinculo sibi obstrictis, et quidem difficillimo suo tempore gravissimo bello illigatus, minime possent dubitare. Itaque qua gloria inflatus gesto ex sententia domestico bello intumuisset in quo magis adversariorum imbecillitate, et unius, temeritate, atque amentia, quam sua virtute victor enituisset, eam corruptam, cum aliorum, tum etiam iudicio suo amisisse: stetisse enim Vngarorum virtutem invictam unius Michaelis Paxii constantia, atque

animi magnitudine quamdiu per adversa iis fata licuisset. Cuius si aut ducem similem milites habuissent, aut in privato cum animi virtute, par fuisset coniuncta auctoritas, haud dubiam de hostibus victoriam, penes quos tantum haesisset dedecus, fuisse consecuturam. Perterritum militem transfugarum dictis, per inanem obiectum terrorem quidem, sed non absimilem vero, viri fortissimi oratione confirmatum collegisse animum, mansisse in castris, ne militare dedecus admitteret, sibi persuaderi passum esse. Neque hanc unam modo illius laudem fuisse. Quae certae ducis partes essent, ut, post tantum acceptum detrimentum, milites solatus erigeret in meliorem spem; defixos pavore haud dubiae cladis a barbaro victore imminentis excitaret, in officio contineret; eas ultro privatum, quiescente duce, qui nomine contentus, meliori munus haud invitus concessisset, deplorata omnibus spe salutis, suscepisse. Inde se iussos sequi, tormenta, quae in hostium potestatem venissent, magna sua gloria recuperasse: ne solido gaudio frueretur ex bene administrata re, importuna morte, virum immortalitate dignum, interceptum: cuius quanta fuerit iactura, quae sint postea consecuta, docuisse: sublato enim eo, quem vere unum agnoscerent ducem, foeda dilapsos fuga milites, cum eo, qui inane sibi nomen imperii sumeret, et tormenta, et castra, praedae barbaro hosti, aeterna cum Vngarici nominis infamia, reliquisset. Haec atque alia multa, ut dolor, atque odium suadebat, multi in coronis iactabant, quos, aut unius gloriae aemulatio, aut spes regi gratificandi ubi haec resciret, non pietas erga patriam ulla, non officii religio, qua nulla tangebantur, non virtutis studium disertos in Scepusii perniciem efficiebat. Neque deerant tamen,



qui eius nominis perstudiosi, in parum illi aequum regem, male gestae rei invidiam retorquebant: tamquam milites consulto, ut regi gratificarentur, per metus simulationem, tam turpiter, et flagitiose soluta obsidione, hosti et numero, et virtute militum inferiori cessissent: „Nihil adeo praeclare posse ab homine excogitari, quin ubi id parum laetus eventus sequeretur, trahi in deteriore partem posset, cum rationem perturbaret imbutus ac depravatus odio animus, qui efficeret, ut minus recte iudicari de dubiis rebus liceret. Nam si qua in eo offensio esset, quod inconsulto rege isset ad arma: cur per eundem regem, conniventem in suorum malis, licuisse Scepusio, eodem inconsulto, sumere arma, civili gravissimo, ac perniciosissimo bello? Cui vero non apparere, quo minus illi invidiosa ea expeditio esset, laetum secutum belli eventum effecisse? Excoecari hominum mentes odio, ne ea videant, quae aliis clarissima sint, quorum animos nulla inficeret malevolentiae labes: cur enim, quod tum illi invidiae non fuisset, cum recte res successisset, id ipsum quod nunc, variato tempore, male evenisset, quae humanarum rerum vicissitudo esset, iniquo iudicio eidem fraudi verteretur? Miseram esse virorum summorum conditionem, quorum res gestae, cum e celso loco incurrerent in multitudinis oculos, de his non ex praescripto rationis, quae in adverso etiam rerum eventu laudem haberet, sed ex fortunae temeritate iudicarentur: ut si secus accideret, quam illi vellet, quorum interesset, eas praeclare agi; non quo consilio, quid, quave ratione esset administratum, sed, quam recte, et minus ex sententia evenisset, inquisitionem veniret, quod iniquissimum iudicium esset. Quanto vero rectius nobilissimos olim populos, cum

sapienter iudicarent, fortunae temeritatem, ne cum laeta quidem obsecundaret, esse in exemplum trahendam; lege lata in eos animadvertendum censuisse, quorum temerario consilio, quamquam re praeclare gesta, ubi vera virtus temeritati fortunae obiiceretur, esset descendendum in salutis discrimen? Contra apud eosdem, numquam summos duces reos caussam dixisse, quod recto usi consilio rem male adversus hostem gessissent; cum non aequae rerum, et temporum, ut mentis, et consilii, quantumvis magni duces, et rei militaris periti potentes essent. Non dominatum Hamilcarem ducem tantum Hannibalis patrem; non parente maiorem filium, infelicis belli auctorem, quo victa patria Romano hosti, quem saepe vicerat proeliis memorabilibus, cecisset orbis terrarum imperio: quod ex certa ratione, ac rei militaris scientia re gesta, non solum suis, sed hostibus etiam, ducis munere, atque imperatoris obeundo, dignum se, qui semper vinceret, ostendisset. Non magis fuisse fraudi apud populum Romanum Fabio Maximo, Hannibalis fallacia eluso, male administratam rem: non aliquot postea annis, C. Neroni in Hispania, quod Hasdrubali huius fratri licuerit fallaci commento, ludibrio verius evadere e manibus: cum brevi postea docuisset, cetera posse vinci; virtutem adversus omnes fortunae casus, atque hominum consilia invictam stare: magna enim sua cum gloria, cum eo ipso fallaci hoste collatis signis, in omni posteritate clarissimam futuram victoriam, et ducis, et militum interneccione retulisse, quae victoria saluti fuisset perpetuis cladibus afflicto, ac prostrato Romano imperio. Posse in duce spectari virtutem, magnitudinem animi, rei militaris scientiam, usum rerum, quae adversis saepius, quam secundis rebus vigerent:

ubi haec omnia cumulate adessent, non semper spectari, cum his coniunctam vincendi felicitatem, cuius, fortuna sibi maximam partem vindicaret. Haec alii pro Scepusii causa; in quibus, cetera quidem praeclare dicta, in uno rex perinique perstringebatur: Militem consulto, cum posset vincere, spe regi gratificandi se vinci maluisse: cui quidem calumniae (undenam a Tuberone haustae ignoratur) ut etiam de rege Scythia ageretur, vix credibile est locum futurum. Neque vero maius ad Scepusium dedecus ex mala gesta re, quam ad regem erat perventurum. Nam Scepusii ductu, Ladislai auspiciis res gerebantur, et quidem ea conditione, ut si clades acciperetur, quidquid inde incommodi eveniret, id omne ad regem, atque ad universam rempublicam, male gestae rei infamia ad unum Scepusium pertineret. Quid vero absurdius in rege praesertim suoapte ingenio mitissimo, quam, inimici exitium quaerere suo? Tantine erat Ladislao, Scepusium plecti, ut eius quidem insigni cum ignominia, sed cum delectorum militum magna iactura, induceret animum suum ulcisci dolorem? Non est consilium in scribendo, per meum interpositum iudicium, cuiusquam existimationem convellere: sed quid de tota hac re tamen statuendum sit, ex iis, quae gesta sunt, tacente etiam me conici potest. Nam quod sint, qui hoc munus in scriptore requirant, ut de iis quae scribit, pronunciet quae sentiat, ab eorum sententia longe absum; ubi testis religionem, caste, et severe praestare rebus narrandis visus sim, satis me recepto muneri fecisse arbitratus: neque enim scribentis ingenio sunt adiuvanda, quae sua sponte praeclara litteris mandat, non magis, quam quae digna reprehensione ubi aut oderit, aut faveat, satis per se, qui ea gerunt, ut scriptor nihil de suo addat, aut re-

prehendunt, aut laudant; cuius rei iudicium non penes rerum scriptorem, sed penes eos qui legunt esse aequum est. Budam Ladislaus inde revertit, hinc laetus nova affinitate, cum ea innixus, si quid humanitus accideret, satis recte crederet consultum Ludovici rebus, hinc aeger animi, quod suorum securitati sine gravi principum offensione, sua pari molestia, haud prospicere licuisset. Erant vero iis dolori, non quae prava iniisse in regem consilia ferebantur: sed quae inchoata simul, et disiecta per iunctam cum Maximiliano affinitatem, intelligerent se exsequi, nisi alte dissimulata, haud posse. Iam quod maiorem dolorem inureret, quaesitum adversus male sentientes ab exteris subsidium fremebant, suorum damnata, atque improbata fide. Multa quidem reversus offendit, quae aestuantis animum diversis curis, indies gravius angerent a suis rationibus alienatos populorum animos, non potentium solum, perpetuo odio a Germanis dissidentium; factiosorum hominum coitiones, quorum libidini septa regia novae coniunctionis foedere minus patere ad iniuriam videretur; cetera cum his congruentia, quae, cum Viennae adhuc esset, ad incepta retardanda, nobilitatem moliri litteris amicorum cognovisset. Quae ille, sive dissimulanda sibi, sive cum mentis stupore minus teneret quanta essent, sibi contemnenda existimavit; quod propius ad illius ingenium accedebat, satis exploratis, ut sibi videbatur, et suis, et adversariorum viribus, quibus diu sua solitudo, atque orbitas, tum filii impar aetas gerendis rebus contemptui fuerat. Erat vero haud difficilis coniectura, tametsi obstinato silentio arcana consilia alte involuta animo haberet, quae agitare animo, a virtute, et consilio, an ab insito stupore, et tarditate ingenii manarent. Atque iniuria tamen hoc loco

Vngari a scriptoribus reprehenduntur; qui cum ferrent iniquo animo rempublicam a Ladislao adduci in salutis discrimen, id quod futurum credebant, ubi cum Vngarorum regia, affinitatis vinculo potentissimi reges iungerentur, eius inceptis sibi obviam eundum statuerent. Ita vero se gesserat in regni administratione, ut egregie volenti, si hoc modo satis est, ad populorum studia sibi promerenda possent Vngari male regni administrati culpam haud gravate condonare, pati non aequae facile adversus legitima Vngarorum iura, quasi perditae rei per summam inertiam esset mali accessio quaerenda, dotale regnum ad posteros transmitti, novo invecto more, cum exteris affinitatis necessitudinem iungendi; ut quasi haereditario iure sperarent se regnum adituros, cuius mandandi liberum ius, quibus visum esset, maiores posterorum esse voluissent. Nemi vero dubium erat, quin si quid Ludovico humanitus accidisset, id quod postea evenit, aegre Vngari possent tueri patrium ius, adversus duos fratres reges, quorum imperio maxima pars Christiani orbis, magna regna atque opulenta, provinciae nobilissimae in Italia, Germania, Hispania parerent. Ac si rerum initiis sit standum, quae sunt eadem initia naturae, ex cuius instituto sunt res hominum administrandae; nemo non fateatur, cum iis male agi, quibus fortunae temeritate reges per ius haereditarium impositi imperant; cum eorum modo sint habenda legitima imperia, qui a volentibus sunt ad regnum acciti: qui quidem quamdiu iuris sui sunt, nunquam committent ut cuiquam nisi suis suffragiis regnum adepti, vitae et necis in se permittant potestatem: certe non male sensisse Vngaros, quae sunt consecuta postea tempora docuerunt. Nam cetera ab eodem fonte derivata mala, amissa oppida.

arces, vectigalia, quibus sumptus in regiam suppeditabatur, expilatum aerarium, atque exhaustum a privatis, direptae divitum fortunae, agrestes ultima omnia passi, unde initium domestici belli, caedes, incendia, in regia egestas, in privatorum domibus regia opulentia, ut non videantur Vngari reprehendendi, quod aliquando de novo rege creando cogitarint, sed quod non viventi suffecerint accusandi, sive illi Scepusio, sive alii statuerent potestatem regiam mandandam: ut enim cum Ladislao mitissime agatur, ita illi iustitiae, probitatis, pudoris, innocentiae tribuitur laus, ut pater familias forte non malus, a regia procul arcendus, amandandusque videatur, quae non modo innocentiam inertem, et sedatum ingenium, sed consilii vim acerrimam, gravitatem summam, constantiam, fortitudinem, summis virtutibus exaggeratum animum, et qui nihil non audeat, quod ius, fas, suadeat agendum, (*requirit.*) Eo certe erant redacta omnia, ut e Moravia, quae provincia uberrima latissimos, feracissimosque agros habet, ne assem quidem vectigalis nomine, perexiguum e Boemiae regno referret; quod tum opimum ditissimumque habebatur. Iam, quae aliquanto erat iactura maior, amissum per omnium rerum licentiam militiae decus, corrupta rei militaris disciplina, legum maiestas; quae omnia, ut in dies deteriora, minus corrigi spes esset efficiebat, per ictum cum hoste foedus, sublatus belli timor: ut tamquam perpetuus hic rerum status aeternam pacem populis, atque otium sponderet, securi ab externis malis, cuiusvis potius rei, quam sui aut maiorum memores omnem de republica curam abiecisse viderentur, iis fere artibus addicti, quibus in homine robur, viresque enervantur. Ita florentissimum paullo ante regnum, tamquam corporis informis ac vasta mo-

les, nervis virtutis incis, cum regis sapientia quasi anima careret, omnibus erat futurum praedae, quibus terrori esse consuevisset non labefactatum externa ulla vi, sed intestino perditum, atque afflictum malo. Ac de Ladislao quidem cum multa alii, tum nos primi libri initio nonnulla, quae vix credenda, quamquam a vero hausta videantur: illud superat omnium fidem, quod Dubravius Boemicarum rerum scriptor litteris mandavit. Neque vero ille se accepisse ab aliis, sed vidisse ipsum affirmat, cum rei gestae interfuisset. In regia cella unde mos esset maiorum instituto, vinum honoris caussa, principibus viris suppeditare qui aulam sequerentur, vino deficiente, quo rex in prandio, atque in coena uteretur, regios ministros rogatum ire ad privatorum domos, non ad delicias sed ad necessarium usum consuevisse: cum semel ad pontificem Quinqueecclesiensem itum esset, rei indignitate, gravem hominem commotum, stomachabundum ministros interrogasse, eone malorum esset ventum, ut ne vinum quidem in cellam regi, cuius opulentia multi vivere regio more consuevisset, ad prandii, et coenae usum suppeditaret? ministros, quod flagitiosius esset, non vinum solum, sed etiam quotidianum obsonium defuturum respondisse, nisi precario quaererent. Tum illum incensum ira, atque, Enimvero, minime ferendum, et tantum tollendum e regia dedecus praefatum, recta ad regem contendisse: Iussu regis quaestorem accitum, ab homine sui iuris, et cuius animum auctoritas aequabat, acri, et vehementi oratione castigatum: qui cum unius regis liberalitate, et munificentia referatissimam domum haberet rerum omnium, quae expectandae homini in vivendo essent, eum pateretur anno-nae, et necessarii victus angustiis conflictari. Quid

vero absurdius, quam in feracissima omnium regione, magna regionum opulencia, ubertate, et copia rerum omnium egentes reges cogi victum sibi precario parare? Inde e sua in regiam cellam generosi vini aliquot dolia, quae essent ad mensae regiae usum transvehenda curasse. Turpe quidem hoc regi, sed multo regiis ministris turpius, qui quando illius animum tanta contumelia non tangeret, non ipsi domestica infamia commoverentur. Neque vero statuere facile est, utrum regi maiori dedecori sit, ferre se indigna; an populis diutius, quam necesse sit, regi qui eo sit ingenio parere. Sive autem id accideret vitio regnantis, cum profusa quadam natura ad beneficentiam, nullum in dando, et largiendo agnosceret modum, ut alibi diximus, sive eorum petulantia, qui postularent; quibus, cum referrent quae poscerent; etiam si immoderata, numquam fieri poterat satis; res portenti similis videatur, egentem regem, ditissimis populis, et praepotentibus imperare. Nam quod non desint nostri temporis scriptores, qui Ladislao regi impuros mores, vitam mollem, luxuria, et voluptatibus diffluentem opprobrent: neque illi sunt audiendi, et ubi ius, fasque homines colant, digni habendi, qui tantum flagitium vita, et sanguine luant, haud satis iusto supplicio pro adeo immani scribendi licentia; qua, nullo veri, et falsi discrimine, existimationem, famam, nomen non aliorum modo, sed maximorum regum etiam quos venerari in terris divinis honoribus par est, iugulant infesto stilo, quae temere vanis rumoribus, atque auditionibus feruntur, saepe e trivio hausta, et populi fece litteris mandantes. Ex hoc genere commentarii, ephemerides, annales, tam vasta, atque immania volumina rerum gestarum a mundi ortu, quae imperiti homines, capti



speciosis titulis, hianti cupiditate animo legunt, saepe pro veris quorum nullus certus auctor, nulla monumenta illustria sumentes. Hinc nobilissimis familiis nullo maiorum merito aeternae inustae infamiae, atque ignominiae notae : hinc falsae laudes gratiam potentiorum hominum venantium, habiti non merentibus honores ; hinc elogia verbis magnificentissimis, quibus historiae referciuntur ; hinc sepulchrorum monumenta ; laudationes ; quae incommoda, scriptorum nobis turba, quorum iam scriptis obruimur, invexit : ut interdum queri veniat in mentem, nobilissimam alioqui, artem inventam typis libros excudendi, unde doctis, indoctis datur facultas quae vigilantes somniant, modo spes compendii obiiciatur, in lucem edendi. Sed ut eo unde discessit oratio revertatur, neque res meliores eo tempore in Boemia fuerunt : quo enim longius rex aberat, eo immaniore licentia regii ministri, omni cura perfuncti, diripere pecuniam publicam, depeculari aerarium, ditare quos visum esset, e montium iugis effosso argento, se suos explere, honores, dignitates, sacerdotia mandare male de republica meritis, non legitimo suffragiorum more, non publica auctoritate, non rege consulto, rempublicam administrare. Quorum neglecta animadversio, quam acrem, et severam ea tempora postulabant, ministrorum cupiditatem, atque audaciam, et per eam populorum pestem, atque exitium alebat, qui in perdita republica victi praesentibus malis, iis ferendis quae imminebant, non erant pares. Ac quamdiu Anna regina vixit, nulla in re passa est minus regis maiestatem, non distrahenda pecunia publica, non exhauriendo aerario, non pagis, regiis arcibus, vectigalibus alienandis, quae magno cum compendio redempta, gratiosi in aula homines in domesticum

usum convertebant. Dicitur quidem hac sedulitate perfecisse femina ingenio acerrimo, ut brevi ingenti pecunia coacervata, praeter gemmarum ingentem vim, et ceteram regiam opulentiam, vasa omnia ex solido auro in regiae mensae usum conspicerentur. Neque dum ea vixit, quisquam Ladislao dissimulante, et connivente in omnibus suis e re publica rem facere privatam, et regium ius rebus administrandis, abutentes regis ingenio, usurpare. Sero tandem, edicto interposito, ut cum nullus esset usus, cum alia sustulit genera expilandi, plus aequo gravia privatis, quibus nihil in legibus adversus potentium vim subsidii erat; tum omnem facultatem eripuit largiendi pecuniam, quae, regis auctoritate contempta a privatis, ut visum erat, pro cuiusque libidine distrahebatur. Eadem severitate coercuit, nonnullorum in regia impotentem in privatos dominationem, cum aliis in rebus, tum in tutelarum, atque haereditatum iure violando: usque adeo enim progressi licentia erant, ut passim per regias urbes, legitimis haeredibus exclusis, invadere in aliena bona, nemine audente mittere liberam vocem, auderent. Ad haec si qua erant lautiora sacerdotia, quorum vectigalibus religiosi homines rei divinae procurandae alerentur, quae permulta, tum in Boemia, tum in Vngaria habebantur

*(Itt hiányzik egy levél.)*

Polonorum rebus, quo tempore, ut sua fides, et in fratrem observantia postulabat, consulto senatu, pollicebatur ea de re quicquid crederet utriusque regni rationibus conducere se constituturum. Quae dum in Vngaria geruntur, res male ad Jaiczam gesta, oppres-

sis subito nostris a Turcis, cum commeatus in oppidum importarent: quorum inopia, qui erant in praesidio milites laborabant. Pars eorum caesi, pars vivi capti, atque in vincula coniecti, magno provincialium metu, quibus spes nulla supererat oppidum retinendi cum magnum periculum immineret, ne, eo amisso, hosti aditus, ubi visum esset, ad vastandas, et populandas finitimas provincias pateret. Eius rei nuncio accepto, Ladislaus milites in supplementum scribi iubet, qui simul commeatus in urbem inferrent, simul oppidum cum iis, qui erant in praesidio, si id quod fore suspicabantur, Turcae oppugnationem tentarent, tuerentur. Quibus comparandis rebus cum plus aequo anxius solito gravius ex artuum doloribus laboraret: vehementiore mox febre correptus mali vi superante humanae opis industriam omnem, interiit, eadem patientia vim morbi ingravescens, et mortem perpressus, qua vitae molestias tulerat, quibus et multis, et gravissimis perferendis, quamdiu vixit, obduruerat. Decessit integris sensibus, ac valido mentis robore, omnibus de more, cum vitae munere perfunctus, quae Christianum regem obire, et religiosum decebat. Dicitur ante mortem, principibus advocatis, cum deplorata vitae spe, iis ederet postrema mandata; orasse maiorem in modum pro summa sua in illos indulgentia, studio in rempublicam, pietate in omnes, quorum salus suae fidei esset commendata; Ludovicum filium, ut regni, ita suae voluntatis, et studii haeredem erga Vngarorum gentem, susciperent regendum, ea quidem aetate, quae per se imbecilla duce et moderatore indigeret, sed unde tamen magna esset facultas adolescentem magnae spei, atque indolis ad virtutis et sapientiae normam, nactum adolescentiae rectorem prudentem, et gravem hominem, confor-

mandi. Quae virtutes cum suppeditari ab adolescentia haud possent, dandam operam, ut a sapientium consilio hauriret, quoad optimis artibus animus imbutus, non solum aliorum prudentia, sed suo robore subnixus staret. Adiuvari suam spem suscepta opinione de filii indole, quae non secus, ac generosa planta consita in feraci solo, copiosos fructus, atque opimos, culta sedula manu suo tempore suis sponderet. Nullam quidem esse aetatis partem, sine prudentium consilio, adversus rerum humanarum casus satis munitam: sed adolescentiam multo minus; quae non usu, prudentia, et cognitione rerum, non litteris, et studiis ingenuarum artium, nisi admodum raro, confirmata, prona ad interitum rueret, nisi labantem sua sponte, sapientium virtus, et prudentia sustentaret. Ac quoniam in omnium munere administrando, multorum consilium, unius auctoritas moderaretur, rogare enixe, ut Sigismundum fratrem principem auctoritate aetate filii regenda agnoscerent, quem sorte patrum, voluntate parentem, et quidem qui vix sibi eo fovendo, atque amando concederet, singulari benevolentia, atque observantia prosequeretur. Ita quidem regis fratris animum Vngaris esse exploratum, ut de eius fide, et constantia non possent dubitare, cuius aliquamdiu periculum fecissent, cum adhuc adolescens, praeesse Silesiae esset iussus: ita vero eius sapientiam probatam omnibus, ut a nemine, aut certius consilium, aut magis fidum iis esset expectandum. Id si agere inducerent animum, tum illud etiam consecuturos, ut rebus minus recte succedentibus, quod deus omen averteret, nulla graviore invidia laborarent; magnam iidem sibi compararent laudem ubi is eventus rerum succederet, quem sperarent, optarent certe: aequissimum enim videri, eos

fratrem consortes gloriae habere, quos habuisset consilii. Illud in primis postulare, ut summum ius regni, eorum concessu, penes fratrem esset; ut qui dignitate haberetur princeps, id quod maiestati regiae esset dandum, haud iis superior auctoritate haberetur, et in tutelae procuratione, rex esset eorum collega, quorum in filium, quin esset par caritas, atque animi studium minime dubitaret. Dicitur haec postrema Ladislai oratio, principum animos, quibus viventis auctoritas contentui fuisset, magnopere movisse. Itaque paucis hortati, ut de valetudine meliora sibi ominaretur, de cura filii, si quid secus, quam sui vellent, accideret, plane esse iusserunt soluto animo. Rem, ut exposuimus, actam docent Sigismundi litterae ad Ioannem Laschium Archiepiscopum Gnesnensem, et Christophorum Schidloviczium Cracoviensem Palatinum: quos cum certis de ea re mandatis ad Ludovicum miserat, et ad regni principes, certior factus a Ioanne Carnkowskj regio apud fratrem oratore, hanc supremam voluntatem morientis fuisse.

FINIS LIBRI QVARTI ET TOMI PRIMI.

---

